Dr. LUCAE JOANNIS BOËRI,

PROFESSORIS ART. OBSTETR. PUBL. S. C. R. M. CHIRURGI, OLIM ACAD. R. CHIR. PARISIENS. ACAD. C. R. JOSEPH. VIENNENS. ACAD. CAES. MED. PETROPOLIT. ET R. PHYS. ET MED. ERLANGENSIS, E. A. SODALIS HONORARII,

NATURALIS MEDICINAE OBSTETRICIAE

LIBRI SEPTEM.

Annotatio naturae artem peperit. Cic.

VIENNAE,

APUD GEORGIUM NOBILEM DE MOESLE,

ET LIPSIAE APUD KUMMER.

1812.

PROËMIUM.

Haud equidem vereor, reprehendi, quoniam, quae ex longa obstetriciae et omnis medicinae usu mihi in notitiam venere, ut digna prae caeteris observari videbantur, jam pridem singulariter descripsi et in typos commisi. Id enim ipsum munus petiit, quum omnis puerperarum largissima domus citra princeps commodum privata quoque velut specula sit, ubi, quid in animalium hominumque summa functione prospere et aptissime fieri vel omitti debeat, decore exquiratur, caute finiatur, ac sincere demum aperiatur.

Deinceps, quia omnis ingenuus vir artem suam insito honoris desiderio, quantumcunque potest, proferre tendit, ipsa etiam scientia provocatus, in haec conata descendi: Opus viginti annorum, millenis ad lectos parientium puerperarumque experimentis et animadversionibus, in fundanda partus ac puerperii mansuetiore et naturae congrua arte, coalitum.

Sed id forte criminabitur, quod germana lingua exaratas primum commentationes ambitiosius nunc quam utilius traducere in latinam coeperim. Erit tamen, quod confido, ut alii ob animi candorem, quo, semota ambigua cupidine et intentione, opiniones meas protuli, me judicaturi aequabilius sint. Alia quippe subest gravis et ratio princeps, quae hoc consilium, si non imperet, certe cum specie excusationis foveat.

Contigit nimirum mihi ex Liberalitate AUGUSTI IMPERATORIS plurimas, quae in Europa locatae sunt, Lucinae aedes et varia alia utilium artium scientiarumque invisere athenaea. Post, dum hujati puerperarum instituto praeesse constitutus fueram; magnus juniorum studio et ingenio insignium medicorum undique in hac urbe confluxus erat, quos cordatissime erudire, et ad lectos parientium puerperarumque manuducere, jucundissimum mihi fuit. Ii nunc a viginti et amplius annis in terrarum orbe mansuetissima cura, quam ipsa illos natura, me duce et amico, docuit, muliebris sexus dolores et pericula mulcent. Illis haud ingrata fortasse, quae in Viennensi schola quondam contuebantur, ipsique feliciter tractabant, exemplorum memoria erit, neque sine utilitate, quae a suo discessu tempus ultra detexit,

latine tradita legent; quum compertum habeam, scriptiones meas, vernaculo sermone, complures Doctos non attigisse; seu demum, siquidem pervenere, attamen, quod minus familiaris lingua sit, iisdem illos difficilius peruti.

Praeterea id quoque non inaniter sentio, multa in hoc opere contineri, quae non tam ob formam et auctorem, quam propter novitatem et pondus peritorum attentione perdigna sunt. In quibus perscribendis, ut in omni materia, si qua forte licentiosa vox offendat, meminisse rogito, plerisque hodiedum artibus, maxime obstetriciae, antiqua vocabula deesse, ut igitur nunc, uti olim, rebus novis imponere nova nomina liceat. Ob defectum enim linguae obstetriciae, ut rei ipsius, in scriptoribus classicis, necessitas perpulit, industriosa collectione,

tentatione, commutatione, arti novae speciem quaerere prisci sermonis. Hoc studium erat grave et longinquum certe; ideo excusabile etiam; sed ante omnia molliet inceptum nostrum, ejusque vitia passim, omissio communiter a longa tempestate latinae dictionis; tum elaborationem horis subsecivis modo, iisque saepius ne de nocte tranquillis, nec in vigore amplius et constantia aetatis, fuisse susceptam.

Si vero, quae his scriptis pertractantur, artis singula potius et disjecta membra videantur, quam integrum (ut plerique his temporibus superbe intendunt) scientiae aedificium; id animadvertere sufficiat, me non in dispellendo primum aliorum dicta et sententias, post rescribendo, trivisse otium, nec in re seria ex proximo quoquo impulsu et imaginationis luxuria, sed non aliter ubique quam pro op-

portunitate, rerumque casubus scripsisse. Quare etiam oportebat, profectam inde scientiam, nec ad arbitrium, neque celeriter, sed ex eventuum actorumque naturali consecutione proponere. In quibus neque nunc quidquam mutare animus est, ut posteri haud demum ambigant, quae schola mitioris partus et mulierum omnis moderatissimae tractationis fons et origo, quisque primus simplicis scientiae inventor et observator sit. Tametsi enim gravissimae cujusvis doctrinae is scopus est, summumque meritum, ut in commoditates omnium diffundatur; taedet tamen impudens quorundam literata rapina, quod traducta a nobis in se liberaliter notitia arteque non tam utantur, eamque ceu acceptam distribuant, quam recondito auctore, cujus etiamsi ipsa verba transcribunt, sibi ipsis, quasi a se dete-

ctam, attribuere gestiant. Similis arrogantia nec in quibusdam pridem a nobis eruditis, in praelectionibus et usu visa auditaque non tam scribere sibi, quam adscribere paratissimis discipulis sine injuria est, quorum praematura vanitas et oblectatio aliquam alit turpitudinem, quod praeter malam fidem cum erga magistrum et amicum, tum erga liberalissimam ipsam scholam foedam ingratitudinem prodat.

Qua quidem sinceritate non propter verba et sententias litigamus, sed facta vindicamus; et cum labore exquisita; et inventa; et communicata; et monstrata; vigiles noctes et incertos dies; tot omissa lucra ex privatis; tot conata; tot experimenta et pericula; et ipsos morbos. Inde aliqua passim morositas nobis, ne tamen ex animo, sed a crebra irritatione, et victa aliquando patientia.

Quodsi demum, quos in exteris regnis colui, artis Doctoribus et praeclaris aliis Viris, latina haec exemplaria obveniant, fortasse non injucundum ipsis percipere erit, collata sua artis et scientiarum in nos beneficia haud incassum esse, nuncque non sine aliquo foenore in publicas redivisse utilitates.

Vindobonae, in schola obstetr. technica Cal. Decemb. MDCCCX.

INDEX OPERIS.

VOLUMEN PRIMUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

VOLUMEN SECUNDUM.

LIBER QUARTUS.

VOLUMEN TERTIUM.

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

NATURALIS

MEDICINAE

OBSTETRICIAE

VOLUMEN PRIMUM.

PRAEFATIO.

In puerperarum amplissima domo ingens rerum casuumque numerus est, quae in arte obstetricia, omnique, quibus obnoxiae cum in graviditate, tum in partu et puerperio foeminae sunt, morborum tractatione maximum pondus habent; ut certe haud levis foret socordia, si rariorum eventuum notatio negligeretur, quaeque inde sequuntur cognitiones, sine publico usu delitescerent.

Quapropter illud propositum mihi fuit, quae observatione et scitu dignissima sunt, candide enotare, promptasque ab experimentis opiniones meas ad proferendam scientiam sine contentione et superbia incertis spatiis perscribere. Quam operam hoc libello quinque argumentis orsus sum.

Atqui inter omnes primus ipse fateor, proximam orationem, qui eam deceret, splendori, et amplitudini parum respondere. Quisquis in arte dicendi me magis peritus pleraque ad rem aptius atque maximo optimoque publicarum utilitatum Auctore dignius fuisset prolaturus. Quapropter eam nonnisi ob argumenti gravitatem titulo Orationis insignivi; secus haud incongrue primam Praelectionem dices.

Quae de sectione *Symphyseos* sequuntur, ex vulgata a me jam ante decem annos dissertatione exceptae positiones sunt. Atque quoniam eventus monstrat, idquod primum ego temerariae operae adversatus fueram, haud factum sine recta ratione fuisse, haec ipsa argumenta, utpote levis scientiae meae primordia, inposterum fovere inter sera placuit.

Quatenus circa valitudinem gravidarum tractavi, multum abest, ut has lucubrationes magnifaciam. Id forte meritum inest, quod in re obscura planissimis potius, quam doctis, et ad captum inidoneis verbis usus fuerim.

Monita passim de venaesectione et pur-

gantibus pharmacis, certe ad castigandos abusus collocavi; quamquam difficile sit, inter opposita commenta finire, quidnam abusus sit, quid usus. Tantum scilicet medicina perpetuo nutat, et controversatur. Attamen, quia unus haud scire omnia quilibet possumus, illudque, quod unicuique est in notitia, sua cujusvis scientia omnis est; absit saltem propter opinationes et incerta judicia odium et obtrectatio.

Postquam nempe in multis et principibus omni perfectione populis ac urbibus varios et diversissimos in arte usus observaveram, ad eosque tractaveram; concesso hinc amplissimo munere id primum statui mihi, ut in communissima et in omni vita indita functione, qua mortalium genus, ut omnis animantûm alia species, necessario perstat et perennat, industriam moderate et prospicienter quasi experirer cum fortuna fati, unde declaretur, quid foetans natura sustineat, quid valeat, quid efficiat; quid patiatur, quid expetat, quid rejiciat.

Atque talium rerum et eventuum fidam rationem excerpta e notis scholae significant, quorum veritas in tabellis *cancellariae* Nosocomii strenue confirmatur. Eaque observan-

tia erit inposterum in omni forte alia notitia, quae ad gesta in instituto, et ad mulierum tractationem et morbos et mortes attinet; quantumque enim liberi vel soluti etiam quoad opinationes sumus, tantum moratos exactissimosque semper praestabimus nos in relatione factorum, ut in omni peractione ipsa.

Ex Instituto technico obstetricio, M. Octobr. 1790.

LIBER PRIMUS.

ORATIO INAUGURALIS.

Merenti gratias agere facile est: non enim periculum est, ne, quum loquar de humanitate exprobrari sibi superbiam credat; quum de frugalitate, luxuriam; quum de clementia, crudelitatem; quum de liberalitate avaritiam.

PLIN. *Panegyr.*

Inter varias hominum ingenio excultas medicinae artes haud ulla tardius, obstetricia, ad quoddam sese extulit fastigium. Inde equidem a saeculis remotissimis ex reliqua omni industria et prudentia praeclarissima monimenta remanent; attamen, quod circa nostram disciplinam superest, raro citra modicum ascendit, nec simplex illud inditum sibi veri sigillum habet, quod veterum alia scripta quam maxime distinquit, commendat.

Superstitio quippe et anteceptus mente animus, popularis omnis inscitiae perpetui comites, ab omni aevo artis progressui vehementer obstiterant. Facilis namque partus nullo indigebat praesidio; difficili autem et periculoso actu mortales neglectis humanis auxiliis proti-

nus ad Deos confugere. Sic olim *Isidi*, *Junoni Lucinae* obtulerant; sic mutata forma Divis etiam hodiedum ferunt.

Aliud, nec leve semper impedimentum arti a reputatâ male verecundia adveniebat, quo factum, ut, relicta indoctis ad omnemque usum ineptis hominibus re obstetriciâ, quaelibet ferme per naturam ne segnis quidem parturitio nitenti in speciem poenae, ac velut in supplicium, cederet. Imo quondam in caligine mentium pro gravi peccato imputabant, ad foeturae difficultates virilem opem petere, priusquam mille sub invocationibus, aliisque ineptiis cuncta pessumdata essent, ut infortunium super artis et naturae potestatem longissime exsurgeret.

At iniquissimum tamen foret, languidi processus culpam invehere in illos solum, qui artem exercitarunt, illave indiguere. Prima scilicet occasio mali in tetra inscientia requievit, qua temporum tanta spatia incassum, inque mortalium dedecus per socordiam transigebantur. Ex quo scilicet fanatica in scholis tradebatur insania, qua daemones e corporibus hominum expellantur, id beneficii dementer neglexerunt, quo foetus, dum expedit, moveri ex utero potest.

Dein tandem resuscitatis e torpore atque somno, quo ferme ab aevo christiano erant consopitae, scientiis artibusque, docti viri inter caeteras disciplinas fando docere artem quoque obstetricandi coeperunt. Sed quid commodi eo redundare in usus poterat? Arte nimirum continuo maximamque partem vulgati et ope-

rarii officii instar fatuis et superstitiosis anubus delegata, nec medicus neque chirurgus facile adsciebatur, nisi infelicissimo paene ac conclamato partu.

Postea excultis aliquantum moribus atque occidentales Europae oras illustrante sensim saniore philosophia ars quoque obstetricia profecit. Tum mox obtinet, praestantes scientia viros, solito hucusque saepius, adesse naturali foetui, puerperiique curam gerere; quod certe munus, cum ob sui amplitudinem, tum ob multas ad idonee exequendum necessarias notiones tantum abrogari viris nunquam debuisset. Neque mora erat, quin disciplina sub illorum curatione rectius ad ingenium instituta auctaque duobus commodis esset, quibus chirurgus in molestissimo interdum enixu benignam opem praestat, quam olim ferre sine illis omnino nequiit. Nunc demum, finita inter pelvim matris foetusque formam ratione, prima inventa principia sunt, quibus naturalis partus processum intimius scrutari, tum artificiosi auxilii componere modum possumus. Atque quam mirabile hic in tentationibus suis apparet hominis ingenium! Ante tot saecula mortalis, sola plerumque curiositate motus, anxia praecisione immensa emetitus corpora et spatia est:

Frigida Saturni, quo sese stella receptet,
Quos ignis coeli Cyllenius erret in orbes.

Nunc tandem primum occipit, linea ac circino, quae proxime ad se pertinent, quorundam os-

sium divergentias significare, eoque organicam illam exprimere functionem, qua felici sorte vel infelici prodit in lucem mundi omnis humana progenies.

Nuncque fulta quodammodo principiis geometriae, et utroque instrumento locupletata ars obstetricia et matri et foetui oppido saepe salutem comparabat. Neque abnegamus tamen, ex nimia in assumptas computationes inclinatione, partim etiam, atque cummaxime ex machinarum usu, capessendi lucri causa, permultum damni factum, remque saepe totam in artis ipsam perniciem fuisse conversam. Ita quondam inter Batavos summum obstetricantis meritum in possessione vectis *Roonhusii* erat; donec duo humanissimi viri rectique amantes, auro ac sponso mysterio venditum toties, tum maximo ultimoque pretio adscitum sibi simplex ferri frustum universo orbi pervulgarent. Non procul pariter ab nostra aetate obstetricantum forceps in ipsissima illa regione, ubi brevi ante ne admissa fuerat, nimium non tam in usus, quam in abusus adhibebatur, ut naturam, ablegato quasi a se in forcipem partu, huic operi suo in perpetuum renuntiasse crederes.

Attamen ut plerumque ex opposito ad extrema devolvimur, ita propemodo hic evenit. Dum alii scilicet instrumentis frustra, imo saepius, damnose utebantur; alii contra haud segnius ad perniciem se praestabant, propterea, quod illa ne unquam esse applicanda, plane-

que supervacua dixerint. Quantumcumque vero aliena ista opinionum principiorumque discordia singulis casubus offecit, hoc tamen commodum ars habuit, ut inter rixas et disputationes libera mens, et studium, et tempus et usus mediam optimamque sequi viam, diremptaque scientia, quo nunc illam cernimus, attingere gradum posset.

Atque quanto mansuetior jam et opifera magis ars est, eritque continuo post, si homines, qui illius emensum ferme studium habent, eam exerceant simul, excolantque usu? At, dolor! longe adhuc serenitas haec non nisi minimae mortalium parti continget, quia obstetricantis aptitudo sublimiori solum mentium cultu fovetur, nec consistere sine morum liberalitate potest.

Tardior artis repurgatae aetas in Austria, et Germanorum ferme Terra a regimine glorioso Augustae MARIAE THERESIAE orditur. Summa quippe inter caetera Divae Principis in genus humanum ea benignitas erat, ut in amplissimis suis regnis medicinae studium excitare, eique superstruere gentium suarum felicitatis partem vellet. Atqui regiae huic providentiae omnium primo res obstetricia se excolendam praebuit. Hucusque scilicet obstetricum turba, qualecunque una ab alia acceperat, negotium suum insciae et agrestes tractabant.

Pauci vel nulli fere obstetricantes viri erant, iique solum in rebus extremis, ideoque fatalibus maxime exercere artem sueverant. Tum

tandem incassum reluctante fanatismo et opinione obstetriciis praelectionibus publica schola aperitur, imo studiosis viris demum partubus assistendi fit occasio. Tum interdicta legibus illorum omnium negociositas, qui sine praevia eruditione, et impetratis ante prudentiae suae testimoniis ausi agitare in parientium discrimen erant. Quo rerum ordine complures sane et aptiores aliquanto obstetricii viri foeminaeque in rem publicam prodiere. Sed majus tamen illa captura beneficium fuisset, si non tam multi, illotis manubus, atque sine omni aliarum disciplinarum exornatione in artem conjecissent sese.

Sublimior enim peritiae hujus exercitatio nunquam non ad chirurgos pertinuit, utpote ab manuum artificiis haud sejungenda, quoniam non in solis cognitionibus ea versatur, sed a peritis magistris ex consuetudine et repetito usu addiscendam simul dexteritatem postulat. Verum enim vero moesta antecessit studiorum reformationem epocha, ubi avarissima erat omnis institutionum supellex, quum a chirurgis vulgo nihil unquam supra mediocritatem praestandum esse, neque expectandum credebatur.

A multis retro decenniis anatomiam equidem et chirurgiam praeclari viri tradidere. Nec tamen longius celari poterat, exactissimam dissectionem, sine ullo illius ad vivum corpus usu, et perfectissimas in re chirurgica notitias, solas modo ab aliisque primis disciplinis et praesidiis sejunctas, a professore intima qui-

dem persuasione, intimoque veritatis sensu prolatas demonstratasque, a discipulis autem obiter acceptas, neque visas satis et percogitatas neutiquam respondere summis finibus posse.

Defuit quippe salutari studio ea olim stabilitas, et firmamentum, quo artem ab opificio discernimus, et a mercenario negotio scientiam. Ad cujus quidem dignitatem nobilis chirurgia pridem se ipsa evexerat, donec haud usurpata et integra proprio sibi vigore stetit.

Ex fati demum benignitate evenit, ut JOSEPHI II. auspiciis, laboribusque complura, quae in publicas utilitates tendunt, inchoata maturescerent, ac inter tot alia beneficia, altiore intellectu et prospicientia Princeps, doctrina sanitatis conservatrice jam quidem ampliata, omnem illius partem spretam hucusque, ac neglectam maxime, singulari foveret affectione.

Adsunt hinc aedes Illius Munificentia et Auspicatu chirurgiae scientiis sacrae: perenne in aevum Monimentum! quo Excelsi Conditoris liberalitas, et fervens artis promovendae voluntas et procuratio ad seros nepotes durant. Ab hoc instituto Austria, imo Germanorum omnis Plaga academiam sibi publicasque chirurgiae scholas gratulatur, ubi gravis ars cum omni adnexa scientia liberalissime docetur; ut hic certe Fundatoris profusissimas largitiones adeo miremur, ac in alio apud exteros simili athenaeo ambigere licet, ne rerum ibi omnium inopia imputanda soli parcimoniae sit.

Quoniam vero fieri haud potest, ut, qui in maximo regno quaquavorsum dispersi ad chirurgiae studia aspirant, ob capiendas institutiones Vindobonam petant; voluit quoque Bonus Princeps, in plerisque ditionum suarum oppidis similia prope gymnasia constitui, ampliarique. Quibus in rebus omnibus, qualis munificentia fuerit, regiusque decor, id facta docent, monimentaque commonstrant. Videtote aedium magnificentiam et splendorem; bibliothecarum et musaeorum in rebus physicis et anatomicis divitias; tot collecta ex universo orbe exemplaria naturae; pretiosissima tot artium omnium, operarumque specimina, eaque omnia in hunc liberalissime aggregata finem, ut ad publicam prosperitatem faciant.

Quibus in comparandis Ipsi illi mortalium Optimo nihil nimium videbatur, qui pro aliorum commodis ea sibi in proprias fere necessitates postputavit, quae tribuere sibi quilibet honoratior civis solet.

Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum.

Atque singulari huic beneficentiae nosocomiorum quoque et hospitiorum emendationes, amplificationesque et in urbe, et in provinciis debemus. Ea quippe erat plerorumque ruina, ut duplicata in iis pauperibus miseria esset. Augustus, qui a juventa nihil magis in deliciis habuit, quam mortales levare ab aerumnis, earumque, quo posset tollere, experiri cau-

sas; qui in frequentibus et per suas extraneasque regiones itineribus visere ante omnia miserabiles in valetudinariis consuevit; qui toties in cava infortunii et desperationis, ubi nulla benefica lux unquam penetraverat, divinum solamen descendit; idem Princeps, cujus humanissimam affectionem, ac gentibus aliis insolitam Regis popularitatem mille scripti, a peregrinantibus popularibus suis reverenter et amoris sensu, ab exteris cum admiratione et observantia aspecti lapides loquuntur, hic ille Amicus hominum Rex intellexit, miseros mortales vel ibidem, ubi sospitatos credebat, sua etiamnum tuitione, operaque Sua egere, annuitque opem.

Illius jussu et in rebus adornandis prudentia et aequitate, tum maximam partem propriis suis impensis, juxta centena alia in miserabilium juvamen instituta, etiam largissimum istuc, in quo degimus, conditum nosocomium est. Certum non modo et securum cuique pauperi, indigeno ut et extraneo, patens asylum, sed aliis quoque laetiori vita utentibus opportunissimum refugium. Hic namque Optimus Fundator hominum quin imo commoditatibus providit, quum aliis in regionibus nequidem coeptum subveniri illorum necessitatibus sit.

Aegris, inopibus, insanabilibusque hac clementia prospectum. Tum convertit etiam JOSEPH faciem in parvulos, et in sortem genitricum, quas non paupertas modo, sed vulgi etiam durum judicium premit, propterea, quod

haud sapienter reluctatae illecebris sint, quibus teneriorem natura sexum ad explenda sua munera ducit.*

Equidem jam antea quoddam erat ad *S. Marcum* hospitium, ubi libera Venere in utero habentes ponere partum possent. Verum tamen ea fuit anguli miseria, ut solummodo, quibus ob longas calamitates nihil tandem non tolerabile erat, ibidem se absconderent. Permultae aliae, quod ipsius loci nomen horrebant, primae cuique vetulae se velut praedam dederant. Tum excluso partu mox de alenda prole novae sollicitudines. Deerat quippe publicum, et satis dotatum institutum, ubi inops mater tutamen et victum invenisset pro infante, quem paulum ante intus in se fovere, atque nutrire ex suo sanguine poterat.

Fundatione aedium pro expositis natis Beneficus Princeps et huic pauperum generi profuit, praebuitque gentibus rarum simul moderationis, justaeque tolerantiae sapientissimum exemplum, quo evulsum aliquando praejudicium cecidit, cujus execrabili vi multa muliebris juventa parentum suorum onus et propriae prolis, suique ipsius, facta internecio est.

Nunc omnis ventrem ferens, undecunque advena, matrimonio juncta, seu libera, cujuslibet cultus, inops opulentaque, tutum et commodatissimum habet refugium. Dumque etiam, quae stipendia solvunt, modica illis praerogativa sit, pertinet tamen haec ad commoditates dumtaxat, queis carere sine injuria et taedio

aliae possunt. Gaudent caeterum singulae communi tutela, et jure, paribusque ferme cum natis fruuntur commodis. Quippe et hic nihil omittebatur, quod conducere quodammodo ad complendum institutum possit, quale jam pridem, fultum piis aeque legibus, familiarum in pacem, et genitricum tot proliumque in sospitationem, omni hominum societati stare prope ad similitudinem deberet.

Medicinae quidem ac chirurgiae studiosis, ut et novis obstetricibus prius jam adesse partubus in nosocomio licuit; nec tamen certa et propria erat institutio. Nimirum ubi a magistro erudiri oportuit, ibi rerum ultima: gravidae videlicet defuere, ac puerperae; necque locus ipse pro pluribus quam senis ad summum suffecerat foeminis.

Quare haud longius latere Imperatorem potuit, praegressis tot insignibus universae medicinae augmentis, artem etiamnum obstetriciam solerti magis et frequenti exercitatione indigere, quum, si in ullo, in hoc praesertim munere moderamen professoris omne eruditionis absolvat opus. Constituit igitur propria motus mente et intelligentia omnem hospitii eam partem, quae egenas gravidas suscipit, in publicam scholam. *Quae enim*, inquit *Augustus*, *schola respondeat, complures capiat gravidas. Ad aegrorum lectos idem semper est accessus; adsunt nunquam non et aeger et morbus; aliter cum gravidis est; hae, quo parturiant, stringi se ad tempus non sinunt.*

Quo nunc in instituto omnes imposterum edoceri debent, qui artem exercitandi licentiam cupiunt. Degunt ibi sex tirones, totidemque obstetrices, qui ad tempus habitatione, lignis, lecto, et lumine gratis utuntur, partubusque ad normam temperante magistro possunt adesse. Praeter quotidianam ad parientium puerperarumque lectos doctrinam bis per hebdomadam de arte praelectiones habentur, ad quas omni alumno, itemque et obstetrici liber aditus est.

Quum igitur Serenissimus Princeps officium Professoris in hac schola summa benignitate in me contulit, posteaquam illius regio favore peregrinationibus in Gallia, in Britannia, Italiaque susceptis, tres et ultra annos praestantissimos inter viros versatus, et ad perficiendam in arte aptitudinem illorum institutione et exemplis diu et maximo cum lucro perusus fueram; a praedicanda ultra hujus ordinationis laude abstineo, quum metus subsit, ne forte, quae de schola dicerentur, putari velle de illo videantur, qui scholae praeest. Liceat nihilominus, paucis exterorum, penes quos ars nostra hucusque eminuit, docendae illius, discendaeque rationes attingere, ut narrata comparatione clarius innotescat, qualis hujatis instituti merito honos et aestimatio sit.

Multi quidem Lutetiis Parisiorum dexteritate excellunt chirurgi, obstetriciique viri, arte etiam docendi insignes; habentur porro in quibusdam lyceis publicae in obstetriciam lectio-

nes, haud absque notabili in doctrina commodo. Neque tamen sileo, deficere ibidem technicas tot, tantasque, quantas ad nos rumor pertulit, opportunitates. Appellata scilicet obstetricia *amphitheatra* nil nisi reclusae quarumdam obstetricum angustae et tenebrosae habitationes sunt, ubi omni septimana et candidati et juvenes obstetrices, collata mercede, degentem unam alteramve gravidam explorare, deinceps coram professore alius super axillam alterius adspectare foetum possunt. Coetus ut plurimum quadraginta et amplius, singulatim ad opus ex remotissimis plateis et domubus convocatorum hominum. Cuilibet licitum contrectare parientem est. Sub actu vero partus adstantium quidam, ducta sorte, foetum suscipit, atque ita partum exegit.

Alienum sane est, in populosissima urbe, et in tam numeroso nosocomio (Hôtel-Dieu), ubi per annum mille quingenti et ultra partus fiunt, nullam obstetriciae scholam esse. Sed quidnam, si in eadem urbe, qua permulta millia hominum omni morborum genere in hospitiis cubant, in medentium, aut potius in aegrorum damna, necdum haberi technicam medicinae scitis?*) Satius aliquanto artis scholae in Anglia et Scotia conferunt. In Edinburgensium nosocomio discretus arti obstetriciae tractus est. Plura quoque talia hospitia, sed ad

---

*) Ita certe ante mutationem rerum publicarum erat.

compendium modo, Londini habentur, frequenti minus longe, et difficiliori, quam apud nos, accessu. Imo pluribus exteris praeclusum ferme omne ibi institutum est, nisi opulentia, aut Maecenas obicem reseret. Adeat tamen, quisquis potest, Galliae illas, Britanniaeque musarum sedes. Etenim omnis, item jam excultus disciplinis, nova ibi in scientiarum artiumque omni genere loca et augmenta invenit.

Tamque rara et pretiosa adipiscendae artis opportunitas iis imo in regionibus est, ubi illa quammaxime floret traditurque. Quidni de locis aliis dicam, ubi nec pro quantocunque pretio ad exercitationem datur occasio? Penes nos tironibus cuncta gratis veniunt; habitatio perinde atque eruditio. Hic unica hebdomada pluribus partubus duce magistro possunt adesse, quam ubicunque alibi multos intra menses.

Dum igitur Augustissimi auspiciis hujus doctrinae provinciam aggredior, quo lectos Illius munificentia fructus dispertiri in plures queam, in nulla alia re magis elaborabo, quam ut gravi munere, nunquam non dignissime perfungar. Verum tamen et in vestrum, Carissimi, animum solertiamque eam spem colloco, fore, ut unitis viribus laborum socii et amici sitis; idque eo certius, quod recte, ut mihi videtur, utilem doctrinam aestimetis, neque, ut tot alii, in hac versemini opinione, totam artem obstetriciam sine pondere, imo medico non satis dignam, remque plane supervacuam esse.

Recta utique ac vera ars obstetricia non

tam arcte circumscripta est. Quin potius inter omnes medicinae partes maximam cum aliis quam pluribus doctrinis affinitatem et necessarium quoddam vinculum habet. Multifariae quippe graviditatis, parturitionis, ipsiusque puerperii affectiones sunt, et accidentiae, ut itaque in modo curationis etiam et in auxiliis ipsis, mox ex hac medicinae parte tum forte ex illa petendis, maxima dissimilitudo et varietas sit. Ita quaedam ex mathematicis obstetricans speciatim necessaria habet, quibus chirurgus minus indiget, ac ferme carere sine noxa medicus potest.

Felix insuper memoria, perspicax judicium, et recta mens in quavis alia medicinae opera, post praeceps a regulis ad exercitium iter, in re nova et insueta adjuvant; verum secus in obstetricia accidit: praestantissimis animi dotibus, nobilissimis praeceptis, et insigni quavis a natura concessa pernicitate, sinister tamen et peregrinus ad parturientium lectos haesitat omnis obstetricans, quamdiu experientia nondum oculum in digitis sibi, promptumque consilium in animo posuit.

Tantum opus ars obstetricia est, quia plurima non nisi aptato ad eam sensu percipiuntur; deinde quod indicata praesidia raro moram patiantur, et sub manuali opere oculus instrumenti manusque nec explorator esse, neque ductor possit; demum quod universim in hac arte operationes nequaquam, ut in reliqua chirurgia, velut ad numeros et metata spatia fiant,

Vos vero, Amatissimi, notitiis, quae ad obstetriciam addiscendam faciunt, jam ornati, eo magis in illa proficietis, quum omnis, quae ad facilitandum studium idonea est, vobis quoque occasio promptissima sit. Ne igitur in harum commoditatum perfruitione cupido vestra et solertia desit, sed avide illis utamini ad prosperitatem. Ita enim Optimi Imperatoris exspectationi a vobis grato respondebitur animo, cujus benigna procuratione in artis incrementum, civiumque salutem nova haec technica schola imposterum patet.

APHORISMI
DE
SYMPHYSEOS OSSIUM PUBIS SECTIONE.

MONITIO. *Quae in sequentibus aphorismis de* Symphysiotomia *dicuntur, etsi magnopere elaboraverim, ut verbis quam planissimis dicerentur, vereor tamen, ne passim, ubi de lucrando spatio est sermo, res ipsa obscurius expressa sit. Quae quidem culpa auctoris potissimum est; quamquam negari alioquin haud queat, nonnulla ex ipsa sua natura, non tam verbis, quam lineis et pictura sensubus subjici. Itaque tiro obstetricius, cujus interest, rem altius perscrutari, in perlegendis aphorismis difficilioribus pelvim naturalem vel delineatam ob oculos sibi ponat, lineasque in eam, prout indicatae sunt, sedulo transferat.*

Fallunt nos oculi, vagique sensus,
Oppressa ratione, mentiuntur.

PETRON. *Fragm.*

I.

Pelvi ita conformata, ut instituta quamquam Symphysiotomia spatii satis non adquiratur ad transmittendum innoxie foetum; quum id spatium efficere rarissime possis, a secanda

pubis cartilagine prudens abstineto. Itaque sectio, quam dicunt, caesarea, praetermisso artis utriusque periculo, symphysiotomiae substitui fere semper, haec illi perraro potest.

II.

Pelvi subangusta, caeterum non informi, ejusque diametro ab osse pubis ad sacri promontorium porrecta pollicum quatuor; ubi ossa pubis ad pollices duos dissueris, diametron ipsam lineis tribus, ad summum quatuor auxeris. Vergentibus a summitate introrsum magis ossibus pubis, atque adeo breviore etiam conjugata, minus in hac elonganda lucrifacies, pube quamvis pari ratione divulsa.

III.

Spatium symphysiotomia comparatum foetus capiti eatenus erit opportunum, quatenus major minorve illius superficies fissurae apte ac commode se committere poterit. Itaque si ossa ea (quod ad exemplum ponimus), pollices duos inter se disjuncta fuerint, segmentum capitis huic intervallo insinuabitur, quod pollices duos longam, vel si mavis, latam basin, variam vero habebit altitudinem, prout nempe caput diversa parte suae peripheriae ingressum fuerit; ut tamen raro ultra tres lineas exsurgat.

IV.

Pubis fissura pelvim nonnisi in transversis et obliquis diametris notabiliter distendit. Quodsi itaque usus symphysiotomiae aliquando esse potest, tum demum videtur indicari, quum

pelvis ex utraque parte, scilicet ad utrumque ileum, adeo coarctata est, ut haud ulli leniori auxilio locus relinquatur, ipsaque pubes sine gravi noxa usque se divelli patitur, ut caput, quemadmodum in oram fuerit illapsum, aut per artem regi in ea potest, commode transmoveri queat.

V.

In cadaveribus ita est: ut si trunco, cruribus pedibusque in longum porrectis, hisque longitudine pedis unius aut duorum a se abductis, cartilago pubis distringatur, divisura ea tres quatuorve lineas plerumque efficiat. Quodsi deinceps crura leviter tolluntur extrorsum, sensimque ad ventrem moventur, ossa ea pubis disjuncta, pro varia nempe ossis sacri et interjectorum ligamentorum cartilaginumque ratione, majore hiatu secedent; qui tamen hiatus, etiamsi cartilagines nequaquam in ossa obduruerint, sine summa contentione et imminenti lacerationis periculo vix ultra 1 $\frac{1}{3}$ poll. poterit urgeri.

VI.

Longissimo vero intervallo pubes disjugatur, quando crura, ad justum modum distracta, ita sursum et extus moventur, ut utraque cum trunco corporis subtus in acutum angulum desinant.

VII.

Quum vis musculorum in corpore vivo intensior, partiumque major sit elasticitas, quam in mortuo; quumque in gravidis ligamenta pel-

vis molliora fiant, magisque ductilia; ratio facile apparet, cur repetitis in cadaveribus experimentis nihil prodierit certi, quidque sit causae, quod in gravidis, ac praesertim parientibus cum minore damno posticae commissurae pelvis, molliumque partium majus, quam in mortuis, ac ne quidem in ultimo graviditatis stadio extinctis, comparari spatium possit.

VIII.

At vero, utut bene agatur, fieri tamen non poterit, ut dissecta pubis ossa, sine imminenti pernicie, ne in vivis quidem, ultra pollicem et dimidium dimoveantur. Sed finge duos pollices: quanta inde accessio ad pelvis diametros erit? et ad pelvim ipsam? In pelvi sicca naturali vel adumbrata, cujus os sacrum, qua parte in eminentem ilei lineam currit, pollices duos cum dimidio latum et sesqui pollicem crassum est; quae pelvis a medio promontorii usque ad pubis commissuram pollices quatuor, tum ab eodem medio ad extremum paene alterutrius pubis superioris rami, uti ab ipso corpore et interna facie unius ischii ad alterum, pollices duos et dimidium emetitur: ubi ossa pubis ad pollices duos disjuncta erunt, in linea ab sacro osse ad pubis superius crus protensa, nonnisi pollicem dimidium, in designata vero transversa diametro, ab uno scilicet ad alterum ischio, pollicem unum profeceris. Simul fracta distortaque inter se ilea et sacrum, qua committuntur, ex alterutra parte, plus minus linearum quatuor aut quinque violentum spatium monstrant.

Haec porro intervalla in hac, ut in omni alia pelvi, lineis definiuntur, e medio spatii dispulsorum pubis ossium, a labioque inferiori marginis articulariae unius alteriusque pubis ad postremam symphysin sacro-iliacam, item ab utroque pubis dissolutae latere in apicem promontorii excurrentibus.

IX.

Atque istae lineae earumque altitudines et anguli indicatas non tantum, sed quascunque etiam transversas pelvis diametros finiunt. Dehinc, quodsi ab extremo cujusdam lineae, a margine inferiore symphyseos ad ileum ductae, alia ad finem usque adversae homologae tenditur, tum quoque altitudo pelvis, quantum illa quidem prodesse capiti foetus poterit, demonstrabitur. Ubi dein arcum a posteriore vel laterali capitis foetus non praeter naturam grandis parte, id est, a posteriore sive laterali capitis segmento, super eam ipsam lineam erexeris; quantum membranae eae molles et musculi ab inclusa capitis superficie alioqui jam praetensi sursum atque in utrumque latus amplius distringantur, facile deprehendes. Postremo et hoc patet, divisis aequali spatio ossibus pubis increscere ferme descriptos angulos eo magis, quo illa propius ossa sacrum attingunt os; verum simili in casu ilea quoque violentius multo ampliusque ab ipso sacro divelli.

X.

Propositum esse omnis symphysiotomiae debet, servata matre foetum educere vivum. Itaque inprimis ad spem certam prosperi exi-

tus necesse omnino est, ut ante omnia spatium sufficiens absque peculiari et insigni aliqua noxa effici posse, provisum tibi sit. Atqui a periculis artis hactenus tentatis certi nihil infertur, quo ante definias, ne aliquo et quonam intervallo ossa pubis sint dimovenda. Nam qui artis ejus usum experiundo hucusque laudaverunt, verisimiliter vix non omnes probitati fucum fecere.

XI.

Verum ut ossa pubis sine noxa dividi posse certo scias, interjectae inter os sacrum et ilea cartilagines et ligamenta, ossium varia latitudo, item et crassitudo, ipsaque partium pelvis tota compages magnum habent momentum; ut propter ipsa haec discrimina ne quidem in theoria certi quidquam vel absoluti statui queat.

XII.

Denique obduratis plus minusve in osseam compagem posticis cartilaginibus (quod fieri aliquando, pelves in os continuum concretae, eaeque informes plurium in juventa ferme mortuarum monstrant) nullo modo pubes secari et diduci potest. Quo magis id timendum in foeminis est, quarum ossa et cartilagines jam diu labe aliqua affectae prudentium suspiciones movent.

XIII.

Finge ossa pubis secari quidem, sed tum vel nullatenus vel non satis apte distrahi posse; qua nunc se vertere obstetricius? quid consilii? quae angustiae? An delusus inutili fis-

sura ad detestatam *Symphysiotomis* ac revera ominosam sectionem ventris confugiet? Num manu ferroque in quassa et laxata pelvi fodiens parientem, novo et repetito insultu, ultra quam natura fert, sub doloribus trucidabit? Aut vero nudus omni consilio inersque spectator frigide operietur, dum foetus in dissecta nuncque ipso partu rumpentia ossa penetrans tardus matricida fiat?

XIV.

Atqui simile discrimen omnis ferme sectio pubis portendit; quod tam multae ac variae sint adversitates, quae possunt ingruere; sed ne una, quod futurae non sint, neque minima habeatur securitas.

XV.

Neque vero dubito, quin symphysiotomiae laudatores in eosdem inciderint scrupulos; ut neque diffitear, qui sectionis et commoda et beneficia jam ab ejus incunabulis se pernovisse gloriantur, hos ipsissimos rem asperam facillime exaequaturos esse.

DE RUPTURA VAGINAE,

ET

FOETUS PER EAM IN CAVUM ABDOMINIS TRANSITU.

Recte autem fiunt haec: morbos cognoscere, qui sint et a quibus et qui ipsorum lethales et non lethales; et cum curas, possibiles quidem curare, impossibiles vero scire, cur curatu sint impossibiles.

HIPP.

Vaginam sub parturitione nonnunquam affligi, vel causa extranea internave laedi, imo lacerari, nemo ignorat. Verum aliquando rumpi, ac foetum per vulnus decidere in ventrem matris, haud communis scientia est. Vetustissimum lacerationis vaginae, at sub titulo rupturae uteri inscriptum, exemplum in *Stalparti van der Wiel* observationibus legitur. En historiam!

„Cum *Jonae Pergo* filia jam quater peperisset, nec sine maximo dolore atque incommodo singulis vicibus edidisset partus, quinto uterum ferens haud minoribus agitata cruciatibus, ac satis diu, antequam pareret, vehementius longe, quam quidem praecedenti tem-

pore, infestata fuit, usque ad tertium ad partum diem; ab hoc enim tempore multum sibi obvenisse levaminis fatebatur. At quum jam ipse instaret pariendi actus, nullo modo emittere obstetricis ope valuit foetum, qui jam ante dies aliquos extinctus videbatur (uti postea ex mutatione, ac separatione cutis illius satis liquebat), quique flexis post cervicem manibus, atque ore oblique sursum ad os pubis elevato, reperiebatur; ita ut varia ac gravia admodum jam parturienti semper magis magisque supervenirent symptomata; videlicet, non deliquium tantum, oppressio, horror ac febris, sed et plurimarum obscure viridium faecum vomitu rejectio, quoniam foetus intestinum rectum, cui proximus erat, ita premebat, ut excrementis per inferiora negaretur transitus. Ad hanc mulierem tantis pressam angustiis, nec parere valentem, arcessitus tandem mecum fuit experientissimus chirurgus *Cornelius Solingius*, nunc etiam medicus, qui me praesente brevi postea jam mortuum eduxit foetum. Quo facto, quia non ita facile educere secundas poterat chirurgus, in ipsius mulieris corpus immittere manum, quam funiculus ducebat, coepit; sed intestina prius, quam uteri placentam sensit. Hanc vero illico postea reperiens, tribus partibus propendentem sensit in abdomine extra uterum, quem, quoniam jam ante aliquot dies foetum emiserat, pro maxima parte dure admodum compactum, atque in se contractum comperit, ita, ut initio scirrhum crederet. Ille

itaque porro secundam, ubi etiamnum adhaerebat, ab utero separavit, cartilaginemque, cujus ope pubis ossa conjunguntur, omnino mollem evasisse, ac dicta ossa ad digiti latitudinem a se invicem recessisse haud dubie sensit. Ipsa autem mulier tantis victa laboribus angoribusque eodem die vivere desiit. Postridie autem, me, fratreque *Joan. Stalparto van der Wiel* praesentibus, illius cadaver a dicto *Solingio* fuit apertum. Tum vero venter ante dissectionem mirum in modum extensus, ac protuberans apparuit; illa autem facta ex magno illo tumore nihil a nobis effluere animadversum est, praeter foetentem flatuum copiam, nec non parcum coagulati, bonique coloris sanguinis, qui ex cotyledonibns, aut multo magis ex uteri vasorum ostiolis, quo tempore ab eo avelleretur placenta, illuc defluxerat. Postea dictus *Solingius* manum ab exteriori parte per vulvam in cadaver immisit, atque iterum intestina recedentemque supra os pubis uterum reperit, cujus partem inferiorem paulo supra internum os versus posteriora (quo scilicet loco communis membrana a peritonaeo proveniens intestinum rectum simul cum utero cingit, vestitque) ruptam invenit, per quam aperturam totus foetus, exceptis capite brachiisque, ut modo dictum, post cervicem flexis, in matris ventrem transierat. Atque haec quidem causa est, quod idem, ampliori spatio reperto, levamen aliquod matri, ut supra enarratum, paucis ante partum diebus attulerit."

Similem casum divulsae ab utero vaginae etiam in *Boneto* legimus; quin tamen locus et natura offensionis unquam perspecta fuerint. Ita etiam *Pouteau* olim lacerationem vaginae male cum ruptura uteri confudit.

Pro mea opinione *W. Goldson* novissime rupturam vaginae, qua foetus in matris ventrem exciderat, rectius cognitam habuit, perscripsitque. Historiam ita prodit:

„Anno 1786 vigesimo die Augusti *Wallerus Gosportiensis* petiit a me et *Aylwardo*, ut secum foeminam *Wilkins* inviseremus. Erat annorum circiter triginta, fortis, brunea et ad labores sueta mulier. Quarta nunc trahebatur foetura. Ac licet priores partus moleste habuit, foetus tamen vivos et sine ullo adjumento enixa est. Sed gravissime omnium haec ultima gestatio praeteriit; aberat in domesticis negotiis consueta facilitas, infestis insuper doloribus in lumborum regione."

„Quatuordecim diebus ante *Wallerus* primum accersitus, quia dolores in gravida ex falsitate nisus censebat, medicinam ex opio scripsit. Posthac praegnans ad diem decimam nonam valuit; qua rursus advocabatur. Instituto examine os uteri vix pollicem ex diametro habuit. Tum rupto sponte amnio iterata exploratione caput contrectatur. Verum quia altius institit, situs ejus necdum definiri aptus erat. Quumque nihil aliud in muliere obesse, quam partus ex tarditate videretur, res commissa naturae est. Aliquas horas uteri ore admodum

ampliato, nec spes deerat, partum fore ex ordine. Attamen capite foetus pelvim haud ingrediente in vanum cessit exspectatio. Aegram insuper spasmus sinistri pedis prensat, unde mox quovis sub dolore ex tota corporatura ita affligitur, ut prae vehementia altos tolleret clamores. Fracto insultu ultimo, videri sibi ait, hac vice dolorem penitus saevisse in uterum. Nunc etiam ex vagina modice sanguis fluit cum quadam constantia, et imminutos nixus tormina excipiunt. Depleta vena et injecto clysmate temperans pharmacon datur."

„Hora praestituta denuo invisentes veros nixus cessasse vidimus. Aegram ingens anxietas tenuit, et magna sitis cum violento vomitu, dolente ad contactum ventre, in quo maxime sensum ponderis incusabat, quod ad omnem mutatum situm ex alterutro latere recidere in oppositum dicit. Facto iterum per vaginam examine nihil amplius infantis aderat."

„Quum calamitas satis nunc esset aperta, *Wallerus* plures peritos convocari petiit. Conventum versus meridiem, transactis jam in partu viginti quatuor et ultra horis, cum summa inquietudine, ac saevo in pube praesertim dolore, pleno quidquam et celeri pulsu, et gravi anhelitu. Ardens praeterea sitis, multa vomitio, oppressum pectus, et frigidus in facie sudor. Postquam ab aliquo tempore, juxta quod inscie exstillavit, nihil aegra minxerat, immisso cathetere parca dumtaxat rubra sanies exiit."

„Perspectis his passionibus earumque cognita similitudine cum illis, quae aliam à *Douglassio* ante suspicatam et descriptam in utero rupturam comitabantur, necesse fuit, explorationem tota manu tentare. Parvum factu. Incidit primum retro amplus tumor, haud immobilis; neque tamen caput infantis erat. Mox *Wallerus* manum in contactu cum intestinis habet; quid ergo officiosius, quam in pedes foetum ducere? Quod expedite ac ferme sine profusione cessit. Sat plenus et probabiliter a delapsu suo in abdomen mortuus infans erat. Atque etiam placenta in ventre delituit, eximi pariter facilis."

„Quoniam inventus ante tumor nondum certe cognitus, neque sub versione multum passa mulier erat, non ab re videbatur, viscerum reique omnem statum denuo indagare penitissime. Tum *Wallerus* manu vix inducta, tumorem recedere a digitis, eumque esse ipsum uterum sentit. Percepit etiam, non vulnus uteri quidem, sed in eo loco, ubi vagina cervicem amplectitur, orificio uteri integro, ac ita contracto jamjam, ut duos vix reciperet digitos, rupturam vaginae adesse. Facta incassum omni medicina aegra sub passionibus a phlogosi maligna peritonaei et intestinorum periit."

„Concessa sectione cadaveris ad primam aperturam in ventre vis reclusi aeris prorupit. Peritonaeum inflammatum et multa plaga *gangraenosum* vidimus; item expansa aere et inflammata intestina, luteo colore, sed distinctis

pulchra rubedine, et arte quasi injectis vasorum ramis. *Sphacelosae* multis locis maculae erant; conglutinata intestina; item inflammatum et in globo quasi compactum omentum. Venter copiam serosi sanguinis reclusit, cunctaque in cavo aspectum habuere, ut in corporibus mulierum, in quibus mors ex febre puerperali sequuta est."

„Uterus cum tunicis suis omnino sanus, praeter sinistrum ovarium, quod in peculiari cystide tredecim et ultra uncias clari fluidi habebat. Orificium et collum uteri salubre; sed vagina extenuata valde superius, ubi uterum ambit, disrupta erat, ut rima usque ad medium fere peripheriae uteri, ac cummaxime ad sinistrum excurreret. Ipse uterus, quemadmodum brevi a partu solet, contractus, et illius orificium ita erat, ut *Wallerus* post primum examen recte edixerat. Peritonaeum prope ab uteri fundo signa incepti sphaceli monstravit. Sectus uterus maxima parte pollicem circiter crassus, intus sana caeterum superficie, aliqua adhuc deciduae vestigia habuit." Haecque ab aliis.

Nunc vero memorabilem lacerationis vaginae alium casum perscribam, qui in schola obstetricia 13. Januarii 1790 contigit. Profecto, quum anno ante scripturae huic ex anglico sermone in germanicum transferendae operam dabam, minime exspectavi, fore, ut mox in proprio instituto fusius de re disserendi occasio esset.

Atque morbus licet perinde tristis et incapax sanationis erat, confert tamen ad dilucidationem illius narratio; quod permulta in nostro tractatu rectius inde definita, alia omissa, alia addita sint.

Maria N. duos et viginti annos nata, agrestis, mediocri forma, et bilioso habitu, caeterum haud infirma et primum gravida mulier fine Decembris 1789 recepta in hospitium fuit. Nocte ab 11. ad 12. Januarii 1790 questa a primo mane de doloribus circa os sacrum et lumbos ex gravidarum mansione in cubilia parientum ducitur. Explorando cognovit obstetrix, restante adhuc amnio, ad pollicem ampliatum et alte positum orificium esse. Egomet aegram diluculo 12. Januarii vidi. Noctem multis et molestis quidem, sed invalidis egerat doloribus, cunctanter procedente in dilatationem ore, et manante furtim suspecti coloris aqua.

Retulit assistens chirurgus, parientem per horas acres dolores habuisse; hos autem a prima luce nunc usque notabiliter minui; item caput foetus ab illo tempore non ultra descendisse, verum potius recessisse videri; angustam ferme in conjugata pelvim esse, et in vagina digito quandam percipi laciniam, quam ipse, ut etiam obstetrix, quum aegra in cubili advenerat, protinus observavissent.

Magis simul viribus defecta pariens, quam quidem ad impensum tempus et perspicuas passiones congruebat. Etenim praeter celeriorem et debilem quidquam pulsum nihil peculiariter

admonuit. Venter in debitam rotunditatem extensus, neque dolens erat, nisi mediocriter super pubem, parte aliquanto rudius pressa.

Id, quod facto primum manu examine offendi, commemoratus ille in vagina lobulus fuit. Prima contrectatione placentae esse particulam credidi, eoque magis, quod pollicem inter et indicem fortissime, quin minimum sentiret aegra, comprimi posset. Verum toto partus tempore sanguinis nec gutta fluxit, nec vestigium illius in vagina reperi. Neque ducebat lobulus ad os uteri; sed evidenter ex vagina haesit. Pelvis margo superior, conjugata licet angusta, nequaquam tamen adeo abnormis, ut partum sine mora facere ex arte oporteret. In antico et laterali margine aperturae superioris vertex infantis cubuit, ex medio sui ambitu molli carne circumdatus, quae relictam, ut interdum fit, a cervice uteri fimbriam simulabat. In antico etiam potissimum caput super ossa pubis nitebatur. Aegra, inter nycthemerum bis soluta alvo, in tertium diem inscia urinae stillicidium, imo incontinentiam habuit; quin tamen dolorem in vesica, sive mingendi conatum, aut simile passa aliud fuerit.

Quum pariens potum acidulum, maxime vinosum, appeteret, commixtum aqua vinum lubenter concessimus. Applicita ad ventrem fomenta, et injectum clysma cum opio. Ad meridiem rursus invisi. Idem fere status, ut mane, praeterquam quod intra tempus subviridem et mucosam materiam vomuerit, dolente per atta-

ctum

ctum regione circa praecordia. Rediere per vices conatus et dolores, a similitudine pariendi nisus vix alieni. Igitur, quo de re certior fierem, tota manu tentavi; nec moleste magnum capitis ambitum comprehendi. Incubuit nempe caput, sicut mane, sutura *sagittali* in diametro pelvis obliqua, facie retro ad rectum os ilei spectante. Quoad carnem in vagina et reliquas partes nihil clarius cognovi; vagina ipsa nec inflammata, neque dolens erat. Interea retractam manum flava sanie obductam habui, quae quidem non tam gangraenam, quam dilutum meconium et amnios redolebat. Confisus caput meliori forte nixus reditu usque in aperturam depressum iri, ut instrumento eximi posset, convenire vesperi hora sexta tirones monui.

Ad tempus congressi experimur ex ministrantibus, praeter auctas omnes passiones, miseram vomitu rursus et ante horam gravi deliquio prehensam fuisse. Pulsus mire fatiscens, difficilis spiritus; et litum mortis tenaci et frigido sudore os. Ex quibus quoniam apparuit, nihil posse in salutem curari; contra parientem quavis periclitatione confestim occasuram esse; tum etiam, quod aperte foetus mortuus inerat; alioqui moribundae a novis poenis parcere omnium humanissimum putavi.

Obiit post sex horas secunda matutina. Tum, brevi mollitum ex morte ventrem pro aequabilitate parans, ad faciendam in linea alba sectionem, membra foetus et alias partes subter tegumenta distinctius percepi, quam

vulgo licet, atque ante poteram. Incisa post carne ventris copia foetidissimi aëris erupit, et producto cultro confestim infantis dorsum sub peritonaeo in conspectum venit. Incubuit scilicet capite super aperturam pelvis, facie retro ad rectum latus versa, reliquo corpore ac pedibus ferme extensis, ut hi porrecti infra sub costis matris essent. Tumefactus ac verisimiliter pridem jam mortuus infans ex tota cute nigre variegatus et omnis in putredine erat. Etiam placenta ex utero abiverat, et discolor ad illius fundum et ad partem intestinorum adglutinata haesit. Attamen nec in ventre, nec in vagina, imo ne in stratis lecti inventa macula sanguinis est, nec coagulati nec fluidi.

Ob casus raritatem, omissa porro disquisitione, ad diei lucem arcessitis aliis peritis et tironibus, agere utiliter ratus, nudas partes modo reposui et tegumentis custodivi In quo, dum sinistram manum per vulnus ventris et dexteram per vaginam ad superius limen pelvis admovebam, attonitus utriusque digitos obvios sibi, seque contingere sensi.

Nunc utique ex omni latitudine malum patuit; de quo quidem, quod fando audiveram, ipseque cogitabam, nunquam ambigissem, dummodo vaginam, cum foetus in ventrem per eam delapsu, sine sanguinis omni manatione, rumpi posse haud adversata fides esset, excepta forte, qualem hic casus docuit, unica conditione, si viscera scilicet per sphacelum lente et paullatim jam prius sunt exstincta.

Hora nona matutina ad sectionem perreximus. Disjecta cute sub intestinis nunc manifestius, quam mox ante obitum, putridis et tumentibus, conspecta placenta est, tunicis suis ab se penitus separatis, et supra chordam umbilicarem ita revulsis, ut velut marsupium formarent. Tunicae istae, ubicunque intestina contingebant, adeo iis erant agglutinatae, ut nonnisi summa diligentia, et ne hac quidem discerni sine laceratione possent. Ipsaque intestina variis plagis inter se conjuncta glutine, pariter ac peritonaeum et omentum livide variegata erant.

Ad demonstrandam lymphae conglutinandi vim et elucidandam inde *Hunteri membranaceae inflammationis* doctrinam, ubi cohaerebant partes, paucis modo in locis solvere proposui, ut intactis reliquis totum, ceu rarissimum sua specie ac unicum forte exemplar, in anatomicis praeparatis maneret. Verum, priusquam circumspexi, docta ad malitiam curiositas et intempesta concursatio cuncta vastaverant.

Vaginam insuper ad mediam longitudinem usque necrosis in toto corruperat. Eadem pernicies infra etiam uterum tenuit. In parte antica, ubi vagina collum uteri amplectitur, ea super tres pollices transversim lacerata erat. Retro ex gangraena foetidus et a reliqua vagina avulsus lobulus pendebat, eadem nempe insensibilis caro, quae, dum aegra vix in doloribus advenit, primo jam digito tractabatur, certa demonstratione, loci necrosin jam ante partum extitisse.

Etiam in vesica retro ex putredine damnum erat, ut ex circulari ulcere urina continuo in vaginam stillaret.

Contractus interea uterus, sicut post decem a partu horis assolet, intus ex superficie concreto et nigro sanguine tectus erat; qui diu etiamnum post adhaesit. Os uteri obiter corruptum, sed integrum et propemodo retractum. Post mensurata pelvis est. Promontorii a margine superiori pubis duorum pollicum, cum novem decimis distantia. Ossa cum genitalibus inter raritates scholae servantur.

In recensitis exemplis ruptura vaginae cum foetus in ventrem descensu, item cum sphacelo et vastatione vicinarum partium nunquam non mortem intulit; nec fieri in hac calamitate secus potest. Est vero laceratae vaginae, cum expulso simul in abdomen foetu, sed absque insecuta morte, felicius specimen. Memorabilis casus ante aliquot annos Londini in puerperarum asylo obvenit, observante *Douglasio*.

„Foemina, tristis historiae exemplar, quarta vice gravida, exili forma, triginta circiter annorum, subtili quidem, ne tamen insalubri erat habitu; quam, dum primum *Douglasius* visebat, ab octo horis defluxo amnio, continenter ex hoc tempore tentata in partum fuerat. Ore uteri licet admodum ampliato, foetus tamen caput parum admittebatur in aperturam. Inquieta sine more pariens circa viciniam pubis dolorem queri, volutare et contrahere corpus, velut saevissima torquente colica. Vix tamen turbatus pulsus.“

„Aliquanto post, revisente medico, obstetrix renunciat, parienti a vagina sanguinem exiisse, non tamen cum periculo; interruptos a bihorio esse conatus, et ab illo tempore torqueri aegram siti ac nausea. Elongata et cum frigido sudore facies est; brevis et anxia respiratio, parvissimo pulsu. Attamen misera praeter dolores circa pubem parum queritur."

„Quum simplici exploratione juxta rotundam aliquam mobilem substantiam nihil attingebatur, medicus eam pro capite foetus habuit, non tam ex securitate, quam conjectura. Quia autem aegra ad limen mortis erat, discrimen inter vitam et necem in suscepto illico partu stetit. Immissa manu mox *Douglasius* creditam foetus caput partem a digitis velut fugere sensit, manumque sibi in aliquo, nulli tantum, quantum utero, dispari spatio esse. Confirmata demum adtrectatione nihil dubii erat, quin manus moretur in ventre, cujus antica totus foetus, postera in oblongum globum contractus uterus occupabat. Neque gravis multum versio; aliquam modo, dum per supremum ostium pergit, moram caput habet."

„Sed etiam secundae in abdomen descenderant, amplexae intestina, iisque conglutinatae, ut ad separandum rursus inferre manum oporteret; nec hoc difficile. Inter haec visum *Douglasio* est, infra, et amplius sursum, ex transverso laceratum uterum, idque viscus post factam vulnerationem magis jam esse contractum, quam fieri posse in tam paucis horis credidisset."

„Mulier post omnia pericula, quae enteritis habet, benigna sorte convaluit. Tum circa quadragesimam diem, grates actura in *Douglasii* aedes se contulit; qua occasione ab ea petiit, ut explorari se a Doctore *Osborn* non abnueret. Integra inventa vulva, ac si nihil unquam alieni accidisset.“

Unde apparet, *Douglasium* rupturam non in vagina factam, sed in ipso utero censuisse. Nonne quilibet alius idem existimasset, quum vix credibile erat, imo sine aperto anatomiae monstratu nemo unquam concessisset, transire per os uteri foetum, et relicto ore per disruptam pergere vaginam, et quasi redire in ventrem matris posse?

Sed in hoc specimine vulnus non in utero, sed in vagina fuisse, sequentia probant. Primo nec in examine pelvis, neque sub foetus conversione in orificium uteri, minusque ultra ventum. In uterum certe instar globi retractum et minutum non tam expedite, ut hic contigerat, manus fertur. Denique recessit quasi uterus ab digitis; sed qui, nisi notabiliter a vagina fuisset avulsus? Namque si non in vagina, sed intra orificium, imo, ut *Douglasius* refert, supra id, ubi nempe cingit vagina, laceratio et per hanc inducta manus fuisset, haec aberrare in cava ventris nullatenus potuit, quin prius sentiretur, manum in utero contineri, et ex hoc demum per aliam aperturam traduci in abdomen.

Postremo vulgatissimum est, simul ac uterus gravidus post evacuationem in minores am-

bitus redit, angustari quoque illius vulnera. Dum Parisiis habitabam, sectioni caesareae, quam *Baudelocquius* fecit, interfui: Foetu una cum placenta vix exempto confestim diminuta ad pristinae magnitudinis trientem uterus, et inflictum vulnus erant. Idem etiam fit in omni ruptura, quae fortuito incidit, cujus exemplum iterato in conspectu habui. Num quispiam, re ita posita, per rimam uteri in abdomen sine labore ac extensione nova, ne dicam, sine novo vulnere, manum ingeret? An eximi talem per fissuram cum facilitate, et reduci ex ventre per os uteri foetus poterit, sine quacunque impeditione, praeterquam quod paullo aegrius per pelvim caput migret? Atqui secundum similia signa abunde constat, permultas rupturas, quae esse in utero putabantur, nonnisi lacerationes vaginae fuisse.

Et profecto, quodsi vaginae subtilem texturam, illiusque praesertim, qua in uterum abit, supremam partem, tum etiam illud cogites, quantopere in multis gravidis et parientibus ea extendatur, quamque parum tamen quoquoversus custodita sit, tantum abest, ut miremur, illam rumpi aliquando, ut potius admiremur, non crebrius rumpi.

Illa ipsa quippe suprema portio, in qua, dum ex vagina foetus in ventrem ruit, facta laceratio esse semper debet, maximam vim patitur, evanido nempe et retracto uteri ore, effluxis dudum aquis, et remorante, validis tametsi nisubus, ad supremam pelvim capite.

Quo casu vagina tota super foetus bregma ea vi extrahitur tenditurque, quam contrahens se uterus irrito conatu in promovendum caput per naturalia exserit. Tum alicubi in vagina minor esse cohaesio, quam ut resistere ultra valens sit ; tum inevitabiliter ruptura sequitur.

Dolendum, in defunctis tali offensa, genitale, ossaque praesertim, haud solertius perquisita fuisse. Eae saltem, de quibus hic sermo erat, partum languentem et difficilem habuere, ut itaque videatur, illis citra modum ac maxime in margine superiori difformem fuisse pelvim. In exemplo, quod *Bonetus* narrat, haec noxa tanquam rupturae causa proprie declaratur. Disponunt utique ad similes lacerationes, inter caetera, declinata quidquam et alta pubes aspero margine, angusta pelvis in suprema ora, debilis et curta vagina, praetensum uteri collum, tenuis raraque cellulosa tela, et vicinarum partium inflammatio et sphacelus.

Nec tamen certae significationes sunt, quae exsecrabilem casum portendant, aut quid aliud agi jubeant, quam quod ex causis molesti partus, et aliis rebus alioqui indicatur. Sed vehemens tamen et pervicax, et multum alienus, praecipue circa pubem, omnis dolor obstetricem in suspiciones moveat. Crucians scilicet in illa parte sensus in narratis exemplis rupturam nunquam non praecessit; in omni quippe organismi animalis vehementi intus mutatione infortunii primo monitor, postea comes dolor est. Inter dolorem etiam plerumque ruptura

obtinet. Secessus sanguinis ex vagina, partium, ni sphacelus eas extinxit, continuus dolor, insolens in ventre pondus, praesertim foetu ex parte, vel toto illapso; anxietas, inquietudo ac vomitus, primi semper horrendi mali, indices sunt. Quod si coram medico irruit, procul dubio ad examen mox compellet. Dein, ubi foetus, aut illius ante in pelvim praemissa pars, nondum per vulnus recessit, aut si parva vel per foetum intercepta est fissura, fieri poterit, ut periculi vis occulta ipsi maneat, inprimis, si non ante similia aliquando in natura evenire monitus, accedentes passiones ab aliis, iisque levioribus ducit causis.

Postquam enim expulsus foetus est, idque, ut interdum solet, sub unico uno nisu; illius caput certe, et alia membra diverse adtrectabuntur, ac paullum ante erat. Nec tamen, quae factae mutationes sint, semper manifestum et facile finitu credas. Nonnisi ex illata manu evidentia advenit.

Qui in meis exemplis per vaginam in ventrem foetus migravere, iis ad partum praejacens caput erat. Imo etiam, facto in ventrem descensu, a superiori margine pelvis non procul caput distat. Neque unquam sursum caput in ventre, ac deorsum pedes sunt deprehensi. Quisquis structuram et situm partium, ipsiusque uteri efficaciam observaverit, facile intelliget, quare nunc etiam subsideat caput, neque aliter possit; tametsi primo intuitu res aliquid miraculi habeat.

Sed explicet aliquis, quemadmodum placenta quoque per fissuram transferatur in abdomen, vagina licet in antica parte et sursum lacessita et supino aegrotantis in dorsum cubitu?

Non enim funiculum umbilicarem in iis recte exemplis semper brevem fuisse, aut circumvolutum cogitabis, ut illum infantes secum una in ventrem abstulerint. In nostro casu non ita saltem. Est quidem vaginae propria partum pellens indita contractio, incognita hucusque ac aliquando forsan novis a me argumentis comprobanda; at restat nihilominus quaedam explicationis difficultas, quemadmodum placenta longinquum ex vagina iter in ventrem absolvat; claro monito, oportere potissimum, ut in admiratione legum et motuum vitae animalis adquiescamus, quum altius perspicere humanum ingenium non sustineat. Interim munus medici expetit, ut ubicunque lacerata est vagina, partus moveatur, eoque magis, si foetus vel pro parte, aut omnis in ventrem transiit, dumque aliqua etiamnum salvandae aegrae spes manet. Interdum foetus eadem via, qua in abdomen processit, etiam retrahi potest; ut itaque sectio caesarea, quae, dum foetus ex utero in abdomen agebatur, vitari plerumque nequit, in nostro casu, ubi exemptio per ordinarias vias est facilior, non ubique urgeat. Neque tamen reticendum est, praestare quandoque incidi ventrem, quam improbo labore infantem per vulnus vaginae et angustam forte

pelvim trahere. Quocumque fiat modo, prima cura in promotione foetus et secundarum sit. Reliquam agendorum rationem natura et rei complicatio monstrant.

Tandem procurata aegrae cubatione providere oportet, ne partes ex abdomine in vulnus decidant. Tum erroneo humori sit defluxus, ut tamen purgamentum retro instillare per fissuram impediatur. Haec autem pleraque facilius expetivisse, quam impetrari est.

Nisi mors ocyus occidit, quam maxime tamen ambiguus exitus est. Siquidem enim neque alieni in ventrem effusio, nec destructio viscerum necem feret, est tamen in terribili alio discrimine misera: gravem et infensissimam puerperis viscerum et peritonaei phlogosin puto.

ANIMADVERSIONES
IN
VALITUDINEM GRAVIDARUM.

Et hoc cognoscere oportere mihi videtur, nimirum, quae affectiones sexui ex facultatibus ac potentiis, quae item ex figuris adveniunt. HIPP.

SECTIO PRIMA.

Generales de valitudine gravidarum notiones.

Quaelibet vitae animalis epocha certis proprietatibus ab omni alia recedit, ut secus appareat idonea conceptui puella, aliter pronus in venerem juvenis; ut mille modis virgo, cum corporis constitutione, tum actionibus animique affectibus a foemina differat, quae inchoatum hominem inter ilea fovet.

Atqui omnium mutabilitatum, quibus muliebris vitae phasis ista eminet, congeriem et summam voce fortassis *Idiosyncrasiae* gravidarum licet complecti; eaque res maxima et naturae curiosorum attentione dignissima est. Namque omnis vitae periodus, quamquam singulari incessu mirifica sit, et mirandi materiam praebeat; est tamen vix ulla alia, quae tot tamque varias conjunctas sibi mutationes manifeste adeo et

constanter monstret, ac ipsa ea, de qua nunc instituam.

Haec videlicet naturae perpetua lex est, ut in omni animanti modificationes eae justa consecutione exsurgant, quae ad duplicem nobilissimum finem: ad illius propriam conservationem, et ad propagandum genus cummaxime pertinent; item, ut causa consequentium harum mutationum in structura membrorum, inque ipsa eorum naturali evolutione sit posita. Organa saltem praedita sensu et quadam conspiratione inter se conjuncta, atque per haec ipsa organa vel inducendae inductaeve sensationes et subsequi motus vix inter se ceu diversae res animo discerni aut cogitari possunt. Nulla quippe, nisi a proprio in valente stomacho irritamento cupiditas esus est. Idem de omni viscere, de omni oriunda sensatione, atque igitur de omni etiam ex sensatione prodeunte motu verissimum est.

Cuncta, quae vivunt, animalia, stimulis obediunt, haecque orientis vitae prima indicia in foetu omnium primo conspicimus. Nec prius aliud fere quidquam in delicata viva offella animadvertitur, quam doloris intolerantia, et lactis materni aviditas. Nunc enim, quae nutritionem procurant, eamque fovent, organa, in tenero animali soli sunt exactores, eruntque longe: ut vero tantum haec viscera nunquam porro, quantum in vitae primordiis sinant ingeri; sed nec tanta comparate copia opus inposterum corpus habet. Sapientissima hercle

in natura ratio! Quodsi enim vero, ut animal corpore et aetate increscit, consumendi cupido aeque augeretur, largissima certe rerum, quaecunque se comedi patiuntur, haud satis ubertas foret.

Tum corpori paullatim major plenitudo advenire, maturescere membra, ac stimulo magis idonea fieri. Ita illorum aucta evolutione et variis per ea inductis excitamentis novae functiones necessitudinesque, alii instinctus et passiones, motus et affectus fiunt. Quodsi itaque, ut ex universa animali ordinatione patet, membrorum corporis cum illius functionibus et necessitatibus, harumque vicissim cum membris intimus ac mutuus consensus est; si affectus nostri, motusque a certis per objecta aut ideas in organa invectis aut intus ab ipsis visceribus ortis stimulis veniunt; si demum ipse noster intimus sensus ex certis ante intus in nobis vel deforis perceptis irritamentis exsurgit et coalescit; necesse est, ut utrumque genus, in quavis aetate, et in omni singulari vitae statu, singulari quoque constitutione corporis et valitudine, propriisque stimulis, perceptionibusque, motubus item et passionibus, denique peculiari et sanescendi et aegrotandi, tum etiam et sentiendi et percipiendi et agendi distincto modo utatur. Atque haec omnis proprietas a natura membrorum finitur, a communi illorum consensu, et speciali *irritabilitate*. Igitur, ut exemplum ponam, ea digerendi facultas, qua foemina, dum non gravida erat, bene valuit, nullam potest

mutationem non subire, quin male habeat, ex quo gestat utero.

Eadem pulsus celeritas, quae prosperam sanitatem in juventa ostendit, in adultis periculi suspectionem faceret. Septuagenaria matrona absque interpellatione animum ad superos tendit, quum membra tempore et usu evirata eam haud longius in tentationes figant, quibus ad expallescentiam conficitur neptis. Neque magis ullum octogenarii senis ex incenso amore, quam adolescentis propter avaritiam mortem consciscentis sibi exemplum noveris.

> *Cursus est certus aetatis, et una via naturae, eaque simplex: suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data; ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis, et senectutis maturitas quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat.* Cic.

Quibus quidem ordiri opportunum censui, ut eorum, quae sequuntur, confirmationi inserviant. Sed passim hic nonnisi opiniones scribimus veras falsasque; ut igitur, si cui meliora constent, procul sit a nobis discordia. Colimus suas quilibet sententias; atque tamen cunctis idem praefixus finis est.

SECTIO SECUNDA.

De quibusdam, quae in gravidis contingunt, mutationibus.

Donec apta ad conceptionem mulier sana est, neque tamen utero gerit; ad quartam septi-

manam sanguis ei quadam copia e naturalibus manat. Haec per periodos rediens plenitas a natura potissimum hominis foeminae est indita; ut tamen etiam, si peregrinatores clare viderint, simiarum species, quae in serie animantium superbo homini proxime affines sunt, eam cum mulieribus communem habeant.

Sub graviditate utplurimum cessant menstrua, vel siquidem primis mensibus decedunt, non ex ipso uteri cavo, sed extus tantum a cervice venire et vagina medici opinantur.

Atqui aliae etiamnum et majores cum in utero ipso, tum in adjunctis partibus mutationes fiunt. In ovario quippe ac praesertim, ubi avulsum in genitura ovulum ante adhaeserat, emergit flauescens, duriuscula, et turgida soliditas, (corpus luteum vocant) non temere, sed singulariter ex organismo ortum corpusculum, in quavis graviditate primo efformatum, tametsi absoluta, ultra conspicuum; de quo tamen, ut de plerisque aliis rebus, nihil aliud, quam id adesse, scimus.

Internam uteri faciem recens tunica investit, quae ovulum sensim per tubam in matricem delapsum obducens, istud una cum placenta amplectitur, adeoque ovum unit, viscerique, in quo maturationem adipiscitur, arctius agglutinat. Hoc velamentum proxime ad uterum pertinens, quia nonnisi intra graviditatem comparet, excluso foetu partim cum secundis, partim cum lochiis abscedens, *Hunterus* membra-

branam *caducam* vocabat. Ea veteribus, qui illam modo obscure noverant, titulo *membranae ovi villosae* innotuit; sed proprium non tam ovo, quam ipsi utero attributum velamentum sistit. Eminet maxime secundo et tertio mense; tum ovo et utero sensim increscente, illius crassities minuitur. Declinante gestatione vix amplius clare in conspectum venit.

Velamentum istud, quanto ad placentam propius accedit, tanto est crassius, ut totam ferme secundae maternam partem constituat. In illo quippe humores ex matre per vasa et textum cellulosum in systema placentae foetus meant, ibique absorpta, et majoribus venis recepta ad foetum pergunt. Hic ad illius nutritionem impenduntur, partim etiam, postquam per alia vasa in secundinas rediere, ex portione materna iterum ad sanguinem genitricis revehuntur. Atque hoc modo in omni gravida *circulationis* nova species exsurgit, perduratque; ut vel ex hac causa fieri mutationes in corporatura necesse sit.

Postquam concepit foemina, uterus concluditur, illiusque collum tenaci materia velut obglutinatur. Hac sub tutela prosperat ovum; uterus paullatim humorem in se recipit, et ingrandescit, ac posteaquam primo tempore desiduit in pelvim, aucto interea volumine super illam emergens, ventrem pandit, ut tandem antica facie sua, tum quoque superiori, absque intermedio, peritonaeum attingat, intestina ante se removeat, ac procedente tempore plerasque

alias ventris partes quodammodo extra suetam locationem disponat.

Quae mutationes quantumque lente et ad naturae accommodationem succedant, fieri tamen nequit, quin insolita inde quorundam munerum deflexio fiat. Nec tamen, quia insolenter nonnihil modificata functio quaedam cedit, consequens est, quod universo corpori noxa insit, aut uspiam aliquid infesti lateat.

Omnis enim alienae rei in corpore mora, quaevis insueta in animali turbatio sentiendi facultatem certis notis afficit, et propriam *sympathiam* concitat, qua, donec virtus naturae superest, omnia moventur, quaeque et commoda et necessaria ad scopum sunt, propemodo disponuntur, complananturque. Hinc consueta victus ipsa concoctio nec sine corporis aliqua affectione desinit; ut ferme sub specie febris prima digestio fiat. Ita pastum sitis sequitur; ita quodvis miasma peculiarem febrem incendit, et sub aliis passionibus, et diversa consequentia nunc variolosum natura nunc morbilosum fomitem pellit.

Continuo noxam minatur, si salubri alias corpore statuti in eo motus intempeste turbantur; sive morbo dudum illato, naturae adversus molimina ignorantur, ac tanquam aliena oppugnantur supprimunturque. Etenim ubi prius audemus, hoc ipso, quod vanum gestiamus praevertere, non raro verum, nec levem morbum inducimus; sin alterum, tunc enim vero pernicies nos socios habet, quos contra acrius

naturae quam ipsam in aegrotationem est dimicandum. Quotnam olim mortales ardens febris ex arte stravit, qui frigidam aquam concupiscebant, eaque fuissent persanati. Ita millia natorum in variolis intra muros et sub cumulo lecti computruere, qui ex libero aëre, cui avidissime inhiabant, sanitatem una cum vita hausissent.

Quapropter grates magno *Sydenhamo* sint, qui primus interpretari naturae intentiones et motus, medendique artem potius naturae, quam naturam, ut fieri solet, substernere arti docuit. Regnant nihilominus multae circa hanc rem delirationes, quas neque dies, nec sana mens delet, quod perversa et adscita perperam intelligentia continuo praetexere studeat.

Enim vero et praegnatio foemineum corpus peculiariter afficit, ac sentiendi modum, et ipsa fere organa aliquantum mutat. Quarum modificationum indoles et causae, quamvis ignorentur, scimus tamen, omni prope graviditati eas aliquamdiu adjungi. Est enim cum graviditatis stimulo, ut cum plurimis rebus aliis, quas usus et experientia comprobant, quin tamen plausibili aliqua ratione queant axplicari.

Atque in ipso illo irritamine, idque recipiendi opportunitate, omnium, quibus praegnatio distinguitur, item aliarum rerum, quae in matre ad conservationem et incrementum foetus, tum ad partum, post ad primam editi infantis alituram faciunt, princeps causa latet. Haec

res interea ex se nihil morbidi habet; contra, convenientissimum mulieri moderamen profert. Inest imo saepe graviditati aliud commodum, ut non paucas infirmitates persanet, alias praevertat.

Potissimum vero id habet, ut naturalem *sensibilitatem* et calorem augeat, motumque sanguinis sine discrimine phlogoseos aut alio damno incitet. Quidquod veri simile est, graviditatem corpus contra phlogisticas affectiones egregie tutari. Elatior quippe vis vitae in universum ad gravidarum naturam pertinet; quidcunque vim illam detendit: malus nutritus, moeror, corruptio aëris, humilis et humida habitatio, foeminis sub praegnatione, quam extra eam, citius graviusque nocet.

Caeterum, si gestans reliquo corpore viget, et in rebus moderate versatur, utplurimum per omnia novae vitae stadia fluxasque varietates salubris et sine molestia pergit. Quin imo multae mulieres, donec utero gerunt, cummaxime ex sanitate gaudent, ac ne mirifice quidem, quum in utero habere ac parturire, nobilissimas partes foemineae naturae, itidemque rectam valitudinem efficiat.

Verum tamen non omnibus tali mollitie cedit graviditas; iis praesertim, quae invalidis parentibus natae, aut longis ex morbis, aut delicato vitae et morum genere, vel elata imaginatione viribus languent. Universim, diversissimae, quae graviditatem sive comitantur, sive eadem producuntur, indignatio-

nes sunt, quarum aliquae ex congestu *in primis viis*, aliae a copia sanguinis solent derivari. Sed plurimae anomaliam habent, ut a vitio sensus in quopiam membro videantur oriri, cujus specimen rerum inconsuetissimarum aestuans appetitus et vis mirabilis stomachi in digerendo monstrat.

Sed magis absconditae, incerta inprimis etiamnum praegnatione, eae difficultates sunt, quae a morbis communibus eorumque occasione perinde ac ex propria graviditati *idiosyncrasia* concipi aliquantum et explicari queunt. Atqui tamen, ne falso assumantur, permultum interest. Aliam enim tractationem puri et complicati ex graviditate affectus, atque aliam similes afflictus a morbosa causa postulant; quorum primos natura ipsa, quid congruum sit, admonitores posuit. Quapropter nihil adversus nisi modeste et caute agito; quae vero morbidam et a graviditate alienam indolem alunt, iis protinus occurrendum est.

Nihil intra praegnationem mutata valitudine saepius quam abundans sanguis incusatur. Propterea etiam inter vulgares medicationes frequentissima venaesectio est, maximo certe foeminarum damno, quod etiam sanissima caeteroquin bis terque insonti humore spolietur.

A longinquo certe et ridicule pro crimine hoc suo documenta medici afferunt. Ajunt videlicet, cessante menstruo sanguinis copiam augeri, quod praesertim initio graviditatis embryonis nutritus haud tantum impendii exigat,

quantum matri defluxisset per menses; hinc pleraque post conceptionem incommoda, hinc frequentes primis mensibus esse abortus. Apprime scilicet corpus gravidae tanquam vulgare vas effingunt, binis ex adverso orificiis, quod per aliud adfuso, nec tamen per alterum detracto liquore, non redundare non potest. Palpabilis omnino, bellissimaque similitudo vivi corporis, ejusque ordinationis, in qua appetitionum et indigentiarum mirabilissimus ubique nexus et conspiratio est.

Atque primo sanguinis a matre recte ad foetum ne quidem via est; hic enim accepta modo a matre materia suum sibi ipsemet proprium parat. Estne demum quaedam vitae statio, in qua boni sanguinis in corpore nimium coquitur? vel tantum modo, ut ex se noceat? Siquidem assentimur, cruorem ex copia peccare, num illius abundantia, ad intentiones nostras, ex tusa vena diminuetur? Sinamus, utilem forte venaesectionem esse, ubi id agimus, ut aliquantum subito et ad momenta depleatur. Quid autem erit, ex provisione aliquas uncias hodie abstulisse, quum idem sanguis non quidem ex qualitate, attamen ceu merus humor, quoad quantitatem, corpori ex cibo et potu mox restitutus vel cum usura sit?

Unde irrita omnis venaesectio, quae ad praepediendos morbos ex abundantia instituitur. Contra exinde vasis occasio ad recipienda cruda, et sanguini proclivitas in dissolutionem

advenit. Ita igitur non mater dumtaxat, sed et mollis foetura debilitatur, atque ipsissima detrimenta arcessuntur, quibus occursare praepostere intentum erat.

Aliquando tamen temperari in gravidis a depletione vix potest. Verum rari citra vulgi opiniones casus sunt. Immigravit interea mos pessimus, clara demonstratione, quam parum pretia intelligamus sanguinis, quum quasi inter proverbia increbuerit: si non juvat, saltem non nocet venaesectio. Atqui tamen, quae non juvat, omnis venaesectio nocet.

Vera abundantia sanguinis ad valitudinem gravidarum omnino pertinet, ut igitur, quidcunque eam sine necessitate infra naturales ritus minuit, noxam pariat. Bonum atque multum sanguen nec abortum, ne quid aliud portendit; spuria vero *plethora*, ut vocant, abortuum, aliarumque passionum saepissime causa, utpote a prava digestione, a sanguinis pauperie et universi corporis infirmitate ortum trahens, venaesectione necessario in pejus mutatur.

Valido et citatiore aliquanto pulsu medici plerumque emitti sanguinem jubent, parum memores, sanguinis quoddam augmentum, una cum copia lymphae et pulsus aliqua intentione cunctis prope convenire gravidis. Atque ista vasorum prosperitas potissimum instat, dum mammae primum turgere et subtilius sentire inchoant; unde significatur, providam naturam mox in parando liquore esse, quo postea pro foetu secretura nutritionem per ubera est.

Et in praegnationis exitu intempestive plerumque abstrahitur sanguis. Quod ita excusant: ut pariendi mitior facilitas et minus periculi sit. Verumtamen, quantum scio, nemo cum probabilitate ostendit, quemadmodum gravida, sublato frustra ad aliquot uncias sanguine, tute ac facilius excludat. Omnis, quae supervacua venaesectio est, corpus, inprimis gravidae, morbosa valitudine mulctat; quidquid enim infra modum vires demit, parturitionem fatigat et moratur Quapropter venaesectio ne quidem ad evitandam intra partum haemorrhagiam recte instituitur. Nihil enim casum vehementius movet, et discrimen intendit, quam debilitata vasa et tenuitas sanguinis. E contrario in venarum robore et cruoris compactura salus est.

Deinceps, si paullum animo inducimus, cruorem vitae praestantissimam materiam, nec unquam abundans ad injuriam pabulum esse: non tam animose illum ac pertinaciter aggrederemur. Frequentius multo gravidae ex defectu patiuntur, ut non solum, etsi a conceptione nihil manaverit, non congruam sibi copiam, sed ne quidem eam possideant, qua carere sine damno nequeunt. Verum enim vero ipse foetus jam, una cum secundinis, volumine et pondere id, quod in gestatione per menstrua haud decessit, multum exsuperat. Nonne autem et foetus et secundinae ex sanguine matris opima extracta sunt?

Quare alienissimum videtur, in gravidis

venaesectionem ex ordine, ac velut per legem statuere. Contra, atque praesertim in macilentia, et tenuissima portione, qua mortalium plurima pars aevo hoc vitam trahunt, dumque subveniri prosperius nequit, id oporteret, ut eas a lautiore pastu, ubi advenit forte, saltem non cohibeamus.

Versus finem praegnationis uberior plerumque humorum ad pelvim descensus, ac major inde genitalis humiditas et sequacitas fit. Paullatim etiam desidere quidquam venter et uterus. Uterque scilicet sensim ad priorem ambitum tendit, quo ad efficientes nisus magis valeat. Mirifica profecto naturae ad fines suos providentia! Quam ineptum contra hominis consilium, qui vana sapientia gravidas, quo facilius excludant, sine modo in balnea mergit, immemor, hac ipsa procuratione naturalia ultra modum molliri, et parturitionis summas potentias, ventris musculos, ipsumque uterum elanguida fieri, adeoque, quantum una ex parte proficitur, tantum ex altera subtrahi. Calidis balneis opposita certe frigida sunt, sed nocent tamen; neque minus. Vel ad pisces pertinent foeminae?

Ultima graviditatis epocha, ab extenso utero animi saepe difficultas, stomachi quaedam ad cibos et potum intolerantia, et alvi excretionum turbatio molestat. Quae quidem res quamdiu non tam veram offensam, quam aliquantum incommodi habent, in simplicissima arte conquiescendum; istud quippe indig-

nationum genus nihil plerumque nisi consequens partus amovet. Tardior alvus per enema ducitur; nec tamen unquam sine causa ingerendum. Juvant quippe clysmata tempestivo tempore; verum sine modo, aut citra necessitatem indita certe obsunt. Idem etiam de pharmacis, quae deorsum purgant, quam lenissima ea sint, observato. Et in urinae difficultates attendere oportet, praecipue inter secundum et tertium, ac nono gestationis mense.

Nunc quidem de praecipuis mutationibus, quae graviditatem distinguunt, vel adveniunt ipsi, item de malo usu et consuetudine, quibus universim et indies gravidae pessumdantur, affatim collocatum est. Verum aliae adhuc et graviores affectiones interdum incidunt, de quibus nihil perscripsi; quum hic de solito graviditatis incessu, nequaquam de morbida praegnatione sermo sit. Urgente rerum insolentia, vel vera et acuta aegrotatione, alioqui cum peritis consulitur; at in quotidianis et velut necessariis molestiis pleraque ex opinatione fiunt; tum unusquilibet in re nota melius sapere atque tutius autumat. Inscitia quippe et vulgi opinio ubique nonnisi optata conspicit, adversa non animadvertit.

Tum enim vero ex praepostera conturbatione simplex omnis gestatio quasi morbus in menses trahitur; quum aliae interim praegnantes, immutato victus genere, et sine insidia artis, solo beneficio aëris liberi et idoneo corporis motu, praegnationem puerperiumque facillime

solvant. Quae cunctis ferme cederet fortuna, nisi perplexa educatio, vitae mollissimum genus, aevique idola eas continuo a natura transversas agerent.

SECTIO TERTIA.

Affectuum animi in gravidas influxus.

Ab exordio hujus commentationis traditum est, animi motus et pathemata ab impulsibus regi, vel deforis per sensus inductis, vel intus ex ipsis organis provenientibus; item pro vario impetu ac stimulo, et organorum mutabilitate, tum accedente fortasse educationis et consuetudinis ratione id effici, ut unicuilibet propria sentiendi agendique sua singularitas sit. Verum pleraque ista extra nos versantur, nobis sunt fortuita, neque hominis ad arbitrium fiunt. Non enim id efficimus, quia sentimus, vel quemadmodum sentimus, et quid sentimus. Ego quidem ita sentio, scilicet non possum aliter; alius aliter sentit, neque is aliter potest. Unde solum inferimus, necesse esse, ut etiam foeminis, dum utero gerunt, in appetitu et affectubus suis mutationes contingant; illata nempe mutabilitate in organis et in tota corporatura.

Nec tamen finire licet, an in graviditate erga stimulum, unde orta est, indifferentia sit. Communis animantum natura in hoc nihil ad humanos mores commonstrat; ex opposito enim pleraque in homine se habent. Ritus et molli-

ties societatis ac pervicax deliciarum exquisitio novas semper postulationes naturae subornando, et suffocato omni naturali instinctu totam vitam pervertunt. Sic tandem in matribus hominum usque blandissima voluptas, proles suas lactandi, contabuit, quasi nunquam adfuisset; et marmoreum, cujus ipsum animal pudeat, vicem frigus tenet.

Foeminae, dum in utero gestant, plerumque affectubus, qui deforis adveniunt, magis se dedere, quam absente graviditate solent. Affliguntur imo minutiis, unde citra foeturam vix habuissent sensum; idque graviter et mirabili aliquando in valitudinem influxu. Tam manifeste quodvis irritamentum commovet. Ecquis alius tam agrestis et ligneus est, ut nesciat, ab re ingrata et tristi vigilias, ciborum fastidia, febrilesque motus induci; contra, accepto hilari et curiose exspectato nuntio, redire appetitum, sanguinem meare liberius, et suavi somno sopiri corpus? Uti igitur animi motus ac passiones quammaxime inter se differunt, ita etiam illarum in corpus imperio modus et varietas est. Hic confidens desiderium, ibi dubium et anxia ambiguitas; hic ob nanctum bonum, imo saepius ob boni simulacrum praecox exsultatio; illinc delusae segnis dolor spei; tum alia porro motuum et affectionum ingens et inquietissima turba, et gaudia mixta lacrimis.

Haecque mortalibus congenita sors ubique gentium maxime dominatur. Edax cura rodit millenos; paucissimi in tranquillitate vivunt.

Gravidis alioqui singularis est in morosiorem animum propensio; timent magis et anguntur, quam ut hilariter et tute agitent. Quin animantia quoque, dum in ventre ferunt, circumspiciunt et umbras captant. Natura videlicet, quae mulierem coepti maturandique foetus causam esse et tutricem jussit, illi benignas et conservatrices simul sospitandi pignoris curas et sollicitudines indidit; unde delicias inter et anxias spes nutatio novae matris et auctus, aucto in sinu pusione, maternus amor, qui in animantibus aestu et impetu, inque hominum genitricibus affectionis teneritate et clementia quodcunque aliud desiderium longissime superat.

Hunc sanctissimum instinctum humanissimus mos extingit; extinguit dira necessitas, matrimonii taedium et moestus temporis prospectus. Unde necessario sequitur, lucro conductis et sine amore initis conjugiis novos homines sine aestu traduci, cum poenitentia gestari, cum indignatione parturiri. Dum tandem naturalis mater in orbe christiano id habet, ut ob editum infantem sibi ab opprobrio, vel vindicta timeat, quae ergo non sit miserae in prolem, seque ipsam aversio?

Legem enim posuerunt ac tulerunt homines ipsi sibi ipsis, non cognoscentes, de quibus tulerunt. Naturam vero omnes Dii exornaverunt. Quae igitur homines sanciverunt, nunquam eodem modo habent, neque recte neque non recte. Quae vero Dii sanciverunt, semper recte habent.

HIPP.

Regunt enim animum hominis nobiliores et subtilissimi stimuli: levia quaedam fluxaque momenta rerum, vitae quasi seu obsonia seu venena. Sed tamen vehemens valde et repens commotio omnis damnosa est. Corporis deliquium, distensio nervorum et haemorrhagia persaepe a mentis subita affectione et concussu sequitur, velut electrica vi universum corpus agitans. Atqui talia duplex plerumque in gravidis damnum habent; proprium quippe et traductum aliud ad prolem. Ita ex vehementi ira aut subito terrore abortus sequitur: postquam ab affectu mox movere se foetus desiit, tum superveniente indignatione oboritur febricula, abscedente foetu intempeste, et cum profluvio.

An vero ea sit aliquando affectuum, appetitionum et intus in matre motuum vis et potentia in tenellum foetum, ut monstruosa inde in membris suis compago et structura prodeat, hanc circa rem anceps haeret opinio. Desunt, quae fidem faciant, neque tamen quispiam confirmatus in opposito est. Nullos usque in chorda umbilici praemonstrari nervos, id quidem parum facit, ut fieri res non possit; concessa enim etiam quadam inter nervos matris ac foetus compassione et nexu, quis inde explicabit, quemadmodum ex horrore incendii a matre in foetum adustionis nota immigret? Quave ratione mater ex conspectu mendici mutilato femore, aliquot menses post, prolem pariat, itidem truncato crure? Probe quidem scio, in hujusmodi rebus multum fortunae tribui,

atque ipse compertum habeo, mille naturae simplices varietates, ut hominibus imaginatio et singularis erga miracula facilitas inest, accidisse ab horrore ex aspectu dici. Verum etiam ingenuus sum, ut non abscondam, propterea, quod aliqua res desit, haud recte negari, aliam existere posse, quum, etiamsi primam concesseris, alterius tamen et obscurioris nec explicationem nec quandam comprehensionem habeas.

Etsi vero cum vehementia et celeritate irruentes affectus matrem ac prolem saepe affligant; nocent tamen longe minus, quam aliae potentiae, quae lente incedunt quidem, sed mora ingrati sensus valitudinem et vitam eo certius evertunt. Id enim omnis aegritudo habet, ut ad segnes et laboriosos partus, tum ad uteri et puerperii morbos disponat; quorum certe malitia gravidas eo velocius corripit, dum ex animo prodeuntes aegrotationes male negligimus, ac posteaquam falsis causis adscripsimus, debilitante pharmaco, abstinentia, ac praeprimis inconsulta sanguinis missione falso pertractamus.

Hisce animi affectubus eorumque catervae solerter occurendum. Quare ante omnia, usque decorum ac fas est, summovere occasionem, aliis objectis rebus et nova exercitatione antiquas aerumnas operire, tum addito robore organis, et sensu ad meliora modificato, corpus, quantum licet, contra inimicos stimulos munire oportet.

Prius raro est in medico. Interdum tamen aliquid ad temperandam inquiem amica consolatio facit. Adest etiam cortex et vinum; atque ubi miserum animum omnis somnus fugit, solamen in opio est. Sin novus impulsus, sin exhilaratio et gaudium erigat; id omne ad conjugem, ad amatorem, ad parentes et propinquos attinet. Est tandem, quae in utero habent, numerus, quibus nonnisi in aequabilitate, in tolerantia et in hospitabili asylo praesidium est. Sed in universum mansuetior in gravidarum animos indulgentia et procuratio sit. Ipsa in illis molestior natura, quam ne tenerrima quidem compassione sufficienter lenimus, omnem suavitudinem sibi, quaeque ad matris et prolis fotum et salutem unquam prosunt, cuncta subsidia vindicat. At nihil majus proficit, quam grata ad jucunditates invitamenta, et temperatae affectuum novationes. Talia cor exhilarant, cibos condiunt, sanguinem movent, vitamque nova vi perpetuo exstimulant.

NOTITIAE

NOTITIAE

EX SCHOLA OBSTETRICIA.

A mense Septembri anni 1789 usque ad eundem mensem 1790 nongentae et quinquaginta octo gravidae in schola partum absolverunt. In decem instituta versio, in quinis forceps adplicata est; bis apertum cranium. Inter reliquas novem gemellorum, agrippini septem, praeviis clunibus octo ac praeverso ore decem partus erant; hique ultimi omnes pro matre, ut etiam pro infante, fausto eventu naturae committebantur.

Summa natorum 967.

Ex his praematuri et maturi, sed langui de vivi 19.

Ante partum mortui, plerumque jam ex putredine lividi 28.

Foetus immaturi et abortus 13.

Bona fortuna omnes foeminae, quibus foetus versione vel forcipe eximebatur, pro varia caeterum anni tempestate, circa duodecimum diem ex hospitio sanae abierunt. Ex decem et quinque prolatis arte foetubus praeter quatuor ex conversione natos reliqui vivi erant, il-

lorumque duos ex labore obiisse probabile est. Duo jam in matre exanimes fuere, quod forma corporis et putris cuticula ostendit.

Ex gravidarum omni numero mortuae sex sunt. Harum uni, jam ante ex phthisi maciatae, undecimo post partum die lactis, ut dicunt, depositio contigit, materia in diversas corporis partes, casuque rarissimo, intus oculos suffusa. Altera ex ruptura putrefactae vaginae occidit, cum expulso per vulnus in abdomen foetu. Quatuor reliquae ex gangraena uteri occubuere, jam ad ingressum parturitionis manifesta: cachectica videlicet ac proclivi in putredinem corporatura malum in perniciem creverat.

Ac quoniam schola obstetricia commune asylum est, quo gravidae ex tota urbe non solum, sed ex rure, dum propior partus instat, suscipi sine mora debent; non raro id agitur, ut parientes re fere desperata istac transferantur, saepeque propterea modo, ut domi sumptubus sepulturae parcatur. Ad hoc si tales foeminae maligna febre, typho contagioso, aut putrida dysenteria laborant, hucusque ita mandatum fuit, ut soluto partu protinus ex gravidarum diversorio in proxima nosocomii cubicula transportarentur. Atque ejusmodi ab suburbanis oppidis ad pariendum in scholam devectae, ibique secundum naturam excluso partu, dehinc in nosocomium perlatae, aegrotantes mortuae tres sunt. Sed mortis causa hic ex alienis a puerperio, et alioqui lethiferis mor-

bis profecta, iniquum foret, has defunctas illis accensere, quae ex affectubus a partu puerperiove occiderunt. Nihilominus prima illa ordinatio nonnisi ad finem 1790 valuit. Nunc enim et inposterum cunctae, quotquot sunt et adveniunt, salubres et febrientes gravidae et puerperae, donec spatium capit, in procuratione scholae remanent, vel ad sanitatem usque, vel mortem.

Menses primi autumni anni 1789 tum aestiva tempora 1790 puerperis nostris maxime faverunt; minus sic, ut plerumque consuevit, brumae tempestas. Interea vix sedecim decumbentes febre puerperae aderant, quae quidem, quum morbus imprimis biliosae, quam vocant, indolis erat, decoctis solventibus, tum aliis stimulante virtute validis, ac serius fortasse perscribendis remediis praeter unam solam omnes ad sanitatem rediere.

In paucissimis casubus opus venaesectione erat; contra, ea instituta, convalescentia plerumque sequebatur tardius. Per annum totum, atque in tam multa gravidarum copia septies modo sanguinem detraximus: uni nemge gravidae ob inveteratam haemoptisin; reliquis sub partu et puerperio. Caeterum toto anno etiam ne libra corticis Peruviani dispensabatur.

Febris *lactea*, praesertim protractior, rarissime contigit. Nec observatae mammarum indurationes, inflammationes, aut ulcera; quippe quatuor mulieres, quarum una apostema,

aliae tres in mammis scirrhum habuere, vitia secum jam deforis attulerant.

Perraro in nostris natis aphtae sunt. Vix inter centum uni, neque in hoc suspecta labes est. Multis vero peculiariter tument et inflammantur palpebrae cum puriformi secretione; idque variis periodis accidit, tum per septimanas sine nota causa cessat, post aliquando incognita ratione redit. Continuata licet observatione et diligentia nec tamen detegere ortum potui. Interea topica affectio neque discrimen importat, neque pertinax in simplicissimam procurationem est; nostris saltem parvulis nullum inde detrimentum.

Primum de hac injuria diligentius, quantum memini, praeclarus *Dease* scripsit. Est tamen ferme inquilinus ubique morbus. Ipse illum inter Germanos et Gallos aeque ac in Britannia et Italia non solum publicis in nosocomiis, sed et passim in domubus privatis offendi.

His rebus obiter circumspectis, nunc quaedam adhuc circa artem et solitam in instituto disciplinam et normam sunt dicenda. Tirones quadraginta octo, et triginta sex alumnae obstetrices per hunc annum operam navarunt. Quorum permulti duos vel plures menses in schola morabantur, ubi, praeterquam quod institutionibus ad lectos puerperarum gratis intersint, beneficio gaudent, ut ex ordine, alius quovis die tiro et alia obstetrix adesse gravidarum receptui, et eodem ferme ritu bini as-

sistere sub magistri moderatione parientibus possint. Nonnisi difficili, et arte finienda foetura, aliquando convenire plures licet.

Quae certe rerum ordinatio cum propter verecundiam et parientium commoditatem, tum ob ipsas discentium utilitates et laudabilis et necessaria est. Ac quoniam quotidie plures partus incidunt, frequens seriei circulus est, ut quivis discendi cupidus solus fere ac inturbatus assideat.

Peracto partu, qui praesto fuere, obstetricius et obstetrix mandatam sibi etiam primam puerperae curam habent; ista, ut in rebus, quae ad cultum et prima officia erga novam matrem, ejusque prolem attinent, recte exercitetur; ille vero, ut noscere suescat, idque mature, quid ex partu fiat, quid accidat, quidque in matris aut infantis seu morboso, seu statu sano agendum sit, omittendumve.

Quotidie ab octava matutina ad nonam et longius puerperas visendi mos est. Dum, quod raro fallit, inter hoc tempus labor instat, plerumque circa functionis modum, quidque oporteat, animadvertitur, ac data occasione, praemonstratur.

Ad reliqua potissimum venit, ut tirones recte discernere discant, quid ad naturam recentis matris natique pertineat, quid non? Sed puerperio nonnihil complicato vel alieno res coram discipulis ad lectos inquiritur, morbique historia, item quid fieri oporteat, dictante magistro ad chartas notatur; vel ob temporis for-

te angustiam subin a quoquo proximo studiosorum fluxe ad memoriam scribitur; postea curato morbo, illiusque historia publice lecta, diagnosis et medicatio cum modo sanescendi, seu aegra defuncta, cum repertis in cadavere solenniter conferri solet.

Atque illorum casuum memorabiles aliquos typis edam, quibus, si nulla re alia excellant, saltem virtus ingenuitatis et veri inerit; quum, quae publice facta sunt, alioqui impatientia sint, in obscuro tradi. Deinceps altissime spernimus, puerperarum morbos et obitus alienis tabulis inscribere; neque molimur, ut numerosas mortes pueriliter decimemus.

LIBER SECUNDUS.

PRAEFATIO.

Prodit altera commentationum mearum Pars. Aequabilis censor, quae inde fluunt, leves opiniones et consectaria approbet, arguat; dummodo, quod spectat ad res, agi cogitet de factis, ut a me ipso aliisque pluribus oculis manubusque tractata fuere. Ac quamquam pauci fortasse lectores principiis nostris ex toto accedant, non tamen fidem negabunt crebri experimenti. Neque enim captandae gloriae, nec lucri cupido id unquam in me efficit, ut quid proponere citra verum gestiam. In quam simplicem apertissimamque confessionem quaedam me in hoc volumine atque aliae, serius agitandae, disceptationes vehementissime compellunt.

Facile enim sentio, quae de uteri obliquitate, ac praesertim de tractatione febrium puerperarum protuli, paucis nunc probabilia videri. Sed solatium superest, fore, ut si magis ad obliquitates attendere, easque subtilius adtrectare studeant, dumque circa febris curam sobrie tentaverint, res tandem sibi tales appareant, quales consignavi.

Quanquam enim non inscium habeam, cortici *Peruviano*, *Hydrargyro*, aliisque rebus, certa pactione, suam cuique peculiarem virtutem esse, ut igitur alii cum simplici, tum paratae omni materiae aliquam propriamque potentiam abnegare nefas sit; procul tamen absum, ut, quam ego utiliter medicinam exhibeo, gloriosis dotibus velim illustrare. Nec speciale remedium praedico, sed prodest tamen, ac quidem secure in permultis febribus: ex aegris quadraginta, ut passim currunt morbi, triginta forte et novem sanat, quamdiu scilicet haud intus gangraena corripit, nec quidpiam materiae vel tantum est transfusum, ut resorberi a natura omnino nequeat. Tum in revocandis menstruis, lochiis, in doloribus spuriis partus, si lactis in mammas turbatus ascensus est, hocce pharmaco, moderante ad passionem sagaci medico, vix quidquam praestantius invenis.

Atque exigua licet primo in illud fiducia, noscere tamen, quidnam sit, aliqui curiose cupient. Ergo *Stibium*, salibus probe solutum, ac temperatum, post saccharo vel mucilagine palato redditum acceptabile. Neque nescio, quam tarde eruditi medicinam scribant, quae non vulgaris sit, et priscam sanctionem habeat; quare praeparatum primo commendasse sufficit, postquam solita remedia et omnis tractandi ratio cognita spem curationis frustraverint; illud enim vero rebus conclamatis ferme, aliisque incassum tentatis auxiliis saepius adhuc

profuisse, experientia compertissimum habeo. Tum quippe virtus medicamenti, morbi in extremis probata, usum illius ad initia alioqui commendabit.

Quum porro absit, ut hanc praeparationem ex privato studio in lucrum vertam, parum mea interest, in usus veniat, nec ne.

Quae de *Electricitate* scribuntur, ceu efficaci maxime foetus *asphycticos* recreandi adminiculo, ea certe post tot evidentissima exempla non potui non transmittere. Idem etiam de curatione valet, quam contra coxarum, artuumque dolores in puerperio suasi.

Ex Instituto technico obstetricio, M. Novembris 1791.

NOVA TENTAMINA FOETUS ASPHYCTICOS ELECTRICITATE IN VITAM REVOCANDI; ADDITO INDICIO SUPERSTES VITA, AN PENITUS EXTINCTA SIT.

Sunt autem exemplorum ea pro potioribus habenda, quae ipsi oculis usurpavimus.

GALEN.

Accidit aliquando, dum in lucem eduntur, nullum vitae signum natos prodere. Quorum aliqui revera exanimes, alii ad speciem sunt; quantumcunque videatur, illos prius vivere, quam parturiri desiisse.

Quin ipse aspexeris, vix credes, quantum in asphycticis, imo vere propemodum mortuis natis, indefessus et aptus revocandi labor valeat. Magnus certe infantum numerus cura mea ac consilio coacti velut ad vivos redierunt, qui sine solertia artis nunquam revivixissent. Verum, tametsi vulgatissima ad hunc finem medicatio in quolibet ferme obstetricio libro recoquatur ad taedium, nec facile indocta satis obstetrix anus sit, quae hac pernicitate non calleat; deflectunt tamen

saepissime in eo, quod neque ad ordinem, nec perseveranter agant. Vix enim aëre non tam infanti in pulmones impulso, quam afflato leviter ad os, tum ingesto clysmate et exoleti salis volatilis facto circa nares et labia illitu, sin haud in puncto et apertissime ad vitam infans redit, spreto consilio, illum celeriter mortuis accensent, et immature ab omni ultra opitulatione absistunt. Quaedam imo obstetrices ad pleraque, etiamsi opportunissima, sed longius aliquanto protracta tentamina, si non insolenter, certe clanculum ridere audent. Est demum etiam, ut misere genito ad vitam anxie refocillato, parentibus ne acceptum facias, quod ex paupertate et aerumna illius mortem imputare inter bona consuescant. Hanc nimirum horribilem mentem mortalibus prosperitas publica et morum excultissima mollities necessario adscivit.

Non raro equidem vulgata artificia ad reducendam vitam cum successu exercitantur. Sed eadem remedia, licet aliquando fuerint aptissima, alias tamen pari cura et circumspectione praestita, spem saepius fallere vidi. Unde ratus, ad alia esse transeundum, in hac procuratione, quantum scio, primus *Electricitatem* tentavi, mirabili effectu, ut vix aliud quidquam magis opportunum, et in universa natura spiritui vitali nihil affinius electrica aura censeam.

Atque quidem duplici modo ad haec consilia prodest electrum; *ictubus* nempe: ad indu-

cendos primos stimulos, corpore antea frictione et extraneo calore ad id parato; et *influxu:* ad justam circulationis et spiritus, calorisque animalis fotum et diffusionem.

Quo recentiores sunt infantes, et adulti, quo minus senuere, eo facilius electricitatem ejusque ipsos succussus ferunt; sed caute tamen iis mercari in recens natis, vel etiam in juventa decet.

Nemo caeterum nescit, atmosphaerae in robur electricitatis magnum esse influxum, qua de causa illius vis non simpliciter ex prolicita scintilla nec ex amplitudine machinae, neque ex ambitu *armaturae* potest finiri. Verum qualiscunque sive major minorve sit apparatus, id ubique inprimis prospicito, ne lagena citra modum repleatur. Quod momentum ut propemodo consequaris, oportet, primum ex duabus vel tribus scintillis paratum ictum in te ipso experiri; una nempe *excitatoris* acie digito manus, quae lagenam complectitur, altera globo metalli lagenae intus contigui admovenda. Quo si lenis admodum in manu sensus fit, tunc absque cunctatione similis affectio tentari etiam in natum potest.

Postquam igitur modice confricatum, et pannis calefactis fotum corpus est, nec tamen ex hoc, nec ex ministratis rebus aliis quidquam proficitur, primum plerumque ictum de genu in genu, alterum ab illo articulo in adversam manum cubitumque ducimus. Tertia deinceps commotio quartaque per axillas, ipsum per

thoracem, et columnam dorsi regitur. Attamen quia haec fiunt, non ideo a reliqua procuratione desine, praesertim a confricando pectus, dorsum et abdomen.

Persaepe natus, donec haud vere abest vita, uno alterove percussu, animum haurit, vel quidam musculi sub ictubus aguntur in contractiones. Quandoque primi aspirandi nisus non aliter, quam subito, longis et incertis intervallis, praerupti et cum stridore et aërem quasi captitando fiunt. Tunc foetui molliter obtecto, et disposito in *insula*, per quinque et plura minuta electricum fluidum immittimus, ita quidem, ut aliquando scintillae eliciantur supra lineam. Non raro indefessa talis curatio id praemii habet, ut spiritum et cordis motum in nato augeri, oculos micare vita, osque suffundi rubore cernas.

Postquam infans in vitam est suscitatus, ab electro et aliis remediis desistere oportet, ut tamen calefacto linteo protinus foveatur. Nihil enim ad sufflaminationem ignis vitae, donec in corpore nondum exarsit, illiusque ad alitum aptius, ideoque tam necessarium, quam artificialis calor est.

Talia tentando saepe animadverti, sub periclitatione natis, quibus vita nonnisi pertinacissime reducebatur, aliqua corporis membra electrica vi percuti, seque contrahere; nec tamen ita fieri in aliis. Atque illorum, quibus spasmi oriebantur, pars maxima ad vitam rediit; ex adverso, qui nihil movebantur, ne unum

vidi refocillari. Unde mox conjecturavi, opportunitatem in animali, ut ex electro in distensiones agatur, certum vitae nondum extinctae haberi signum posse; ideoque ubi nullum habitaculum animi violenter affectum vel penitus direptum est, nec corpus ex sanguine nimis fuerit inane, justam etiamnum vitae reversurae spem relinqui.

Pleraque coram permultis testibus facta experimenta inventum in foetubus mirifice firmavere. Verisimiliter in adultis eadem erit fortuna. Quumque res habeat momentum, alii sine dubio eam ultra experientur, dilucidabuntque.

In quo tamen est cavendum, ne inducta musculis per electrum vera convulsio cum quadam specie crispaturae confundatur, quae in iis etiam aurae electricae solo transmeatu obtinet. Illa quippe nonnisi residua vitalitate, haec vero etiam vita ablata in corpore, tanquam simplici vis electricae *materia duce*, locum habet. In quam scientiam forte incidi, excepta pridem in instituto quinque mensium et amplius foetura. Erat corpusculum livide suffusum, quod adstantium alicui, simul offellam manu complectebatur, corde palpitare visum est. Ita etiam erat. Foetus illico calefactis linteis fotus manifeste ultra horam initia vitae traxit. Pulsu evanido, ac perfrigerata carne supererat tamen quidam in capite calor. Quare levi electricitate tentavimus. Brachia et axillae convelluntur, perspicuo signo, quod multa

conamina prius docuere, veram adhuc intus vitalitatem esse. Hac de causa foetui confestim in insulam posito transmittebatur electricitas. En! manifestius exsurgit subtilis cordis et pulmonis motus, remanente ad alteram horam ferme vita. Posthac nihil moliebamur, utpote haud ancipiti amplius ingressae mortis indicio. Attamen decem horis post rursus tentavimus; nunc vero nec fortissimi ictus convellebant.

Postremo, an nudatum cor stimulis obediat, exploratum; ne tamen aurae permeatus, neque ictus, aut ullum aliud mechanicum irritamen vel levissimam *irritabilitatis* notam prodidere. Solummodo in dextri brachii antica parte trans musculos flexores, ubi lagenae fila introrsum extrorsumque incubuerant, indeque ad cor recte ablegata fuerant, dum discus machinae rotabatur, intervallo duarum percussionum, aliqua ad sensum lenta et quasi voluntaria inflexio cubiti versus humerum sequitur. Usi apparatu cel. *Cavalli* cum applicata ad illum *Lanei* scala sumus.

Ab ictu scintillae nunc immutatum et in flexione brachium manet; nec musculorum ab electrico fluido impraegnatio quaedam, nihil saltem flexionis cernitur, utriusque fili ferrei juxta licet, imo etiam circum superius brachium ductis finibus. Sed pars denuo ac confestim flecti occipit, filis illam plagam nonnisi attingentibus, et abhinc, ut ante, ad pectus protensis.

Ignoratur hucusque, quaenam inter irritabilitatem et calorem in universum, ac praecipue

animalem intercedat ratio. Id modo patet, nec inducto per artem, neque ex animante vivo in aliud mortuum transfuso calido in exanimi effici, ut ad scintillas electricas convellatur. Persaepe infantes ante jam in matre demortuos, mox a partu et calentes etiamnum, electro vellicavi; sed nihil praeterquam electricae materiae translatores erant, sine ulla vel minima contractione animalis fibrae.

Quod ipse frequenter conspexi, hic candide narratum habes. Medici, itemque physici, qui haec studia ex proposito colunt, rem fortasse accuratius scrutabuntur et in usus perficient. Nobis interim ad scopum satis est, ut sciamus, electricitatem ad recens natos, velut ex morte revocandos, valentissimum auxilium, certumque simul latentis vitalitatis indicium esse.

Rara sunt infortunia, ubi de reducenda ancipiti vita adultorum agitur. Nihilominus huic refocillationis curae in societate civium praemia sunt promissa. Verum infantes ad vitam excitandi occasio infinita est, ut quivis itaque hac in re conatus et apta auxiliatio maximam attentionem mereatur.

Id autem divulgandae arti fortassis obest, quod non ubique comparandus nec admodum portatilis ad eam apparatus sit; unde tamen novo subsidio quidpiam detrahere nefas esset. Publicis institutis strues electrica vix molesto sumptu emitur; quin etiam in privatorum aedibus similes machinas passim reperis. Deinceps ad ciendos percussus in novis natis jam admo-

dum

dum lagena *Ingenhousii* respondet; quumque in his transmissionis aurae (balneum vocant) non tam frequens sit necessitas, singulari ad id apparatu innoxie cares. Caeterum exspectare licet, rei electricae peritos, factis ad lusus hominum verius, quam ad utilitatem, tot tantisque artis speciebus, denuo tandem ad inventionem nobilioris machinae sese accincturos esse; in qua, praeterquam quod emi modico pretio et portari commode queat, hoc summum meritum erit, ut perspectis aliquot experimentis ad imitandum communis aptitudo et simplex quodpiam satis ingenium sit. Hoc certe in optatis habeo, quod si minus impletur, aut impetrari nequit, mersum in praeterita cum aliis votum cadat.

DE OBLIQUITATE UTERI.

Nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos.

SENECA.

CAPUT PRIMUM.

Receptae circa obliquitatem uteri opiniones, earumque refutatio.

Ex quo *Deventer* Obstetricium *novum suum Lumen* conspexerat, obliquus uteri situs hodiedum frequentissima causa molestiarum puerperii creditur. Cuncti ferme in Gallia, Germania, et plerisque aliis regnis celebres viri, qui de re obstetricia tradiderunt, grave argumentum a descriptione illius spectri ordiuntur, aemulique Batavum, quod primus mentem in hanc perniciem partus verterit, pupillari obsequio magnificant.

Attamen si neglectis ambagibus spretoque servitio imitatorum experiri potius medici, et intueri, resque pensare animo suscepissent, dudum procul dubio haberent perspectum, uteri obliqui, qualis communiter narratur, historiam ludicram et inconditam fabulam esse.

Quippe in humanae speciei gravidis in alterutrum latus oblique decumbere perpetuo,

et necessario debet uterus. Plena ventre animalia, si perinde ac nostrae foeminae, ore sublimi incederent, obliquitatem cum his omnino haberent communem; sed quia quatuor gradiuntur pedibus, porrecto corpore ad horizontem, axis uteri non tam frequenter, neque adeo illis in alterutrum latus recidit. Sic igitur in hac etiam, ut in multis rebus aliis, animantum beatior fere quam passim ratione utentium sors foeminarum est. Sed neque in his magnum discrimen habet obliquitas; damna nonnisi a prava arte veniunt.

Scriptores in obliquitate negotiosi vitium hoc ex uteri altius gravidi eo situ definiunt, ut ore citra medium areae posito, in alterutrum latus ventris, sive in anticum sive retrorsum, ex adverso fundus cubet. Ita *Deleurius* gallico sermone: „*Adest vero uteri obliquitas, dum ille fundo suo ad ossa pubis eminet; collum contra et orificium os sacrum respicit*:“ Deinceps „*orificium uteri vel sinistro lateri vel dextro potest inhaerere; tunc fundus partem ex adverso tenet.*“ *Roedererus*, *Levretus*, *Steinius*, quique post eos scriptitarunt, plerique, atque ex novissimis *Malacarne* eodem utuntur sermone.

Ad eandem prope ruditatem imaginationis oritura quoque ex obliquitate damna et pericula censent; ad eamque etiam vituperia medendi notant.

Obliquitates, ita jubent, nunquam committere in naturam licet; incompleta deflexione,

ubi tamen os devium digitus potest circumire, *situ;* completa autem, ore nempe ita dejecto, ut digito nonnisi ex parte tractetur, vel contingi omnino nequeat, protinus versione curandum est; alias partus difficillime et infantis et matris cum periculo fiet.

Situs artificialis hanc normam habet: Videlicet, pariens ei lateri incubet, cui orificium obvertitur; qua fundus uteri in idem deferatur latus, et declinatum os in media introitus recidat. „*Atque hoc situ mater, donec caput foetus in cavum pelvis descendit, dolores sustineat.*"

Interim, ubi situs nihil confert, sine mora accommodationem manu suadent tentari, ferendam scilicet esse inter collum et vaginam; post, ex quo gravida in latus se componit, cui orificium proxime est obversum, interea recte hoc apprimendum in contraria esse. Quidquod alii collum apprehendi digitis, et audacter attrahi jubent. *Deleurius* in obliquitatem uteri ad anticum ita sermocinatur: *Sin minus proficit* (situs nempe) *immittenda sub dolore manus in vaginam, et uterum, et prorsus prensandum, et trahendum ad se collum est. — Si vero neque hoc succedit, confestim evacuato amnio, imo ne quidem exspectata ampliatione oris, manu penetrari in uterum, et extrahi foetus versione debet.*

Hoc ritu ad lectos parientium observato, recte constat, parum ex naturae usu proficisci, sed alienissima esse talia praecepta. Ac quidem ante omnia notandum, inesse *obliquitatem*

ipsi utero, et esse etiam, ut *obliqua* solum ejus *positio* sit. Ex scientia vero, quam auctores circa obliquitatem, illiusque tractationem tam sollicite pervulgarunt, alioquin elucet, semper quidem in obliquam posituram uteri, nullibi vero ad illius compagem et formam fuisse respectatum. Quapropter quae sequi exin mala, et praevertenda esse, aut tolenda ipsis videntur, non tam ab utero, in obliquum sito, quam citra naturam ex se constituto, et oblique figurato prodeunt.

In qua re, quo clarius dicam, oportet, ut primum explicem, quae inter *uteri veram obliquitatem*, *illiusque obliquam modo positionem* sit discrepantia. Viscus quippe obliquum ex sua soliditate ipsum est, dum illius os non ubique pari a fundo spatio distat. Ubi insuper lineae, quas hoc casu repraesentare sibi licet, ac si ab orificio, sine quadam in ambitu ad latus disjectione, simplici curva tenderent ad fundum, in itinere hoc adeo deflectunt, ut fundus uteri et cervix, in adversas sibi regiones spectent; dum necessario viscus reflexum una et contortum est. Imo vix unquam obliquus uterus non simul quidquam contortus est uterus.

Contra uterus *obliquo situ* incumbit, *deflexus*, seu *male positus* dicitur, dum longa illius axis medio supremae pelvis areae minus recte ad perpendiculum instat, perinde, vel oblique per se formatus et intortus simul sit, vel non sit. In omni explicatione uteri bona axis longa pro-

pemodo ex medio fundi recta ad medium oris tendit. Secus est in erronea expansione; tum nempe et fundus et orificium varie recedunt ab axe.

Nova hic, non ingenii commenta, sed naturae constantissima facta memoro; laboriosae curiositatis in mille partubus praemia! Sed ultimum documentum ex cadaveribus gravidarum advenit, instituta sectione caesarea. In sola quippe iniqua extensione uteri, et obliquitate et contorsione culpa est, quod habita quamvis summa cura, incisionem procul a ligamentis et pari distantia ab ore et fundo peragendi, vulnus tamen posthac in vivis aeque ac mortuis citra exspectationem offendatur uspiam, ubi, dum incidebatur, in amplo utero minime putatum fuerat.

Unde liquet, quam oblique cel. *Deventer* orificium) nunquam non fundo uteri recta adversum ponat, quamque nutans huic falsitati superstrata omnis de obliquitate doctrina sit. Nihilominus medici obstetricii cuncta adhuc ex obliquo cernunt. Licet enim *Levretus* vanam scientiam nonnihil represserit, parum tamen inde profectum est ad usus; accommodavit potius delirium in speciosas commendationes suae forcipis.

Obliqua uteri in latus positio, sin alioqui ex constitutione nihil obstat, nullam partus moram alit; atque quidem oris plena declinatio hac pactione nec potest obvenire. Quin imo ostio uteri in aliquam ambitus pelvis partem

deflexo, fundum recta adversus inclinari, optatius est, quam cubare illum in alterutro latere, etiamsi orificium positum in areae medio sit.

CAPUT SECUNDUM.

De causis obliquitatis uteri, ejusque signis.

Uterus, ubi obliquum duntaxat situm tenet, illius haud difficilis cognitio est. Fundum quippe extra solitam regionem invenies, et recta ex adverso orificium. Illud praeterea solus ferme aspectus, dumque necesse est, imposita manus monstrat. Quo vero ostium spectet, digitus indicit.

Sed complicatius momentum habet, obliquitatem finire uteri ipsius et gradum determinare modumque, quod distorsio oris, et uteri ampliatio non semper congruat cum obliquitate, quae a cubitu est. Qua de re facile et ad sensus convincimur, dum mox parituras ex proposito aspicimus et centrectamus. Delige ad experimentum duodecim aut plures gravidas, in quibus primo uteri situm ex intuitu, vel apposita manu aestimabis. Postea per vaginam orificium in ea regione persequitor, qua secundum *Deventeri* scientiam illud ex situ suspicabere. In quinque certe ex duodenis praejudicii recte contrarium senties. Frequentissime propenso quamquam utero, os neque sursum, neque retro invenitur. In hac gravida, quia fundus latus dexterum premit, os quaeres in sinistro; sed falleris: in dextero degit. In alia idem probe

in area exstat; atque tamen locatus oblique uterus, et male configuratus venter est. In aliis denuo, quantumcunque laudabili sit forma, vix tamen attinges ostium.

Fundum uteri ex latere cubare, hujus potissimum causa ex illius forma et flexura dorsi explicabilis est: tanquam rotundum corpus a rotunda vertebra in alterutrum latus deverti necessario debet. Creberrime fundus procul etiamnum partu sub dexteris costis spuriis, osque retro quidpiam ad sinistrum latus supremae aperturae residet. Ubi caeterum oris deviatio ad fundi situm quodammodo respondet, sine dubitatione noscis, uterum duntaxat ex obliquo cubare maxime, quin simul tam oblique constitutus ipse sit. Idem quoque de omni aberratione alia valet.

Parum vero hucusque gravis res magistros movit; alias de ea saepius dissererent prudentiusque, nec omnem obliquum situm item et obliquitatem uteri a peculiari quodam vitio: praesertim ex corporaturae et pelvis difformitate; a tumore in vicinis membris, a contigua placenta praeter fundum, aliisque vanis accusationibus ceu morbum deducerent. Quorum forsan aliquid interdum subest, plerumque vero in obliquum vergit uterus, licet nihil illiusmodi officiat.

Tanquam frequentissimam causam obliquitatis id accusant, quod placenta insideat citra fundum, unde simul fiat, ut recta illam in partem inclinetur uterus, qua placenta adhaereat,

eam vero erronee adhaesisse, cognosci ex illius figura.

Ego ab innumeris exemplis rem aliter calleo. Quo itaque doctrinae fallacias aperirem, curavi, ut praeterlapsa hieme in ducentis, absque intermissione consequentibus partubus, ad hoc exemplar fierent observationes. Dr. *Zompathy*, medicus Pesthiniensis, posteaquam per tres menses studio se obstetricio in schola solerter dederat, munus jucunde suscepit. Illius ingenuitas et prudentia nihil dubii relinquit, quin omnia in re probe inquisita et perscripta fuerint. Verum tamen, quia plura excipere, supervacaneum foret, hic pauca modo, ac talia imprimis notabo, quae figurationem placentae et alia prope in hac re praecipua momenta attinent.

Aliqua in situm uteri et secundinas observata.
D. 24. *Octobris* 1790.

Partus XXI. 30. Octobris 1790. *Francisca D.* 19 annos nata, hora undecima vesperi feliciter peperit. Abdomen modice extensum, ore uteri in medium aperturae superioris probe directo. Placentae figura ovoidea. Maxima inserti funiculi umbilicaris a margine placentae distantia sex, minima duos pollices aequavit.

Partus XXVII. 1. Novembris. *Evae H.* aetate 30 annorum. Partus naturalis et facilis, tribus horis post defluxas aquas mane circa primam finitus est. Orificio admodum in area excepto,

rite etiam formatus venter erat. Figura placentae ovoidea. Insertus in medio funiculus.

Partus XXXV. 7. Novembris. *Elisabetha K.* 18 annorum, fortis et plena succi puella, prima vice et aliquantum moleste edidit, circa meridiem, effluxis aquis matutina sexta. Venter solito magis expansus, aequabili quidem rotunditate, interim ex dextro latere aliquantum subtensus. Os uteri oblongam rimam exhibens in alto et retro haesit. Placenta in orbem circumscripta. Chorda umbilicaris a margine alio pollices quinque, ab altero insita tres erat.

Partus XXXVI. 7. Novembris. *Anna S.* aetatis 27 annorum, tenui habitu, post meridiem secunda, mortuum foetum posuit; horis post fluxum amnios tredecim, abdomine probe explicato, uterique cervice laudabiliter demissa. Placenta figuram ovoideam habuit. Altera funiculi a margine distantia unius, alia septem pollicum.

Partus XXXX. 7. Novembris. *Elisabethae G.* 34 annorum, naturalis, neque laboriosa parturitio. Venter ex utroque latere tumens, durus, distentus, valde in crura propendet; nec tamen in altum suspenso, neque ad latus verso orificio. Secundinae propemodum rotundae. Recessus funiculi a margine, ut 7 : 3 pollices.

Partus LX. 15. Novembris. *Maria G.* 24 annos nata, foetum quinta vespertina solvit. Abdomen justo amplius dextro praesertim latere eminebat, ore uteri dextrorsum perquam elevato. Placenta rotunda. Origo chordae umbilicaris a margine duos pollices.

Partus CV. 1. Decembris. *Theresia N.* aetatis 36 annorum, debilitata corpore, hora sexta vespertina, naturaliter et expedite parturivit, aquis medio horae ante delapsis. Abdomen a dextero elatum, os uterique ad sinistrum ileum positum erat. In placenta omnino circulari chorda ferme ex centro prodiit.

Partus CXXV. 11. Decembris. *Anna F.* 29 annorum, salubri constitutione, decima mane vegetam puellam exclusit, liquore amnios media hora ante defluxo. Tum brevissima mora dispersum quoque orificium, sicque commodissimus erat partus. Ventre laudabiliter formato os recte institit. Magna citra morem placenta ellipticam formam habet. Recessus funiculi a margine, uti 2 : 9.

Partus CXXXII. 16. Decembris. *Elisabetha B.* 23 annorum, debili corpore, quinta postmeridiana ope forcipis a mortua jam et obiter putrefacta puella solvebatur. Venter utroque latere ita protuberabat, ut ex longitudine partitus esse in duos tumores videretur. Os uteri in aggressu laboris dextrum respiciens latus ob altitudinem vix percepi. Liquor a triginta et novem horis furtim manare, nec orificium prius, quam hodie mane circa nonam dehiscere coepit. In rotunda et putrida ferme placenta major distantia funiculi sex, minor duos pollices aequavit.

Partus CXLVI. 25. Decembris. *Barbara L.* pallido, bilioso habitu, 26 annorum aetatis, noctu hora prima facile parturibat. Liquor non

nisi dimidio horae ante depositum foetum abit. Altum orificium difficulter in latere dextro attingitur, ventre in sinistro latere ab utero vehementer in tumescentiam acto. Circularis placenta. Funiculi maxima distantia septem, minima duorum pollicum.

Partus CICVIII. 1. Januarii 1791. *Catharina B.* 28 annorum, nona mane plenam puellam exsolvit. Aquae fluxus pridie vesperi post octavam factus. Orificium in latere sinistro, et alte et retro positum erat; nihilominus perquam bene extensum et conformatum abdomen. Secunda propemodo circularis. Minor chordae a margine discessus quatuor, major sex pollices tenuit.

Sed abstinemus a narratione, quum jam ex dictis palam sit, placentam propterea, quod citra fundum prosperet, nunquam esse in causa, quod uterus ex obliquo jaceat. Qua scilicet pactione, ubicunque ex longo rotundae sunt secundae, uterus etiam deberet ex obliquo habere situm, contra, illarum forma prope circulari, quoque illum non aberrare consequens esset; cui vero ex perspectis minime suffragatur experientia.

Haud equidem infitior, ventre congruenter extenso, placentam saepius prodire circularem; attamen, quia etiam contrarium accidit, potius verisimile est, ex eo, quod praeter fundum infixae secundae sint, non tam effici, ut obliquum uterus situm capiat, quam id, ut abnormis fiat in sua configuratione. Quapropter

aliena adhaesio hoc quidem specimine ceu causa, alias vero consideranda tanquam effectus est. Idque omnino percipitur, uterum, qua regione secundas continet, quam alibi, maxime crassiorem esse. Ubicunque igitur secundae citra fundum attinent, vix uterus per omnes ambitus aequabiliter increscet, sed distrahi et in solido varie intorqueri debet. Deinceps, quamvis placenta in fundo primotenus adhaerescat, attamen ubi ex quacunque causa, sive intus sive deforis, uterus non aequabiliter ex omni carne extenditur, fundum illius, cumque eo etiam detorqueri placentam, omnino necesse est; ut igitur hic affixio secundarum extra fundum spuria modo, et ad inducendam obliquitatem parum idonea sit, sed ipsa obliquitatem potius consequatur.

Atqui oblique constitutum et ex figura abnormem uterum cognoscimus, orificio non recta linea fundo opposito; ubi, ad exemplum, os simul ac fundus idem latus respicit; sive elevatum magis, demissumve est, quam quidem ex positione uteri, ejusque fundi opporteret. Similis conditio, neve uterus ex obliquo positus simul sit, vel non, praesertim, si varia insuper et multum inaequali est crassitie, absque dubio partum protrahet, imo gravabit; quatenus nempe natura tempore indiget, ad enitens viscus primis doloribus opportune conformandum constituendumque, ut foetus demum queat prodire. Interim frequenter sine omni molestia vel expedite etiam tota functio cedit, dummo-

do nihil aliud obstet, nec simplicissima natura damnum a praepostera arte capiat.

Quapropter, ut quoque ista monita confirmentur, et obliquitatis notio extendatur, supra scriptis quaedam alia subjungimus exempla.

Partus XVII. 31. Octobris 1790. *Maria F.* 26 annorum, hora decima vesperi facile enitebatur. Venter non multum extensus, utroque latere pariter elatus erat. Os uteri ad sinistrum et anticum valde elevatum digito vix obveniebat; attamen placentae circularis erat rotunditas.

Partus XLV. 8. Novembris. *Julia R.* 24 annos nata, salubris admodum, et prima vice praegnans. Liquor mane hora quarta effluxit. Nihilominus post octavam vesperi orificium vix circumferentia aequabat pollicem, tam alte ac retro elatum, nec tamen ad latus propensum haesit. Apprime caeterum formatus venter. Ore uteri haud prius, quam altero mane circa undecimam dilatato, paulo post tandem sequebatur partus. Circularis placenta.

Partus LXVII. 18. Novembris. *Catharina P.* 32 annorum, valido habitu, secunda matutina naturaliter parit; rupto septem horis ante amnio. Ingentem, dextro latere multo pleniorem, quam sinistro, gesserat ventrem. Orificium uteri in medium areae omnino institit. Placenta ovoidea.

Partus LX. 15. Novembris. *Rosalia G.* 23 annos nata, aquis stillatim et suspecte decidentibus, facile exclusit. Amplum, dextro praeser-

tim latere, ac prominens abdomen erat; dextrorsum etiam et altius posito ore uteri. Secundinae circulares.

Partus LXXXVII. 23. Novembris. *Anna S.* 24 annorum, post decimam vespertinam, aqua ante furtim delapsa, facillime parturivit. Venter parum distentus, et bona forma; attamen in posterius adeo suspensum erat os uteri, ut a principio manus vix attingeret. Secunda circularis.

Partus CV. 1. Decembris. *Anna R.* 27 annorum aetate. Partus circa septimam vespertinam facile cessit. Uterus praesertim requievit in dextero; item in pelvi ad dextram partem positum, et ob altitudinem vix percipiendum digito os erat; parva et rotunda placenta.

Partus CXXIII. 10. Decembris. *Anna W.* 26 annorum, facillime enixa est, sexta matutina, ruptis ab horis quatuor velamentis. Orificium non citius aperiebatur, quam in ipso ferme momento, quo foetus prodiit. Venter ex latere sinistro non mediocriter eminebat, in idemque latus deflexum uteri os erat. Placenta ovoideum retulit.

Partus CXXXV. 18. Decembris. *Magdalena G.* nata 22 annos, elapsis ante octo et viginti horas aquis, septima matutina peperit. Os uteri sursum et a dextero ita erat suspensum, ut primo ne attingeretur, neque prius, quam bihorio circiter ante exitum foetus, dilatari coepit. Eximie formatus, nec magnopere extensus venter. Circularis forma placentae.

Partus CLII. 27. Decembris. *Anna P.* aetatis 24 annorum. Noctu hora secunda sanissimam puellam cum facilitate edit, mox ante prolapso liquore. Orificium probe demissum, ampliatissimo licet, et in crura protenso ventre. Placenta ovoidea.

Partus CLXX. 6. Januarii 1791. *Francisca N.* 38 annorum, laxo corpore, mane hora nona naturaliter peperit, brevi ante foetus exitum effuso amnio. Os uteri maxime retro ad sinistrum tendebat. Praeterea ventris supra ossa pubis tanta dejectio, ut fundus uteri inter crura percipi manu, atque oculis posset. Placenta sueto ambitu circularem formam habuit.

Paucis abhinc diebus, quum in hisce conscribendis essem, petiebant me ad quandam mulierem in suburbanis. Per sedecim jam horas et ultra vexabatur doloribus, furtim exstillante amnio. Decenti rotunditate ampliatus, et formatus in perfectissimum exemplar venter erat. Nihilominus invenire os uteri neque obstetrix, neque ipse potui. Consolatus aegram de propitio successu abii, post duabus circa horis reversus, laetam matrem cum pleno infante vidi.

Praeterlapsa hieme uxor militis, laborioso itinere redux ex Hungaria, quarto abhinc lapide capta doloribus foetus est. Cum nisuum ingressu confestim defluere amnios; nihilosegnius iter ad necessarios perrexit. Advocata obstetrix inferius uteri totum segmentum, una cum foetus capite, absque ullo oris indicio,

in

in cavitate pelvis excipit. Neque ego arcessitus prius, quam horis quatuordecim post, pertingebam digito; tam elevatum os retroque conversum ad angulum ilei fuerat. Attamen parturitio, licet decem et octo horas tracta, secundum naturam et sine omni noxa desiit.

Ex commemoratis exemplis, quorum similia, nisi cuique praesto essent, multa alia conferrem, clarius luce est; primo uteri obliquam figuram ab obliquo illius simplici situ penitus discrepare, ideoque organi hujus diversam quodammodo esse obliquitatem; aliam nempe ad *situm*, atque aliam, quatenus ad *figuram*, quae caeterum in una eaque gravida, vel singulatim adesse, vel promiscue potest. Dein etiam hoc elucet, tametsi placenta haudquaquam haereat citra fundum, saepe tamen, (quantum saltem per accepta signa proditur), uterum in obliquo offendi, contra, si quidem placenta distet a fundo, haud tamen ideo necesse esse, ut positio obliqua uteri sit.

Unde aequabilis observator longe pervidet, multa etiamnum inter ignorata esse, quae docta ingenia jam pridem lucidissime in classes ordinavere. Quamvis enim non disputemus, ex memoratis vitiis utero, dum intus habet, obliquum aliquando induci situm; tamen vix in hoc erramus, quod reprehensum perpetuo illius obliquum incubitum, imo iniquam figurationem ab ipsa sua compage, et a diverso, quo extendi patiens est, modo, utque breviter dicamus, provenire intus ab ipsa sua constitutione asseveremus.

CAPUT TERTIUM.

Qua ratione, quibus item adminiculis, in obliquitate utendum sit.

Tantum abest, ut simplex uteri obliqua positio, dummodo reliqua in matre et foetu secundum normam sint, partus functionem impediat, ut potius facilitet.

Tum quippe parientem praecipue intra primos dolores cubare in latus, iisque solum absque vi et impensione indulgere sufficit. Quilibet citra necessitatem attactus, quaevis oris cum digito dilatatio, illudque in aream reducendi, demens opera partum trahit, et irrita vexatione, cruciatus, quin etiam pericula infert.

Ex ipso namque pelvis supremo ambitu, ex ventris et uteri amplitudine ac figura facile intelligitur, utero simpliciter oblique posito, parituram ad latus incumbere sat esse; caeterum nihil referre, sive dextrum id, sive sinistrum, sit. Imo etiam, dum propendens venter est, praeter situm ex latere nulla alia re opus habet, quia ipso jam incubitu suffulcitur, ac satis in altum sustinetur uterus. In quo casu, matrice videlicet in crura declivi, eoque magis, quando simul ex conformatione peccat, altius et retro actum orificium haud secus, quam difficillime, vel omnino non invenies. Quodsi demum, ut subin consuevit, elatum os ipsa sub pube absconditur, ut vix, aut nullatenus attingas, erit aliquis, qui tantam deviationem non

induci ex eo posse nesciat, quod uterus simpliciter oblique incubet, sed ex eo potissimum, quod perperam et noxie sit configuratus?

Persaepe vero uterus et oblique situs et vitiose simul extensus est, ita ut in aliam plagam fundus vergat, in alteram os. Rebus ita erroneis, intempeste praesertim labente amnio, longiori plerumque tempore natura indiget, antequam, varia dolorum anomalia, dehiscat et in spatia pelvis revertatur os. Attamen et hic firmiter exspectandum est, rebus caeterum propitiis, intrinseca virtute et sine omni subsidio artis, ad finem iturum partum esse; dum primos modo dolores aeque pati, nec majori quidem, quam sueta brutis et feris patientia, ad opus se commodaverit hominis mulier. Quibus enim conatubus in dilatationem os venit, per illorum quoque efficientiam totum uteri congrue effingitur, disponitur, et modificatur, ut ad extricationem foetus opportunissimum maximeque necessarium est.

Quantumque ergo quotidiani obstetricantes de arte sua os retrahendi manu conclament; pro certo tamen habeo, durum, irritum, et absurdissimum esse tale conamen. Hac positione, quidquid non viribus naturae, neque mora, neque corporis situ prosperat, minus multo impetrari duritia manus potest.

Inde etiam colligimus, qui os uteri manu digitisque attrahere in pelvim moliuntur, quam paradoxam sibi imaginem de structura hujus visceris, item et connexione finxerint: nimi-

rum quasi lignea illud materia sit, et ex mobili axi in ventrem pendeat. Ac ne ista quidem machinatione, ob vectis praecisum velut brachium, cui negotiosus digitus ad os adnititur, perficerent quidquam. Neque minor sinisteritas est, uterum apprehendere ad cervicem et mitrae instar foetui a fronte trahere. Sane, donec ad ordiendum suum opus haud facilis est natura, pleraque haec cum doloribus multoque cum periculo frustra fiunt. Quamprimum vero natura se ipsa parat, quidcunque susceperis, movendo, amovendo, inutile et supervacuum facis.

Postremo adjungimus cum superbia, in tot millibus partuum ne unius comminisci nos, in quo propter obliquitatem uteri, minusque ob illius positionem obliquam tentare aliquid seu versione, seu arte alia necesse fuisset. Unde demonstratur, alios in isto ineptissimo opere laboriosos homines, vel a partus cognitione omnino abesse, vel studio rumoris et inhonesti lucri exercere technas.

COGITATA DE FEBRE

CEU

PROLEGOMENA

IN FEBREM PUERPERARUM.

Denique ipsa febris, quod maxime mirum videri potest, saepe praesidio est.

CELS.

Nequaquam de febre summatim disseram, conscius ferme, quantum distans a viribus foret propositum. Id igitur praemoneo: quae ad haec loca memorantur, nonnisi leves, et ab eventubus, quos in febrium quodam genere saepe observare licuit, derivatae, caeterum remotae procul omni inductione opiniones sunto.

Ecquid est febris? Unde oritur? Ne morbum eam dices? An medicinam morbi? Difficilis ad haec omnia responsio est. Illud modo patet, aliter esse febrem ex natura, aliter describi; quidquod permultas febres prosperius citiusque saepe, at diverso, quam quo plerumque solet, tractari modo posse.

Profecto, quamdiu, quid vita sit, nescimus, et in quo consistat, neque quid sit febris, definiemus. Vita enim ac febris in natura rerum

ex primis sunt ultimisque, quae latere in aeternum mortales debent. Vel dicet quisquiam, rectam ejus ideam esse, quod conamen naturae *Sydenhamus* vocat? Vel consistere illam in motu celeriori cordis et arteriarum cum *Boerhavio* censeamus? Vel Archaeus agitat, opinante *Helmontio*?

Par certe ad febris notitiam viris illis sua erat cuique doctrina: sed ad usum pro mortalibus, ad febris quippe curam, *Helmontii* et *Sydenhami* similitudines praestare doctis figuris *Boerhavii* certum habeo. Illi obscuram cogitationem ex re vividi animantis hausere; hic ad mechanica principia ex febriente omni animali turbatum machinamentum finxit, ut non miremur, nimis ad mechanicum quoque cruduisse suam medicinam.

Pleraque in omni febre signa mutatam esse vitalitatem aperte monstrant: ubi nihil a vita subest, ibi utique nihil etiam febris est. Quum porro vitae omnis vis haud aliter manifestetur, quam quod *sensile* et *irritabile* sit corpus, maxime etiam verisimile est, febris characterem repositum ferme in conturbata indole *sensilitatis* esse. Ut igitur, quatenus res aliqua morbum facit, quia noxie in membra agitat, et insuetas alienasque mutationes in sentiendo producit; eatenus etiam eadem illa res procul dubio ceu causa ipsius febris aestimari et possit et debeat. Quae tum ipsa febris pro diversa indole et more suo ad sanandum morbum vel opportuna erit, vel noxia.

Unde scitur, eos, qui febrem ubique pro medicamine habent, infestum hospitem nimis honestare. Sed profitemur etiam, medicos, quod nunquam febrem, nisi hostiliter, excipiant, persaepe amicissimam sociam naturae, cum eaque naturam expellere ipsam.

Equidem, ut vulgo fit, perire citra morbum et febrim animal potest; sed nullus ferme in animanti verus absque febre perstat, neque sanatur morbus, neque trucidat.

Quanquam enim vero corporis varia membra contrahere noxam quodammodo, tum lente degenerare, et paullatim ad functiones fieri inepta possint, absque tenente necessario febre; posteaquam tamen morbida mutatio vel mutationis causa eo pervenit, ut prima inde ipsa sentiendi ratio affligatur, protinus febris occipit, qua res in aliam versatur naturam, eaque in pristinam reditura sanitatem, seu quod saepe fit, desinens in mortem est. Ita per annos aliquando velut sine damno scirrhus haeret; tandem parit dolores, accendit febrem, fitque carcinoma necatque

Insolitus, molestior frigoris passim calorisque sensus, mutatus et velocior plerumque pulsus vasorum, cum nova et ingrata per universum corpus affectione, febris characterem statuunt. Verum cuncta ista in omni febre diverso se habent modo, excipiuntque; unde innumerae varietates et permulta sunt nomina, nec tamen medico anxie respectata, nisi quatenus ad notitiam causae febris, et dijudicandam speciem et typum faciunt.

Quaelibet seu intermittens, post totidem horas sive dies, manifestius reditura, sive absque intermissione vel ad sanitatem, vel ad mortem usque assidua febris est. Nulla caeterum, quae non omnem medelam respuit, continua et eodem aestu durat febris. Quin imo cuivis atque ei etiam, quam recte *phlogisticam* dicimus, continenti febri, aliquae tamen, vel tantillae remissiones et insultus sunt. Hujusmodi interea modificationes in plerisque febribus pro diverso illarum genio fortius vel occultius in sensus cadere, et tempore et more vel ordinem servare, vel incertos habere modos, palam alioquin est.

Sed undenam in plerisque remittentibus continuis, potissimum vesperi advenit asperitas? Cur non ita cum insultubus intermittentium? Qui fit, hasce post certa spatia accuratius redire? Magnum hercle argumentum, cujus in explicatione, qui omnia scire affectant, tandem cum dignatione exercerent ingenia!

Plerumque quidem febris a causa excitante regitur. At robur illius et intensitas, quin typus etiam, et alia ferme, quae eam comitantur, non tam a materia incitamenti, quam variis ab rebus adventitiis videntur fluere: a temperie et constitutione climatis, ab habitu et opportunitate corporaturae et permultis aliis mutabilitatibus. Cujus rei clarum documentum insitio variolarum praebet. Nae singulo puero aequalis macula contagii inditur; atqui tamen, quam multifariae sequentis morbi sunt passiones, et gradus febris et decursus?

Quaelibet vehementior obveniens in corpore mutatio, morbique actuosa omnis materia febrem accendit, quae ubicunque ex causa sua vel propria indole, nec maligna nimis, nec morbo capiti dispar multum, neque rebus extraneis, neque pravo corporis habitu ultra modum perniciosa vel intensa est, expellendo immutandove, quae intus sunt nocitura, naturam ad valitudinem ducit, post totidem quippe dies, imo horas. En critici priscorum dies, et cocta materia morbi!

Eatenusque omnis febris curationem absolvit, omnisque morbus eam sibimet ipse creat; eatenus febris vices medici gerit, imo medicus in tota natura omnis et solus est.

Hancque febrem simplicem et benignam salutamus; quam nostris tempestatibus vix alibi hac puritia est invenire, nisi inter vagantia animalia, inque gregibus forte palantium hominum, qua saginata nostrum luxuria, vel extenuatissima miserabilitas, tum variabilis ad commenta medicina, et universim Europaeorum mos et familiaritas pertingere nondum valens fuit.

Correpto animanti morbo, dum parere instinctui aliquantum potest, in hac febre una omnisque salus est. Ea quippe sanescit, seu quando malignitas morbi, vel illata injuria naturam superat, occumbit animal.

Sed vinctis mortalibus ex societate raro contingit simplex et genuina febris. Absunt ab omni naturali et incomposito usu; absunt igitur

etiam a simplicitate morborum febriumque. Nobis quippe tam complicatae febres, quam quibus infestamur, ipsi morbi, illorumque occasiones sunt. Scilicet dum valere nobis videmur, repudiamus naturam, pervertimusque, ut nihil mirum sit, versam naturam linquere tandem, eamque in metu morbi deserere etiam nos vicissim.

Quapropter plerasque hominis febres ex parte, eatenusque modo considerare, ceu medicinam morborum licet, quatenus natura nempe ex primis suis fundamentis haud sinit everti sese.

Interea febriles nostrae affectiones ob varias nocivas, sed pariter stabiles quoque causas, ut nunc quidem mortalium calamitas viget, tantum a prima sua simplicitate distringuntur, ut ad beneficium illud rarissime sint commodata; contra rebus in pejus actis, corpori saepius in perniciem fiant. Propterea febris hac facie tanquam morbus utique, vel saltem ceu aggravans illum haberi accessio debet. Atque ad salutem confert febris, quidquod medicatio ipsa est, donec opportune agit in morbi causam, morbum mollit, sanatque, seu facere saltem ad illius levamentum et ablationem potest. Contra infesta febris ipsaque est morbus, dum sine utilitate ac frustra in causas morbi furit, morbum ipsum neque pacare, neque abigere valens.

Quaelibet febris natura sua infirmat, quoniam certo spatio plus virium vitae consumit, quam pari tempore amitti corporatura

sana solet. Ubi tamen idonee incedit, hoc in se commodi habet, ut morbum propemodo vincat, laesas functiones reficiat, corpusque assumendo cibo potuique opportunum reddat. Quodsi vero absque utili in aegritudinem efficacia trahitur, frangendo vires et animantis habitum amplius suffodiendo, morbum exasperat, novaque ac continens causa crescit, ut de foris corpus ex alimento nihil contrahat.

Quiscunque causam, quae febrem concitavit et sustinet, recte tollit, procul dubio febrem quoque ipsam franget, quin tamen semper possit adversari, ne ultra in eam quidquam proclive corpus maneat. Sed raro fit, quidquod inconsultum aliquando foret, recta in primas tendere causas; contrario in difficillimis saepe aegrotationibus acquiescere moderationi et sopire urgentes maxime passiones juvat.

Quapropter eo inprimis morandum, ut scite finiamus, quid ex febre ad sanationem pertineat, quid secus; quantum superet, quantum deficiat; denique quemadmodum alibi studendum illius augmento sit, decremento alibi; in quo quidem, pro mea opinione, omnis medendi versatur ars. Hac certe linea eam terminatam censeo.

Plurimum in tractatione haec nobis est intentio, ut febris vehementiam et aestum minuamus; quanquam in permultis morbis potius contrarium oporteret; quia non raro cum febre simul vis vitae opprimitur. Unde necessario rudis quoque morbi causa, et incocta materia

manet. Quapropter in multis febribus roborans, ut dicunt, et Anglis assueta methodus apprime conducit. Complures aegritudines recte eá ac breviter vidi sanari, quae aliis in terris multo saepius vel mortem adsciscunt, vel crebra venaesectione, tum perpetuo tractu vacuae decoctionis, aliisque ineptiis, addita ad confirmandum corpus videlicet, inhumana victus interdictione, in multos extrahuntur menses, et ad postremum ex fortuna velut in malum longum et insanabile conficiuntur.

Est nempe aliud quidpiam, moderare febrem, illiusque indolem adaequato commutare stimulo, atque aliud refrigerantibus *eccoproticis* aliisque hujus notae rebus, mox stringendo corpus, mox in stuporem agendo sensus, nonnisi hebetare et obtundere illam. Videlicet per temperationem febris, stimulo ipsi inimico, vitalitati accedit lucrum; contra cum discrimine et impensa totius corporaturae illa violenter et intempeste oppressa, vincit morbus, natura succumbit.

Palam caeterum est, multiformes adversus febrem nitendi modos esse, et varia indicari praesidia. Eximias inter reliqua virtutes possidet stibium; cui tamen vix ante fidem tribui; at centum et supra exoptatissimi morborum exitus et mihi et aliis certa totidem in re documenta fuere, ut absit nunc dubitatio.

OBSERVATIONES
IN
FEBREM PUERPERARUM.

Mulieres, dum in febrem puerperalem incidunt, sin ad tertium quartumve diem non persanatae sint, plerumque moriuntur. Quaedam interea citra exspectationem convalescunt. In pluribus fluxus alvi, ingens dolor et tensio ventris est. Quomodocunque curaveris, ex quatuor generatim duae etiamque tres moriuntur. Post obitum in ventre vis purulenti liquidi reperitur; et inflammata et conglutinata viscera et intestina. Cujus morbi tanta malitia est, ut omnis adversum conatus naturae frustra sit. Nec raro infestat; attamen in omni re obstetricia ex calamitatibus una est, quas contra etiam ars nihil proficit.

W. Hunter in praelectionibus,
M. S. *Anglic.*

Nisi confestim curentur, plurimae intereunt.
Hipp. *de morb. mulier.*

In tanta morborum copia ac varietate, quibus mortales infestantur, paucissimi tam periculosi et subito lethales sunt, quam *puerperarum febris*. Cujus tristitiae crebra habentur testimo-

nia; unde etiam multorum nunc in inquirenda illius natura et invenienda curatione laudabilis cum maxime labor et intentio est.

In puerperis tam multis, quarum mandatam curam habeo, quasdam subin morbo illo corripi, nemo dubitat. Quae igitur tractandae febris ratio nobis et modus sit, utque cedat, his locis profiteor.

Ante omnia, quem *febrem puerperalem* vocitamus, ex mea sententia proprius acutus est morbus, quo parata ad formandum lac in corpore materia, et verisimiliter, ea etiam ex parte, quae puerperii purgamenta sistit, plerumque citra naturam in abdomen, quandoque etiam in alias partes descendit. Hancque febrem egregie jam divus *Hippocrates* scripsit, vel in Libris de *Morbis popularibus* collustratam habet observatis. Quapropter mirabile est, scientiam affectus adeo manifestati ad nos usque delituisse, ut illius hodiedum nulla ferme congruens notitia sit.

Namque quia febris ob excitamenti varietatem rerumque, quae eam comitantur, diversam indolem, cum ob aegrarum absimiles naturas, tum ob multas a morbo inductas mutationes, incerta forma venit, ingens hac tempestate eruditorum circa illius naturam dissensus est. Olim quippe crediderunt, noxam oriri ex inflammato utero; nunc eam ex phlogosi intestinorum, omenti ac peritonaei ducunt. Aliis visa gastricae, ac biliosae prosapiae, aliis putridae; his vulgaris modo, illis sui generis et distincta febris dicitur.

Oppositis tantum sententiis circa afflictionem, haud mirabere, diversa etiam adversus celebrari remedia. Quilibet rejectis aliorum cogitatis, quam ipse de febre tenet, nonnisi suam imaginem veram praedicat; paucissimis nempe contingit, variabiles quam maxime phases, queis morbus apparet, speciesque coram in aegris aspicere.

Nec paramus tamen, medentium de hac pernicie lustrare commenta, et opiniones; neque tam disparia componimus consilia. Id modo post complura exempla attingimus, febrem puerperarum morbum proprii genii esse; quae interea, quatenus nihil, quod per se mortiferum sit, corporaturam vel quoddam membrum occupat, ut vulgaris fere *intermittens*, peculiaris curae saepius ac definitae capax est.

Constans tale et audax assertum nonnisi factis firmatur. Ad eaque provoco, illis annixa sententia stat. Quare etiam simpliciter prima modo tentata et successus narro, tardius aliquando (neque nunc jam deest materia) praegrave argumentum fuse propria scriptione tractaturus.

Febres quiscunque puerperarum vidit unquam, haud nescius est illarum caedium, utcumque ex cognitione hucusque fuerint tractatae. Alii, qui nihil aspexere, perniciei documenta in auctoribus habent.

Pleraeque, quas nobis *Hippocrates* notavit, item aliae ab aliis posthac, vario licet nomine, memoratae febres puerperarum lethales vix

non omnes fuerant. Apud *Leake* ex novemdecim tres supra decem mortem intulere; apud *le Roche* inter senas quatuor. Londini quodam in hospitio a triginta puerperis, febre epidemica aegris, intra novem hebdomadas nonnisi duae servabantur. In Parisiensium valitudinario *(Hôtel-Dieu)* vix una evasit a vigenis. Atque nunc inter septem ibi hac miseria decumbentes, nisi modestus citra verum rumor est, ex ordine quatuor pereunt.

Complures, qui aevo nostro de febre puerperarum docuere, percelebres viros coram sum veneratus, eorumque amicam eruditionem et usum et familiaritatem nunquam non grato animo teneo. Adfui medentibus iis; illorum ductu, ad cujusvis singuli ritus et principia ipse curavi, aegrarumque alias varia methodo sanescere, alias defungi vidi.

Postea multas foeminas proprio discrimini commissas habui. Pro necessitate aliis *antiphlogistica* dabantur, aliis ipecacuanha; aliis *eccoprotica*. Tum camphora, acetum *ammoniacale*, cortex *Peruvianus* pluraque hujus generis. Non raro omnia et singula vario tempore in singulis tentavi, sed minus utique secundo, quam funesto exitu, ut in novo omni casu anxius maxime delectus esset. Ecquis in curandis his febribus tutior unquam?

Praeterea doctrinae ambiguitas, variabilis efficientia remediorum, item funesti toties in propria et aliorum procuratione febris exitus in vulgata medicamina curaeque consuetissimas

spe-

species omnem ademere fiduciam. Tum triginta et pluribus admissis quotidie in curam puerperis, necessitudo animum aliter contra morbum perpulit, quo tot hucusque genitrices, frustrato naturae artisque omni conatu, foede occubuere. Nullibi profecto quid generali, ut vocant, methodo, et ordinaria medicina effici non possit, tam aperte perspicimus, atque dum in aegros complures perpetuo simili morbo laborantes intenta cura est.

Verum ne suspicio sit, quasi ex nostra febrium imprimis puerperarum tractatione vindicare meritum a priori velim, nihil pudet narrare, quemadmodum non ex pensitato, sed casu nobiscum inchoata cura fuerit. Verumtamen quid artis aliud ab origine, quam empiria? Quis medicorum unquam, (quos methodicos appellant), ex prudentia praenovit, intermittentes devinci cortice, argento vivo syphilin? Artem scilicet ab omni tempore fecit empiria, per successus probatis ad certos morbos auxiliis, eorumque juxta opportunitatem administratione, aliquando scientiam simulans. Omnis alius in medendo non tam ab experientia quam ex arbitrio acceptus mos detestabilis est, unde natura vix aliud quidquam nisi redundans damnum capit. Nunc ad rem propius instituam.

Erat aliquando, ut duae puerperae, quarum unam ego solus, alteram cum familias medico curabam, una die ex febre morirentur. Binas alias simili cum morbo luctantes in noso-

comio habui; quarum una brevi defuncta, altera in procinctu mortis erat. Morbi septimam prope diem egit, ventre tenso, tumido adeoque dolente, ut leve linteum molestiae esset. Fluxus alvi inscia aegra, celeritas pulsus, subsiliens tendo, delirium, difficilis fractaque *respiratio* cum collapso vultu. Lac ex mamma passim secesserat; a morbi exordiis parum purgamenti, mox nihil.

Obitu illarum mulierum, quibus hanc etiam non sine causa quartam accensui, magnopere commotus vesperam et animum distraxi inter amicos; at nihil mentem a morbo depellebat. Succurrit, ab annis retro haud vulgatum pharmacum stibii; idque in desperato tentare, praecipue, quod pridem sincerissime laudaretur, ipsaque aegra, si nihil delinimenti eo, nec tamen habitura damnum esset. Reversus domum, exempta a scrinio medicina, versus decimam noctu in nosocomium vado. Quae fuerit aegra, non est, cur repetam. Tirone quopiam medico et binis coram ex ordine in ministeria adstantibus novis obstetricibus, haesitans medicinam dare ex tempore, primae obstetrici clam tradidi, sub specie ordinatae camphorae porrigendam in infuso. Tum miserae nec auribus neve oculis capienti valedicens recessi.

Postero mane, quum, ut mos est, ad invisendum veni, primo obvia est obstetrix. Illico ego: abiit misera? Quidni? Bene habet; primo mane *caffee* a me petiit, simul juberi servam, ut pectat ipsi capillos. Irritatus obli-

que levi sermone, nec fidens, comitante medicorum et obstetricum numero, concessi ad lectos. A pristino die, quia moritura censebatur, lecto suo, umbraculis praecincto, dum ex ordine accedebamus, eam libere insedentem cernimus. Protinus complexa manum meam, exprimere gratias avet, cunctis, qui antea illam visebant, ingenti admiratione captis. Ipse tam inopinato eventu obstupui, dubius maxime, valitudo utrum a vera recreatione procederet, an ex fallacia ingruentis gangraenae. At vera et genuina fuit salus. Aegra de noctu multum sudaverat, missa etiam copia urinae, quo tantum dixit valuisse, ac si nova sibi sufflasset vita. Haud ultra ferme in ventre dolor; nec quidquam *meteorismi* est; pacatior pulsus; placida respiratio, humiditas linguae. Cessavit diarrhoea; rediere purgamenta; verbo, dispulsa et effascinata quasi pericula sunt.

Quo eventu licet summopere gavisus, non tamen arti vel medicinae salutem, quam forti potius et naturali crisi adscribebam.

Brevi post aliam puerperam, multo incassum adhibita medicina, similis excepit metus. Pari commodo datum stibium; praeterquam, quod tardius cesserit curatio. Atque hunc morbum, uti priorem, eruptus sudor et copiosum biliosae faeci magis, quam urinae simile excretum solvit. Post dies quinque vel sex restituta mulier.

Nuncque jam ut perpetuo rem inter fortuita et pro crisi habui. Parum quippe ab omni

tempore in designatam quampiam medicinam ad certas passiones, ideoque nec hic confidebam; quare haud prius, quam post quindecim et plures conclamatos fere morbos, in quibus semper eodem modo profecerat, aliisque sine quadam similitudine fortunae, imo saepe cum aperta noxa, porrectis praeparatis stibii, invitus fidere aliquantum huic coeperim; invitus, inquam, quod collecta in me non sine labore, per vicenos et ultra annos, levis scientia omnis subito ac miserabiliter conciderat.

Tum, medicamento in febris metu et discrimine firmato, haud moratus, illud mox inter morbi initia tentabam. Ab eo tempore vix ulla febris in puerpera crudescere ad perniciem, quin ne vehementer ad periculum solet, pharmaco, ut videtur, haud minus febrem a malitia praevertere, quam, ubi semel invasit, tollere opportuno. Verum tamen vix sine quadam injuria monitio esset, non hic sermonem de febribus agi, quas lethalis ex se noxa nobilis membri assectatur. In illis nimirum stibium nihil sanat; sed membris caveri a gangraenosa, intrinsecus per morbum et febrem oritura pernicie, id saepissime prodest.

Nunc ex centenis exemplis, ubi palam juvit, aliqua adjungam, ut sciatur, quemadmodum eo seu solum, seu juxta alia pro gravitate passionum, ac febris morbique natura utendum sit.

Historia I. Josepha N. viginti annorum, debilis et delicata, partu ad naturam acto, die-

bus primis propemodum sana, et lactitans quinta noctu subito excipitur vehementi frigore. Subsequens sudor nihil recreat, vanescente in mammis lacte. Summa debilitas, saevus capitis in fronte dolor, vagaque tormina. Velox ac suppressus pulsus cum arida cute. Injecta clysmata. Post, ventre mammaque calefacto linteo tectis, puerperae decoctum emolliens datur. Nec etiamnum ab ubere abstracta proles est.

Ad vesperam nova exacerbatio, praegresso modico frigore. Nunc increbescere ventris dolor et durare. Alvo hucusque haud segniter posita, clysmatis tantillum cum opii guttis viginti injicitur; tum venter, volatili unguento moderate confricatus, calefacto linteo tegitur. Pulvis gummosus cum nitro, et decoctum e radice *salep* intus exhibita.

Nox insomnis et novus ad primam lucem insultus. Contracto pulsu, sicca lingua, urente siti, tensum et dolens abdomen est, ut aegra ne tangi sineret. Praeclusa lochia, et admoto solerter infante, flaccidum et inane uber. Alvi etiam per noctem indigestae et aquosae dejectiones, cum virium magna jactura fiunt. Accipit aegra praeparatum, insequente post horam largo sudore, et turbido cum decidua faece lotio. Modicus mador cutem mollit usque in posterum diem, miro cum levamine. Post horas octodecim reseratis purgamentis et vacivo prope doloris ventre, lac in mammas redit, ut gracilis foetus ne quidem absorberet. Postero die nulla febris nota. Mulier, spreta decoctione,

vinum cum aqua expetit; quo potu, cum victu aliquanto lautiore, intra paucos dies convaluit.

Historia II. Anna B. triginta annos nata, fragili et bilioso habitu, post naturalem et mitem foeturam, secundo die illico saevis doloribus corripitur. Utero nondum, ut decet, contracto adeo inflatum et dolens erat abdomen, ut lenissima etiam manus omni plaga affligeret. Exilis simul, et celerrimus pulsus, vehemens sitis, siccaque et foeda lingua. Prodeunt interim lochia, turgent mammae.

Primo simplex injectum aliquoties clysma; dein aliud ad sedandos dolores. Aegrae, ob alvum nonnihil obstrictam, laxans eclegma datur, intus cum molliente decocto; unde quinquies dejecit.

Noctu leve frigus incessit, subsequo vehementi et longo calore cum deliriis. Inde effusus sudor, ut madefaceret lintea; attamen sine ulla moderatione doloris in ventre et aliarum passionum. Contra major est oppressio virium, parcus lochiorum fluxus, lactisque siccitas ferme. Dato ad vesperam stibio, aegra per noctem multum sudat, lenita aliquantum febre. Mane abdomen non tam tensum, nec amplius, nisi circa uterum, imo ne ad attactum dolens. Redierant quidem ex parte lochia; sed nec turbida neque cum sedimento urina est. Appetit puerpera vinum; at propter doloris constantiam in utero et asperitatem pulsus renuitur.

Aucta ad vesperam vis febris; neque vero

moram, neque periculum habet. Aegra interim ab horis viginti et ultra moleste constricta, alvus per clysma tentatur. Inde laxata, rursus stibium sumpsit. Sequitur copia urinae, simili excretione, ut fieri solet, per biduum passim et ultra repetita. Abit febris, uterus se contrahit, et in mammas refluit lac.

Historia III. Rosalia N. viginti sex annorum, debilis, satis tamen sana, quarta post partum die, ignota causa, febre capitur. Proximo mane, brevi post acrem accessum, mulierem invisi; querebatur de capitis dolore, de nausea et amaritia oris. Lingua muco lita, celer et mollis pulsus, tensum maxime et dolens abdomen; turbidus et tristis oculus; parum lactis et nihil ferme purgamenti erat.

Non ignarus proficuae in ejusmodi affectibus methodi *Doulcetianae*, quum morbus in initio erat, ipsaque passionum indoles, vomitum videretur indicare, nihil cunctatus febrienti grana sex ipecacuanhae obtuli, quo tenacis, et subviridis muci libram et supra vomuit, quater etiam de nocte mota alvo. Caeterum, prole ad suctus invalida, necesse erat, turgens uber mulcere imposito linteo, et fluxum lactis procurare elastica antlia.

Postero quidem melius paulo aegra habet; frons serenior, cum molli et humida cute; venter minus dolet, sed impatiens tangi, neque significatio purgamenti est. Datur decoctio ordinaria, et eclegma ex pulpa sambuci et prunorum. Tum facta super pubem et in-

guina leni unctione, ventrem et crura et pedes calefacto linteo fovent.

Post meridiem invadit aestus, cum dolorum incremento, tensione ventris, viriumque collapsu. Mox deteriorem multo quam mane aegram reperio, continua nausea et oppressione ad scrobiculum. Sexies bina per partes ipecacuanhae grana sumit, sequente, ut heri ferme, excretione. Vesperi ex potione paregoricum datur. Nox inquieta est, ob multas dejectiones cum *tenesmo*. Perstat dolor, aegra ob id moveri inepta. Levia passim deliria.

Interdiu pessime laborat, ventre duro, tenso ingenti cum dolore. Cutis et linguae siccitas, anxia, brevis respiratio, parvus et praeceps pulsus.

Qua rerum positione fortassis ex more venam licuisset tundere; sed iterata experientia prudens, in his morbis nihil frugi esse, supersedi, monitus inprimis quadam pulsus vacuitate, facilius percipienda, quam notanda verbis.

Exhiberi stibium curavi, dubius ob longam moram, auxilii. Respondit tamen. Mollescere post aliquot horas venter, nec nimium dolere, nisi a forti contrectatione.

Altero die pulsus fere naturalis; nulla diarrhoea, novus lochiorum fluxus. Nihil incusabat aegra, praeter famem; pendere sibi animam ex jusculo vini. Ecquis abnueret? Septimo a morbo die sana discessit.

Historia IV. Magdalena N. quadam difficultate ex natura peperit, aetate viginti et octo

annorum. Triduo ante nixus initia defluxit amnion. Manifesta in phlogosin pronitate, nec modica dolorum anomalia, praeter inditum clysma, parienti temperans potus datur.

Excluso partu vix quidquam mutata valitudo. Sed quinto die febris irruit, cum quadam molestia ventris. Prole mox defuncta mulier non lactabat, atqui invitato quamvis lacte, flaccida tamen et vacua ubera mansere. Injecta clysmata, et ordinatus ad vesperam nitri cum saccharo pulvis est.

Orta luce novus insultus adest cum artuum omnium tremore. Invisens brevi postea miseram, ejus abdomen durum, et circa umbilicum in exploratione dolens reperi. Lingua et cutis arida, celer et obnitens pulsus erat; dumque mulier profunde animum trahit, tussitat cum sensu doloris in sinistro latere.

Repetita potio contra phlogosin, cum drachmis duabus salis mirabilis. Quater vacuata alvo, sine notabili levatione, vesperi pulvis stibii porrigebatur, quo multum suadavit, et vim fuscae et glutinosae quasi urinae posuit. Cessat febris, expeditius manant lochia; inanes vero mammae sunt.

Loco infra costas adhuc aliquantum dolenti, temperatum meliloto *vesicans* apponitur. Sublato dolore mox convaluit.

Historia V. Juliana R. triginta et quatuor annos nata, delicato habitu, immodica et longa lascivia, tum multis medicationibus confecta, naturalem quidem, sed tardam foeturam ha-

buit. Propter papillarum planitiem quoque inepta erat lactandae prolis. Eam tertio puerperii die febris cepit, quae primum, ut quandoque fit, ab irruente lacte credebatur. Interea mammae nequaquam increscere. Segnius quoque manare lochia. Nulla caeteroquin ventris afflictio, nec in universum suspicionis praecipua causa erat.

Noctem aegra magna transegit inquietudine; decem et ultra ejectiones passa, dolore ventris continuo augescente. Mane citra omnem expectationem pessime prehensam vidi, atroci dolore capitis, suppresso pulsu, arida lingua, et siti ardentissima. Abdomen ad scrobiculum cordis tumefactum, et dolens, ut vix auderet respirare.

Hic equidem ex rarissimis casus obvenit, quo coram discipulis receptae normae contrariari intempestum ratus, tum etiam ob rei ipsius necessitatem haud parcere venaesectioni volui. Octo detractae unciae ex brachio sunt; sed vix frigescere sanguis, quum jam in tenacem et altam pollice crustam coiverat.

Brevis modo et simulata mollitio; infirmata prius puerpera, nuncque tam prostrata, ut ego saltem, quidquid de viribus in phlogosi iterata venaesectione erigendis pulchre disserant, a secunda missione abstinerem.

Post meridiem *dosin* pulveris stibii dedimus, nunquam minore quam in hoc casu confidentia: tam conclamata res videbatur, tam certa et insuperabilis viscerum inflammatio, et materiae facta dudum colluvies.

Post horas circa duodecim aperta quidem passionum moderatio; sed nihil purgamenti est, nec temperatus cutis vapor, nec in non multa, neque turbida vel floccosa urina sedimentum: ob negligentiam fortasis in tegenda post medicinam et fovenda moderate aegra.

Postero die, nova pulveris assumpta dosi, fusca et gravis muco urina magna vi defluxit; cum largo per noctem sudore. Mane pleraque in melius: ubera lac habent; vel sponte stillat; purgamenti quoque fluxus est. Mollitum nunc neque dolens longius abdomen, praeterquam, ubi ovarium subjacet, dumque aegra in alterutrum latus vertit. Quarum partium afflictione unguento volatili nequidquam pacanda, imponi vesicans curavi. Quo et ultimus cessat dolor. Sic restituta mulier nunquam multis ab annis tantum se valuisse testata, decimo et quinto die laeta exit.

Historia VI. Anna N. viginti quatuor annorum, pravo victu usa, et insalubri licet corpore, facilem tamen partum habuit. Defluxis ante oris ampliationem aquis, confestim et inopinato ferme parvulus et putrescens foetus simul cum placenta prodit. Tentato levi affrictu uterus propemodum se contraxerat, musculi vero et tegumenta ventris citra morem inertia et flaccida manebant.

Quapropter comprehensum lata fascia abdomen; dolere tamen, et ingenter intumescere coepit; manante ex genitalibus putri et foetidissima sanie. Mite ex rheo cum triginta *tin-*

cturae castorei guttis eccoproticum scripsi. Deinceps, per injectiones purgata vagina, inclinato die ex aqua chamomillae granum opii sumebatur.

Noctu aegram frigus febrile percutit, subsequo mox ventris dolore. Posthac modice sudare, sed sine commodo. Exilis pulsus, obducta lingua, querimonia de dolore capitis, de nausea, et pressione in praecordiis; haud vacuae tamen lacte mammae sunt.

Rebus attente indagatis, quum misera fateretur, se sub graviditate ac prius jam spuisse sanguinem, abstinendum, nulla urgente causa, a vomitu ratus, ultro *diaphoreticum* ex stibio ordinavi. Missa urinae floccosae copia, prorupit sudor, ut opus esset, ter intra breve tempus lectum linteis sternere. Nunc meliorem lochia indolem habent, remittente simul dolore ac tensione ventris. Post curata sensim decimo die valens excessit.

Inter centena ferme haec deligere exempla libuit. Terret ab ulterius narrando, velut exagitare ob lucrum animus esset, prona suspicio. Attamen vera sum confessus, cujus testes, qui longius me ad aegrarum lectos comitantur, medici omnes et chirurgi adsunt. Atqui juxta felicitatem curae morbi alias saevissimi neque illud curiosos praeteriit, vulgares maxime intra puerperia affectiones, vitiorumque varia genera rarissime in instituto nostro crudescere cum vehementia, multo minus ad discrimen.

Profecto, dum parationem remedii, ejusque, quantum licet, constituentes partes, item naturam passionum et morborum reputo, quibus apertissime ac velut extemplo adjuvat, non diutius fidere et consistere in opinationibus possum, ad quas permulti medicamenta computant, eorum virtutes fingentes ad imaginationem sibi. Id potius teneo, sive ordines et signa, quibus morbos arguimus, nondum ad evidentiam esse elata, imo naturam plurimarum affectionum versari adhuc in absconditis, sive certis ab rebus in corpore mutationes equidem induci et affectus, sed alios certe ac omnino diversos, quam vulgo creditur.

DE DOLORE ARTICULORUM
IN PUERPERIS, EOQUE PRASERTIM COXAE.

Sunt etiam quaedam emplastra nobilia ad extrahendum. CELS.

Incedit aliquando, quum minime suspicamur, lancinans in inquine et coxa puerperas, praecipue in cruris antica parte, ex membri nonnunquam tota longitudine ad calcem usque saeviens dolor. Rarum est, utrumque crus malo hoc vicissim, seu simul affligi; fixus plerumque est dolor, ut tamen incremento ac remissione speciem teneat periodi.

Dolorum hoc genus edito partu aliquos plerumque post dies subito ingruit, primis scilicet puerperii rebus satis benignis, ac dum succedere etiam ad naturam reliqua videntur. Ac quanquam foeminae, quibus sive natura, sive arte laboriosior partus fuit, saepius in hanc valitudinem incidant, quam quae facile se expediverunt; nihilo tamen minus et has aliquando corripit, sive lactaverint, et ex uberibus lac abscesserit, sive non.

Saepissime dolor a cruris suprema parte, ma-

xime ab interna regione ortum ducit, excurrens ad infimum pedis usque. Primis diebus vix tumorem, tensionem, vel rubedinem cernis, neque tamen articulum movere, nec cruri absque dolore, neque insistere pedi aegra potest, sed adorta ingredi, illum paralysi quasi tactum post se extrahit. Est imò etiam, ubi absente omni tumore, remanente pristina membri forma, et naturali calore mollitieque, pars tamen dolere, et inepta fieri ad officia coeptat.

Tum augescere dolor pergit, et pulsus prodere febrem. Ubi vero continua, sine afflictae partis tumescentia, urit febris, illius complicatam aut alio forte vitio simul concretam causam scito.

Morbum hunc vulgo a fortiori vel subita vel diutina pressione repetunt, quam caput foetus vel obstetricans manu, vel instrumento uspiam in nervos pelvis fecerit. Sed post facillimum etiam et expeditum partum irruit. Num causam forte in resorbentibus vasis quaeres? In prima materia lactis? In turbatis lochiis vel regresso intus sudore?

Longam saepe ista offensio moram habet, sinistra praesertim ex principio curatione. Multas foeminas malum per annos cruciat, atque istae nedum pessime habent. Aliae quippe, si non pereunt, quod saepe fit, attamen tota vita claudum et ulcerosum femur trahunt.

At teterrimus morbus est, ubi in *metastasin* desinit, quam *lacteam* vocant. Tum resolvi ineptus tumor in malignam ulcerationem, aut

prorsus in gangraenam vergit. Videas etiam, ubi quidem nihil suppurat, claudum tamen membrum fieri et siccum contrahi.

Medicamenta adversus malum hoc primo ex antiphlogisticis petuntur, dein ex solventibus levi stimulo, et diaphoreticis. Vix unquam a nitrosis et leniter purgantibus, longo praecipue et largiori illorum usu, multum commodi vidi. Sed cautissime observandum cum venaesectione est, ob increscentem ex ea pertinaciam doloris. Manifestum quoque damnum calida balnea ferunt, inprimis iterata, et a morbi ingressu, item mollientia calida fomenta, quaeque laxant pleraque. Haec quippe congestiones coquunt, quae praesertim, dum inquen vel coxam affligunt, saepe periculum, saltem longas et exedentes molestias parant.

Quare similes indignationes alia ratione statui curare. Affecta plaga, per intercapedines levi tractata frictione, post singulam curam fovetur pannis. Tum aegra, tenui medicina mota alvo, pulverem ex stibio accipit; quo lochia melius manare aut redire, cum sedimento turbari urina totùmque corpus perfundi aequabili sudore solet. Posthac mitigatus dolor, vix unquam pristina ferocia redit, quin tamen aegrae crus confestim movere valeant; e diverso nitentes incedere pedem cum molestia trahunt. Quam impeditionem alias electricitate tentaveram. Nihil utile. Dein super afflictam partem et in proximo ambitu posui cantharides; neque ex his moderatio. Tandem, quum juxta

pla-

plagam nihil intacti amplius esset, vesicans emplastrum duos pollices latum, longumque satis, circum genu ea parte, qua mares tibialia stringunt, applicabatur. Sic in decem et ultra similibus hucusque morbis, eodem semper modo, intra duodecim horas fere peracta cura erat, quocunque affecto membro articulove. Ac quidem quo longius ab afflictione distat emplastrum, infraque maxime procul morbo articuli membrum comprehendit, eo certius prodest.

Vix in narratis exemplis orta ex cantharidibus vesica, imo cuticula modo erubescente, dolor jam profligatus, et mobilitas artus restituta erat.

Hacque simplicitate infensissimus puerperis dolor inposterum tolli, vel certo potest, qui, tametsi non semper sit lethalis, aegram tamen plerumque affigit lecto, in menses cruciat, et non raro per omnem vitam claudam continet.

NOTITIAE
EX SCHOLA OBSTETRICIA.

Quae anno praeterito e schola technica pervulgabantur, testium autopsia, imo ex tabulis nosocomii demonstrabam, existimans, fidem sic satis firmatam, ac plus fuisse praestitum, quam desiderare ab ingenuo viro fas sit.

Nihilominus fuere, qui dicta fastidirent, ob mortuarum paucitatem scilicet. Recolligendo certe, quae olim in nosocomio ad *S. Marcum* gravidarum puerperarumque sors fuerit, quaeque illarum nunc in hoc asylo sit commoditas, res in praesentia ex ritu mansuetudineque in curando, et ob rariores obitus pristinis omnimodo praestare, apertum est.

Nec silentio involvimus, penes nos perraro artificiales fieri partus, licet in novo instituto intra paucos dies plura succedant puerperia, quam in antiquo per integrum annum. Atqui tamen egesta ex Scholae specie illa ab anno 1776 ad 1788 misera opuscula gloriose ostendunt, plerosque partus ibi ex arte et manubus et instrumentis fuisse exactos. Num vero incepto nostro fit, foetus, quos eximere manu fer-

roque necesse seu consultum foret, nunc vix obvenire? Vel fortene labes etiam cum molestia pariendi eadem tunc in schola per circuitus incruduit, ut in binis ibidem *cubilibus* grassabatur *epidemia* sphaceli? Talia praemisimus, ne integra et simplex narratio denuo certis hominibus ingrate suboleret.

Dixerit insanum qui me, totidem audiet, atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

HORAT.

A Septembri 1790 usque ad Septembrem 1791 noningentos quinquagenos partus habuimus, ex quibus octo per conversionem, septem forcipe, ac scissione cranii tres exsolvebantur. Versione pleraeque matres, sed quinque modo infantum reservati. Usui forcipis sex puerperae, et geniti quatuor salutem debent. Foeminarum, quibus exscindebatur partus, una obiit, nec vero, ut mox declaratur, tam ex operatione, quam alias ob causas.

Inter partus naturales sunt octo gemellorum, praelapsis clunibus novem, pedibus sex, facie quatuor; qui omnes, juxta plerosque alios inique vel in obliquum posito capite proclives foetus, ad salutem utriusque naturae committebantur.

Sequitur foetuum numerus, cum relatione affectuum, quibus sex foeminae per annum sublatae sunt.

Summa natorum 899.

Ex his praematuri tum maturi, sed lanquide

vivi; demortui vel putridi jam, item immaturi foetus et abortus 62.

Defunctae puerperae 6.

In defunctarum prima cranium foetus dirimi debuit; nec difficulter. Aegra septem jam dies sine febre extra lectum morans, ob taedium medicinae vel clysmatis vel quaque alia obstinatione, quotidie licet de valitudine rogata, sex dies strictam alvum celabat. Pomorum terrae clam vorata copia, supervenit ileus. Alvo nullo remedio solvenda, periit.

Alia mulier noctu hora secunda, effluxis jam aquis, ex suburbano oppido pedes ad hospitium se contulit; corpore prius in circulo liberorum suorum (vespera feriae Nicolai erat) ex conferta farcinis patina haud modice in propinquum opus refecto. Erat robusta foemina, triginta septem et juxta annos nata, crasso et tumido habitu. Pulsus in ea celer fuit parvissimusque; at videbatur tamen pollere viribus mulier. Vix se contineri sub foetura patiens, quovis dolore, et levissima contrectatione viriliter objurgare et maledicere. Infans praemisso pede in livorem corruptus et tumens hydrocephalon habuit, quo licet pertuso, tamen ob crassum et durum sinciput, partus nonnisi difficillime exsolvebatur. Undecim post operam horas decessit. Facta cadaveris sectione pleraque in ventre ad naturam, sanus etiam et contractus propemodo uterus. Verum aperto thorace pulmo dexter, una cum bino triente ferme sinistri, ex ignota causa, fortasse etiam ob

uteri insolitam pressionem, totus a sanguine inanis, et aridus velut exsiccata spongia fuit, parvissima solum proxime ad cor sana superstite nec vacua portione. Nihilominus utroque pulmone prope per necrosin exoleto aegra viginti quatuor horas ante in telarum fabrica etiamnum stipem ex labore meruit; ut certissimum sit, gravidas nonnunquam praeter foetum simul in se quoque mortem gestare.

In tertia foemina partus languit, nulla alia, praeter malum victum et fractas vires, manifesta occasione. Cum liquore amnios, furtim labente, prodiit foetida ex utero sanies. Tum infans ob nisus defectum forcipe eximebatur, isque putridus erat. Aegra ex sphacelo uteri, verisimiliter jam ante partum ingresso, mox occidit.

Quarta enitendo subito convellitur, sensuum sibi ante et post accessum compos. Post horam novus insultus; mox ablata eo vita. Exceptus per sectionem uteri foetus jam livuit. Sana pleraque in cranio et abdomine; verum in thorace humoris citra solitum copia erat.

Mortuarum quinta, diris capta doloribus, ex suburbanis deportabatur in scholam, multas jam ante adversitates ab arte passa. Foetu caeterum in pelvi apprime declinato, nec ullo in chorda pulsu, functio relinquebatur naturae. At continua puerperam febris, et pertinax in infimo dorso, nec molliendus quicquam dolor vexat. Quarta die mors. Post sectionem cadaveris in laterali et suprema vaginae parte, ubi

uterum excipit, ulcerata et rotunda ferme in conspectum venit rima, proximis simul membris praesertim, ubi in ventrem spectant, gangraena erosis. Nec dubium, agresti et supervacuo conatu reponendae chordae, inflictum ante domi vulnus fuisse.

Sextae puerperae facta in abdomen metastasis mortem intulit. Quinto circiter die aliquantum de ventris dolore querebatur, clysmate et leniter ducente medicina pacato. Postea laudabilis lochiorum fluxus, et lactis ad nutriendum satis est. Septimo die morari extra lectum valebat. Erat autem in pulsu febrilis nota, quare eam in lecto remanere jussi, maxime ob autumnale et inimicum tempus, quod cubilia calore foci nondum temperata essent. Vesperi invisens, ex occasione ad puerperam ob infantis inquietem moratus, quum eam sudare vidi, ac negligenter tectam, ipse admodum fovi, addita monitione, ut prudentius provideat sibi.

Noctu versus secundam subito et gravissime corripiebatur mulier, ut prae atrocitate doloris viriumque lapsu se haud amplius movendo esset. Mox eam conclamatam reperi, expanso enormiter et dolente ventre. Membrorum livor et frigus aderat, parva et praerupta respiratio ac tenax super faciem et pectus sudor, sine ullo pulsu supra pollicem. Moritur aegra versus quartam horam vesperi. Instituta cadaveris apertura quatuor libras et ultra serosi turbidique fluidi in ventre monstrat, levissime in-

flammatis, ac passim modo in multa lympha inter se conglutinatis intestinis. Uterus et alia membra sana erant.

Ignorare caeterum nemo potest, narratos morbos a prima irruptione et ex ipsa sua natura haud aptos fuisse curari. Reliqui omnes laetius cessavere; nec levi tamen illorum, praesertim ineunte vere, numero et periculo.

Omnino, si computamus, quot in familiis privatis mulieres, cum in urbibus, tum ruri, sub puerperio in graves et lethales saepe offensas incidant, aequum facile judicium faciemus, in nosocomio, ubi singulis annis mille et ultra puerperae sospitantur, necesse esse, ut illarum, quae vario discrimine in morbos ruunt, optimo quoque fato, aliquis numerus sit; eoque magis, quum permultae ex susceptis inopes, misere nutritae, aerumnis et excessubus, cum longinquis multifariis malis, tum suspectis *drasticis* exhaustae, ideoque in morbos puerperii quam maxime pronae sint, dumque malum eas incessit, difficillime sanentur.

Nonne igitur ritui curae, qua fit, ut puerperae vulgares in affectiones, vel etiam in consuetos morbos, rarissime incidant, atque ipsi subsidio, quo malum plerumque antevertitur, vel adortum debellatur, satis meriti insit, ut ulterius praetentent? Quod sine dubio fieret, si utilissima medicina transvecta quaevis super mare materia esset, clamosa gloriatione, *Hottentotos* et *Kaffros* eadem sibi a morbis ac morte cavere.

Dicaces homines impigre narrant, propterea modo rariores in schola technica, quam uspiam, occurrere mortes, quod puerperae, quamprimum periculosius decumbant, ex instituto aliorsum in nosocomio mittantur. Sed false; ut acta cancellariae ipsa ostendunt.

Ne ulli foeminae intra graviditatem, atque sub partu tribus modo vel quatuor deplebatur vena. Item septenis in puerperio, iisque ipsis, quae brevi post ex morbo defunctae sunt. Intra menses duodecim quoque ne libram corticis Peruviani dispendimus. Nimirum rationes officinae a mense Augusti 1790 ad Septembrem usque 1791 nonnisi 302 *flor.* efficiunt, dumque reflectitur, herbas pro *potu ordinario* summae jam ultra explere dimidium, clara notitia est, quae curae simplicitas, quamque parum sit medicinae, qua juxta stibium uti in schola mos est.

Cunctas inter puerperas una solum inflammata, post ad suppurandum maturata mamma laborabat; istaque sibi illam dedita opera adsciverat.

Palpebrarum in recens natis inflammationem hoc anno multo rarius quam praecedente vidimus. Vulgari procuratione incassum facta, topicus affectus, uti experientia compertum habeo, *aura electrica* tollitur. Rarissime penes nos natorum oscula aphthis corroduntur; inter millenos ne tribus accidit.

Fuere hoc anno in schola novem et quadraginta candidati, partim hujatis, partim extera-

rum regionum; item triginta novem alumnae obstetrices; praeter plures alios tirones, quibus, quoniam locus deerat, haud quidem degere ibi, attamen per longum tempus praelectionibus et exercitiis artis ad lectos interesse licuit.

LIBER TERTIUS.

PRAEFATIO.

Atqui ego noverim, commodius nec minori lucro scripta centies rescriptaque in gracili vel trita siccitate extenso libro ad novas collocari lineas. Sed piratica et levis armaturae industria hac fingere in auctorem sese parum ornat. Nam quiscunque non tam delectationi, quam ad erudiendum meditatur scribere, is enim vero vel nova prodat, vel vetusta extrahat, vel ambigua distinguat, vel falsa reprimat.

Quae certe utilitas sine pertinaci tentatione et speculatu, quid in natura fiat, nec ne, impetrari nequit. Ad hoc vero tempore est opus, et patientia et studio; quaeque ita prodeunt veritates, necessario rariores sunt, quam merae opiniones, et inania tot lectu solum auribusque occupata, et in tractabili charta effusa figmenta.

Quisquis igitur ab auctore notionum ante incognitarum copiam operitur, ejusque scripta ex volumine pendit, certe ipsemet testatur, nunquam se in prosequendo fuisse, quid verum sit utilissimumque. Humanae quippe mentis

quaelibet fingendi infinita est potestas, quid autem rectum sit falsumve, promere ex natura, id anguste cingitur.

Ita in omni ferme articulo libri hujus in caram usque mortalibus fabulam offendo. Attamen homines tentari se in opinationibus suis perinde ac turbari ex somno moleste habent. Interim reputare oportet, hic modo, quae crebro ac longe a me spectata sunt, indicari, nec ex errore meo fieri, quia ex notatis elucet, naturam nullatenus stringi ad *hypotheses* posse. Hoc enim est fatum, ut strata fundo instabili commenta serius ocyus ruant; e contrario, quae factis naturae adnituntur sententiae, immutabiles perstent. Quippe illarum fidem tempus ipsum spondet.

Ultra nihil habeo, quoad delectum materiae; quo casu aut forte fortuna licuit, utque potui, offero. Aequabilis lector aequus etiam censor erit. Alii, qui non legent, nihilosegnius in objurgando stabunt.

Ex Instituto technico obstetricio. M. Novembris 1792.

DE ICTERO NEO-NATORUM.

Oportet itaque, ubi aliquid non respondet, non tanti putare auctorem, quanti aegrum, et experiri aliud atque aliud. CELS.

Haud raro evenit, primis post partum diebus ictericos natos fieri. Emollescit et languet illorum caro; simul frequens, plerumque et mucosa et serosa alvus est.

Infantes, quos a partu, vel brevi post fuscus rubor tingit, maximam partem hoc morbo affectantur. Cujus itaque occasio latere in ipsa cute videtur. Ac licet reputatae vulgo causae aliquando adsint, non tamen ad morbum adeo pertinent, ut inde sive solum, sive potissimum ratio capienda curae sit.

Medici prope omnes retentum meconium et latitantes alias sordes, tum impeditum bilis ad intestina descensum pro occasione icteri in recens natis putant. Sic opinantes cum ad prohibendam aegrotationem tum ad illius curam solventia vulgo, quaeque deorsum purgant, ex rheo maxime, ex sapone et manna scribunt.

Remedia ista ab valitudinis initio fortasse proficua, mox in perniciem vertunt, quodsi

medicus manente corporis suspecto colore illis persanare obstinat.

Dum Viennae in expositorum aedibus chirurgus fungebar, frequens mihi nimis, ictericos infantes post mortem dissecandi, occasio dabatur. Vix unquam neque cysticum meatum, neque alias in hepate impeditas aut obturatas vias reperi. Toto intestinorum canale, tametsi laxantibus, et copioso clystere impigre purgato, nihilominus cystis fellea multum distenta, mox aquosa et dissoluta, mox spissa et nigrescente bile scatebat; hepate ipso rarius morbido.

Redux post ab itineribus, quum scholae obstetriciae praeficiebar, in vegeta sanissimaque prole eandem noxam cum nova molestia vidi; nullo licet intentato extus vel intus subsidio. Rara fortuna ab internis impulit tandem, ut parvulis medicinam nonnisi parcissime sinerem propinari. Abhinc minus in morbos proni sunt, dumque supervenit icterus, plurimum tamen brevis est, ac simpliciter procuratione per externa cessat.

Profecto quoniam gracilissima et *gelatinae* adinstar in omni recens edito animali, inprimisque in homine, textura intestinorum est; dum reputamus simul illorum tot circumvolutiones omnemque longitudinem, facile noscitur, parum hic posse interna pharmaca; quum largiter intrusa pondere ac mole noceant, parce autem indita, quae prosint alterando, acredine stimuli tenellum corpus necessario vellicent, conficiant.

Quantumcunque inefficax, imo damnosa saepe his in rebus omnis intus medicina est, tantam utilitatem exterior praestat medicatio: enema, balneum tepidum, frigidulum; electrica balnea, et frequens inunctio ventris linimento molliente volatili.

Balnei quidem hic modus est. Primis nempe vicibus infans in patina per decem et plura minuta detinetur, suffulto, ne faciem offundas, capite. Ad primos usus delicatae manui aqua ne frigoris sensum, sed caloris nonnihil imprimat. Postea paullo ad frigidiorem itur, genito in omni balneo per aliquot minuta longius sustinendo.

Qua curatione optime uteris matutino ac vesperi. Postquam infans aqua exemptus est, confestim calefactis linteis foveto, et dimidium post horae vel tardius abdomen pinguedine suaviter confricato ipsi.

Sub balneorum recto usu haud opus plerumque frequenti clysmate est, frigida aqua, ut fieri consuevit, functiones ventris alioqui expediente. Universim circa enemata nihil praeordinari potest; ea quippe potissimum a frequentia alvi sunt temperanda, et a copia et colore excreti.

Quando autem ictericus aspectus industria hac parum vel lentius in salubritatem et laetum colorem vertitur; curam accelerabis electrica aura. Insulato nempe et cum ductore consociato infanti fluidum per aliquot minuta meare in corpus sinitur, quo tentamine, juxta

observatam etiamnum priorem auxiliationem, aliquot diebus continuandum est. At incassum tamen pleraque agis, ni natus laxe tegatur, et libera ipsi motatio artuum sit. Vitata quippe in genitis ineptia, icterus rarissime affligit, dumque forte immeat, sin unquam potest, facile persanatur. Est enim etiam insanabilis icterus, partium vitio aut degeneratione, aut irresolubili concretione inductus.

DE SITU CAPITIS
IN FOETU NATURALI.

Inter crimina ingrati animi et hoc duco, naturam ignorare. PLIN. N. H.

Vix equidem occasu decimi octavi saeculi post Anglorum et *M. Saxtorphii* monita reprendere ausim, quemadmodum ex ritu naturae caput edendi foetus locatum ad pelvim matris sit. Sed inspectet quispiam cum scholasticos tum alios plerosque libros, ut sentiat, quantum opus sit, stolidissimas leges, et arti ipsique naturae adversos usus perpetuo refutare.

Intelligimus autem sub voce capitis *initus* seu *ingressionis* illius in primo partus periodo situs motusque rationem, qua per pelvis limen in illius cavum descendit. Tum nempe capitis ad supremam oram ea est positio, qua frons atque facies versus alterutrum os ilei vel omnis vel propemodo ita vergit, ut sutura sagittalis cum pelvis seu transversa diametro, seu obliqua quasi parallelam teneat. Saepissime facies ad dextrum obvertitur latus, rarius ad sinistrum. Sed nunquam, nisi fortasse pelvi penitus in contrarium formata, sive foetu adhuc per-

pergacili, ita in partum caput nititur, ut ex matre os sacrum cum promontorio ad vultum ideoque pubes adversa in occiput foetus sit.

Qui licet inde a principio artis perspectus, et in qualibet naturali, ac longe facillima foetura perpetuus ritus sit; est tamen hodiedum obstetricantium grex, qui de hac re non solum confusam ideam habent, sed eam falsissime quidquod penitus ad opposita fingunt, affirmantes, nasciturum foetum ex capite ita super pelvim praejacere, ut occiput conversum ad os pubis, facies in ultimas vertebras lumborum matris sit.

Mirum profecto est, cl. *Stein* calliditatem hanc suboluisse, nec resipivisse tamen ex digito. „Considerando enim, ita perdocte fatur, quemadmodum caput per pelvim progreditur, equidem suis diametris inepte se videtur habere ad diametros pelvis. Caput enim cum sua maxima diametro in pelvis diametrum minimam, igitur et capitis minima diameter in pelvis diametrum maximam instat. Quare non tam idonea, ut apparet, inter caput et pelvim ratio est, ac si illud transverse per pelvim ferretur. Attamen notandum est, magnam capitis hoc situ incumbentis diametrum ipso eo, quo pelvim transit tempore, in multas medias et obliquas, igitur etiam minores diametros dilabi, sicque sub naturali partu quasi descripto arcu circuli sese extricare, atque ita fieri, ut caput transeat.“

Ridicula hercle naturae excusatio! Non

enim vero tam inepta et rustica, ut imputat, in rebus suis moliendis natura est; sed ponit simpliciter molliusque longissimam capitis lineam in longissimam transversam vel obliquam etiam lineam aperturae supremae pelvis, adeoque circuitus capitis continuo successu ad similes circuitus pelvis aptat*).

Permulti in *Steinii* sententias praedati viri eosdem errores colunt, maturantque. Atqui fas est, veris juxta falsaque et vana exscripsisse.

Sed quantumcunque autores illos aestimem, haud tamen silebo, cum in hac, tum etiam in rebus aliis, quas inde ad exercitia traducunt, turpiter errare et omnino adversus statuere, ac in natura consuevit Quare prospera in plerisque obstetricibus, vel et obstetriciis medicis inscitia est, qui parum prudentes in explorando contrectato obiter capite acquiescunt, ultra positionem dignoscere nihil curiosi. Aliter ex strenuis et fallacissimis praeceptis naturales expeditos omnes partus per officium vertere, vicissim molestos imo praeter naturam obtinentes tractare pro naturalibus deberent.

---

*) In postremis editionibus Libri sui cel. *Stein* nominatim nobis suffragatur. Docto quippe viro, quod multum nihilominus laudis habebit, convenit etiam simplex veri erroris confessio. Quapropter juveni cuidam auctori Viennae facile indulgemus, quia meritum sanioris hac in re perspicientiae Viennensi scholae viginti post annos ingrate abstrahit, ut alii idem alibi, qui ipse modestius recusat, ingratiis imputet.

Doloribus sufficienter continuatis, caput mento thoraci arcte innixum ex limine supremo paullatim in pelvis cavum movetur; qua in progressione simul circumagitur, ut, dum demum cavitatem occupat, moxque genitale transgressurum est, vultus propemodo ossi sacro, occiput pubi obtendatur. Verumtamen ista partus epocha non ingreditur, sed exit caput.

In cujus argumenti finem imprimere sibi animo prodest, quae a sexcentis assidua et longa curiositate, multoque studio, a me observatis naturalibus partubus prompta specimina sunt. Illa ego jam pridem in praelectionibus ingenue vulgabam. Tum alii transcriptam mox ad se scientiam ne perquam honorifice affectando sibi attribuerunt. Videlicet *foetus caput, ipseque totus foetus, in quocunque situ ex natura per pelvim transit, composito, tardiore quidem citra comparationem, at simili fere motu, ac vi aëris globus per sulcatam gyris fistulam agitur; ita quidem, ut caput, dum gyrando procedit, lineam spiralem, progressuque magnam quasi circuli partem et amplius describat.*

Permulta sane hoc ex naturae invento in curationem cum naturalis, tum artificialis partus commoda et momenta fluunt, prudenti ac erudito obstetricanti nunc facile obvia, sed qui parum sapit, rudi operario, tametsi fusius exponerentur, ne quidem profutura.

DE

PARTU ANTEVERSA FACIE.

Hae artes vaticinandi, et humanae naturae affectiones, cognoscentibus quidem semper recte habent; verum non cognoscentibus alias aliter.

HIPP.

Ut de re omni non visa ante et intentata confusus sermo est, sic multa et difficilia auctores circa partus praeversa facie hallucinantur, ut siquidem fidas, illos matri non solum permolestos esse, nec sine arte finiendos, sed etiam, si tamen natura aliquando perficit, foetum inde necessario periclitari credas.

Quapropter obstetricantûm in nulla parte major constantia est, quam in hac, ut foetus, ubicunque faciem offert, nunquam naturae committatur. Atque quum vultus praeest, fronte ossa pubis, mento sacri promontorium respiciente, aut conversa vice, caput manu imo vectis ope ita componere suadent, ut ad pubem aggeratur vertex; quod si minus cedit, ad praecavendum matris et infantis discrimen, extemplo faciendam versionem esse.

Minime vero vel nunquam ex illorum auctoritate partum relinquere naturae licet, ore

ita adverso, ut frons in alterutrum os ilei, mentum in aliud impingat; quod scilicet ejusmodi paturitiones, nisi foetu praematuro, et ex minimis, nullatenus a natura traducantur; ac, siquidem caput nonnihil procedat, ab axillis tamen insuperabilis ponatur molestia; harum alia sub ossibus pubis, altera sub promontorio fixa, ut partus omnino non sequatur.

Mirum profecto; ipsos illos, qui verbis gestubusque intimam sibi esse cum natura consuetudinem ostentant, ab hac penitus ignorari, ut illis se ne quidem in hoc ad notitiam praebuerit, quo mirabilissima est, seque tentari digito patitur. Nimirum in tota eorum sapientia, quae scripta prostat, turpem alius turpior error trudit.

Atqui, ut proprie dicamus, ante omnia est sciendum, partus facie praeversa insolentius, caeterum simplex ferme, sed aliquando cunctantius modo, quam si praevius vertex esset, parturae genus sistere. Quemadmodum vero praestante etiam vertice partus interdum a natura non finitur, vitiosa scilicet caput inter et pelvim proportione, vel ob dolorum longam remissionem, aliasve offensiones; sic et in foetubus praetenso ore raro casu accidit, ut emitti a natura nequeant. Tum quippe ad generalem censum difficilium partuum, recte tametsi praegresso capite, computari, et solito more instrumentis debent perfici.

Hocque de omni parturitione verum est, in qua tota ferme in aperturam facies eminet; nec

tamen de illis, ubi vultus modo aliqua pars, uti mentum ac labia primo incidunt, aut recedente sub nisubus facie collum decidit. Verum hi partus ex foetu potius obverso collo dici, quam praelato ore debent; in quibus maturo, vel etiam praematuro infante, quam primum potest, instituenda versio est.

In foeturis, ubi vel a principio obvertitur vel inchoato opere mox instat vultus, qualicunque caeterum situ, parturitionis hic modus et processio est: *caput foetus, ex quo supra in margine pelvis haeret, per illam ita transmovetur, ut frons sensim in curvaturam ossis sacri vergat. Utque facies aperturae infra appropinquat, mentum propemodo adnititur sub pube, simul atque frons cum vertice supra perinaeum oblique protruditur.* En *facialis* omnis partus exordium, progressus ac finis!

Doctum modo figmentum est, infantibus hoc partu esse occidendum, sanguine per jugulares venas intercepto. Subtilem doctrinam pridem explosit experientia. Foetubus, qui ita descendunt, nisi celer satis transitus est, livescens et elasticus tumor in facie oritur, ut vulgo in vertice et clunibus solet, quum foetus primo his partibus se in lucem dirigit. Caeterum, qui vertice anteverso enituntur, caput compressum ex latere in latus habent; e diverso, quibus os praecedit, illorum capita primum utroque ex latere, postea de apice menti ad verticem comprimuntur. Alioqui nihil luctuosius oris tumor, quam simplex *galeatus* continet, praeterquam forte, quod prior citius evanescat.

Inter octogenos ferme praecedente facie genitos, a me ex proposito observatos notatosque, nonnisi tres exanimi prodierunt, totidemque fere mortui in pari numero obtenso vertice forent. Neque reminiscor, quod enixa unquam ex labore noxam cepisset; atqui tamen partus illi praeter unum omnes, sine ulla cura, quo situ praesit facies, neglecto omnique reductionis, versionisve conatu, adscripti naturae fuerant. In una modo ob inertiam nisus et varias passiones forcipe utebar; idque ex facilitate et cum fortuna matris ac geniti.

Qui igitur prodeuntes foetus anteverso ore reducere aut efferre pedibus consueverunt, tria duntaxat ex serie, testibusque probata nobis exempla narrent, quibus matrem una cum prole technis suis tam feliciter evasisse constet, ac nostra simplicitate in tot multis contigit, et fore inposterum firmissima spes est.

DE FOETU
DEMISSA CLUNE, GENU, VEL PEDIBUS.

In pedes procedere nascentem contra naturam est.
Plin. N. H.

Post partus, capite praeverso, creberrime, et ad naturam accommodatissime ii obveniunt, quibus infans clunibus se exhibet. In his certe major utcunque naturae est labor, quam foret eodem foetu recte prodeunte capite. Atque hujus quoque vita nutat continuo. Etenim caput, quia exit ultimum, spatia pelvis pessime permeat, praeversa basi cranii, ceu capitis parte crassissima, omnisque compressionis maxime incapaci.

Recepta etiam auctoribus talium parturitionum distinctio est, quarum alias *perfectas*, alias *imperfectas* vocitant. Habet vero quidquam ridiculi ista nominatio. Partus quippe obversis clunibus imperfectus non datur. Infante enim coccyge in medio supremae areae recte locato, insidere utique omnis postica caro pelvi debet, cujus constituentes partes, ut quidem noscitur, binae clunes cum ano ex medio sunt, quem igitur vere atque unicum ex clunibus partum dices. Coccyx vero, si non

tam in medio aperturae, quam oblique inhaerens ex latere offenditur; tum sensu obstetricio haud proprie praesto sunt clunes, sed necessarium est, ut quaedam alia pars vel infimum dorsum, vel alteruter lumbus spatium occupet, quo casu parturitio ab coxa vel dorso nomen accipit. Absente itaque probabili significatione, hunc foetus cubitum quodammodo aut sufficienter mutatum iri, ut recedente lumbo coccyx in aream propius descendat, partus isti, ut omnis alius incomposito situ, quamprimum fieri potest, effici per conversionem debent. Quodsi vero succesu partus inquen aut dorsi infimum sursum agitur, quo clunes interea sponte, vel ex cubitu vel quocunque modo, pelvim supra explent, tunc certe vulgaris partus obversis natibus adest, quem finiri a natura operitor.

Unde accepta distinctio partuum anteversis clunibus in *perfectos* et *imperfectos* vacua scientia est, quod quidem missum facimus. Sed alia illorum divisio in *naturales* quippe et *praeternaturales* offendit ferme, quia docta ad malitiam vereque calamitosa est. Ante omnia dicimus, nullam ejusmodi parturitionem propterea, quod foetus aliter aliterque incumbat, praeter naturam esse. In quodcunque enim matris latus vel ad anticam partem, vel retrorsum, infantis ventrem et pectus obversa invenis, nihil refert; res ubique ad idem redit. Qui igitur foetum clunibus pelvi ita insidentem, ut illius venter, alterutrum latus vel ventrem respiciat matris,

versione extrahi volunt, quod secus super marginem pubis cum mento appendeat, vel inter pubem et ossis sacri promontorium impactis cohibeatur axillis, ne animadvertunt quidem, ex ipso situ et partium structura vix posse fieri, ut vel mento foetus vel humeris in has angustias cogatur. Inscii nempe sunt, infantis partem quamcunque, quidquod infantem ex toto, qua linea et directione ingreditur, eadem illa nunquam pertingere. Sic foetus, qui supra in pelvi pede ac ventre conversis ad umbilicum matris cubat, postea, dum per aperturam infra egreditur, ventrem fere ac crura porrecta versus illius dorsum habet. Et conversa vice.

Quae quidem, licet etiamnum ignorentur, verissima tamen sunt, ut quilibet molli digito, et planissima mente percipit, vel intueri potest. Dolendum revera, haec in natura perpetua gravissimaque etiamnum tam nova esse, ut complures ob doctrinae exsuperantiam illa pro ludibrio censeant.

Ubi demum ad facilitandum partum aliquando consultum seu necesse videtur, clunes una cum trunco aliqua tractare circumactione, id opportunissime ac satis admodum tempestive agitur, coxis in cavum pelvis usque ingressis, ut prehendi manu et excipi possint. Attamen, qui similes partus et ritum illorum et processum non apprime noscitat, pro genitrice perinde ac prole quam maxime boni consulit, ab omni pernicitate modestius abstinendo.

Sed quemadmodum necesse aliquando est,

infantem, tametsi vertice in partum nitatur, educere instrumentis, ita, quamvis raro, attamen interdum accidit, ut foetus praeverso podice industria debeat resolvi, pelvi nempe nimis constricta, seu foetu praegrandi. Tum vero difficultas non tam a clune foetus et resupinis cruribus ad ventrem, quam a capite advenit. In nascente enim foetu clunes una cum cruribus revulsis non solum, quam caput, minus habent ex ambitu, sed etiam aptiora comprimi et diminui sunt. In universum, unde non emergunt clunes, ibi cedere impotens eo magis caput est.

Qui itaque matre ex pelvi angusta, ac praejacente foetu clunibus, hunc illico ad pedes captitant, opinantes, hac negociositate utrique laborem facilitatum et celerius finitum iri, certe, quid moliantur, nesciunt. Id enim ubique expedit, ut clunes, quomodocunque incumbant, in progressu suo non turbentur; namque foetus, ut convolutus est, uteri os ac vaginam ampliando, consequenti capiti velut viam parat. Si vero pedes intempeste trahis, noces, quod genitale prius non sat dilatetur, ut cum facilitate procedat caput. Caeterum, si quae fortassis ad tractationem foetus, illiusque egestum artificia manus placeant, ea certe, nec unquam sero nimis, demissa jamjam clune ad exitum, foetuque etiamnum convoluto, aeque bene imo quam optime perficiuntur. Sed quidnam, ubi nonnisi de transmovendo capite agitur? Atqui etiam in hoc nihil obstat ex pedi-

bus, quum protruso podice alioquin opportune delabantur, ut neque nunc etiam obstetricanti officiant.

Quando autem pariens, cui foetus anteversis clunibus inest, infortunate naturalia tam arcita habet, ut pars posita super marginem nixu ne in aperturam pelvis, minusque in cavum urgeatnr; dum enim vero casus in omni arte pessimus instat. Siquidem enim etiam pedes permulto impendio fuerint exempti, vix tamen truncum ad thoracem extrahes, nec manu neque forcipe ex integro excipies caput. Talis calamitas imperiose jubet, foetum discindere. Interea auxiliatio haec, praesertim pelvi ad supremam oram vitiosa, atque capite altius residente adhuc, raro in fortunam cedit.

Ex quo videlicet profectum est, ut a partubus obversa clune, et omni alio, in quo infimum quoddam membrum praejacet, semper abhorruerint prudentes. Quidquod antiquitus consultum judicavere, in omni tali partu, perinde ac in quovis alio, ubi foetus ex transverso est compositus, pedes a pelvi removere, et in parata spatia disponere caput. Quae certe procuratio minime esset contemnenda, nisi juxta, quod in partu anteversa clune, vel pedibus supervacua sit, res aliis premeretur molestiis, quarum haec neque ultima est, quod industria vix unquam summo sine periculo praesertim pro matre fiat. Atque ea propemodum est moderatio, dum infans uno pede vel utro-

que seu genu etiam in partum prodit. Uticunque vero pedes primo adsunt, donec nihil cum periculo currit, ventre etiam in alterutrum latus genitricis verso, partus assignetur in naturam. Atqui etiam ubi subvenire oportebit, vel manu instrumentove, auxilium satis adhuc opportune accedit, foetu ad anum vel dorsum progresso jamjam. Reliqua, ut in partu anteversis clunibus, instituenda.

Est quidem, ut medici, foetu ita collocato, secus agitent, praesertim, uno solum pede, vel crure in genitali reliquo; vel etiam, dum et clunes et pedes simul procidunt. Illi absque mora alterutrum pedem vel utrumque extrahunt, idque ob metum, ne crus in pelvi adnitens uspiam frangatur. Attamen nulli est notitia, *naturam*, ubicumque sola ac per se egit, similiter nocuisse. Ne potis quidem est, neque angusta pelvi, neque ampla. Quod utinam etiam de *arte* possemus praedicare. Id enim in scientia nostra perpetuo mirabile est, quia promptissimi sumus in statuendis regulis, easque in exequendo obstinatissimi: nimirum ad praecavenda damna, quae nobis imaginamur, quaeque haud alias occupant, quam quia praevertere gestimus, recteque per id ipsum occupant, quo gestimus.

DE SECTIONE CAESAREA
ET
EXCISIONE FOETUS.

— *Nunc ego mitibus*
Mutare quaero tristia.

HORAT.

Pelvis aliquando in foemina ita comparata est, ut ob deformitatem parturitioni non satis congruat. Quae si minor est iniquitas, caput foetus non sine spe sospitandae vitae in lucem moveri forcipe potest. Interdum verò tales sunt angustiae, ut caput ex sinu matris non modo non vivum, sed ne aliter quam lacerum et comminutum sinant evelli. Rarissime pelvis obest, cujus nimia ex constrictione foetus ne lacerari et comminui queat. Vidi tamen aliquà exempla in itineribus meis. Nuper etiam ad mulierem ultimo stadio gravidam accersitus pelvim ita coarctatam et distortam offendi, ut neque videretur exscindi cerebrum foetus posse. Tum, si quando foemina pravis adeo et ineptis ossibus, contracta graviditate, foetum tam diu in utero habet, ut maturatus nec forcipe tractari, ne quidem eviscerari possit; utique in matris sospitationem, prole seu viva seu de-

functa, ultimo ad incisionem ventris et uteri est veniendum.

Atque, si quidem recte sentio, haec unica est occasio, qua ob vitium pelvis utcunque de caetero res habeat, sectionem caesaream proponere et patrare fas esto. Ubi vero pelvis quantulumcunque spatii ostendit, quo foetum incolumi matre disjungere ac trahere per partes liceat, ab atroci et periculosa opera abstineto.

Quid enim festinatio et praeceps consilium in suadenda sectione aliud prae se fert, quam omnis accuratae cognitionis ac maturioris judicii inopiam, fucatam scilicet vana, nescio qua, et immodica in foetum misericordia, at inhumanissima certe et stolida in vitas matrum crudelitate? Dum quippe voces illorum et sapientiam audis, idem esse credas, venam parienti incidere, an ventrem cum utero. Nimirum vero, quum res ipsa ad lectum est conficienda, quam ad scrinium otiose commenti sunt; tum enimvero mutant consilium, et deficit animus, claro testimonio, quam parum sibi ipsi placeant, et quantum distet ab usu inconsiderata doctrina.

Ut ego quidem existimo, in consulendo de sectione caesarea, si quando res aut casus poscit, varia momenta et rationes sunt, eaque maximi omnino ponderis et gravitatis, singulatim expendenda et cum corde, priusquam adgrediaris. Ac primum quidem nemo solido fundamento statuet, indicari subito sectionem,

pelvi duos modo et medium explente pollices. Enim vero id oportet considerare, spatia nonnisi ex relatione ad caput foetus esse computanda. Ipsemet multis exemplis novi, caput foetus, ubicumque solita prope, nec immodica magnitudine, et ossibus tantumper conflatum mollibus et ex toto tractabile erat, in ipso per pelvim commeatu tam leviter produxisse, ipsasque ad loci se adcommodavisse angustias, ut in diametro ab uno ad alterum bregma, ne binas lineas super pollices duos cum dimidio mensuraret; tametsi, superatis in ipso ingressu magnis difficultatibus, in pelvis cavo alioqui ampliore, sat diu suspensum deliteret, ut per moram augescere iterum, inque molem primam redire posset. Atque ejusmodi foetus, quorum capita, ut demonstravi, nec grandiora sunt, neque dura magis, in hac enitendi molestia plerumque vivi exeunt.

Interea pelvi tam vitiosa, ac in tali calamitate consuevit, capitis foetus volumen, duritia, exilitas, mollitudoque aestimari antea non potest, neque praefiniri, an compressionis aptum, et ad descensum satis sit flexile, ut forcipe vel alia ope demum traducatur. Quoad successum similis partus, in quo a principio jamjam inter sectionem caesaream foetusque dissolutionem jure ambigitur, si judicare nonnihil cum securitate velis, oportet cum maxime, ut inter alia praesciatur, quae sit futura indoles, quis typus dolorum? Nisus an pervicaciter duraturi sint et vi superaturi? Deinceps, si

causa

causa tibi sit, ut propter morbum vel infirmitatem foeminae de beneficiis illis desperes, tum enimvero infelicitas ista ortaque in naturam inde diffidentia primum et ipsa princeps contra sectionem indicium erit.

In viva quoque muliere, instante praesertim partu, neque *conjugata* neque alia quaevis in pelvi linea ullo modo mensurabilis ad probationem matheseos est. Versutissimus obstetriciae artifex nonnisi apta conjectura praedicit et assequitur. Quapropter, qui in *pelvimetra* confidunt, postquam ad parientûm lectos ea exposuere, spe delusi stupent, promissaque fatui inventoris damnant. Ne ullius quippe sunt usus, medentesque, quum maxime opus habent, frustrantur et fallunt. Optimos, sane, et acutissimos mensores pelvis manum et digitos habes, quorum sensu, qui naturalia metiri nescit, frustra circinum apponet virgulasque.

Sed maximi est momenti, recte discernere, foetus hac miseria vivus insit, an mortuus? Quis enim facere tantum vulnus audeat, foetu extincto, vel alia arte educi apto. Signa vero, vivat nec ne in matre infans, fluxissima sunt, neque alia certa, nisi manifestus et distinctus illius in matre motus, tum percussus umbilicaris chordae, si casu descendit, ut tangi et tentari queat.

Sed motus etiam, perceptibilis quidem ille et in ventre extus apparens, ingruente partus stimulo ac labore cessat saepe, ruptis et defluxis aquis, et contracto utero. Nec multum

puerperis fidas, quae ipsos intra nixus infantem se movere fortissime profitentur, quem brevi post mortuum ac persaepe putridum edunt. Ne quidem verticis ex tumore, si quem tactu percipis, aliquid affirmati habes, quia ob informitatem supremae pelvis semper fere informis ipse est, adeoque re ita posita sive adsit tumor, sive desit, ac quacunque specie, mole, duritia aut mollitie compareat, nunquam recte de scientia eo medendi statues. Quin et mortuorum infantum pressa diu in ore et ad pelvim retenta capita tumoris et convexitatis speciem ex tumefactis integumentis sistunt. Ita mortis vitaeque a foetu desumpta signa fallacissima et perambigua sunt. Quoties susceptus vel eductus infans vivescens prodit, quem ex omni serie jam inter mortuos numerabas? E diverso, quot demortui, atque jam longius extincti emergunt foetus, quorum de vitalitate vix causa dubii erat.

Re tam ancipiti et obscura jus, pietas, et ipsa humanitatis ratio vehementer postulat, ut in statuenda sectione tam periculosa et saeva omnium perquam circumspicientes et cautissimi simus, quia matris certa et rationalis, ut ita dicam, jamque firmata vita incertissime pro incerta et solum animali vita hominis vix inchoati objicitur, funesto plerumque exitu. Vulgatissimum enim est, a denis et quatuor muliercuAlis, quas culter ille caesareus attigit, occidi decem et tres; atque colligendo sincerius, hic etiam levis citra verum et indulgens videretur

calculus. Namque in tota hac re casus fere et fortuna dominatur, nullis consiliis obnoxia, quam sapiens medicus ubique suspicet.

Vidi ego caesaream a calidissimis obstetriciis chirurgis secundissima alioquin spe peragi; sectae tertio quartove die obierunt. Vidi rebus non tam prosperis, nec dexterrima insuper arte, ab aliis perfici, eaeque convaluerunt.

Verum enim vero tam frequentes et omnem aequitatem vitiosissime excedentes mortes tot miserabilium genitricum, propterea maxime afflictarum cultro, ut nempe foetus, quem vivere tales ad feritatem humani *operatores* perquam gestiunt, servaretur, majus etiamnum longeque gravissimum momentum invehunt. Id enim agimus, quo scilicet pretio vita matris, quo foetus sit habenda, quaeque demum ratio inter vitam utriusque sit. Quae res profecto duplici sensu accipienda et consideranda est. Ac primo quidem expendere oportet pretium illud ac aestimationem, quam quisque vitae suae ipse tribuit, aut tribuere valens est. Quae certe aestimatio non ex arbitrio, sed ab ipsa necessitate procedit, utpote ex ratione perfectionis corporaturae et energiae sensuum; ex ipso universae vitae praesenti usu, gaudio fructuque, item ex metu mortis et horrore, ex gravitate demum diuturnitateque anxietatis et dolorum, quibus adrepit. Atqui hoc respectu vita matris cum vita foetus nondum editi ultra similitudinem excedit.

Pretium vero, quod a societate homi-

num vitae uniuscujusque tribuitur, procul dubio idem non est, quo singulus quisque vitam suam ipse taxat. Namque dignatio, quam societas de uniuscujuslibet adulti vita habet, necessario minor est; cum inversa ratione major sit quoad vitam foetus nascituri aut recens geniti: quod hic nempe pretii nullam omnino cognitionem, neque vitalitatis ipsius aliquam affectionem habeat. Attamen, quodsi alterutra, emergente conflictu, negligenda sit, carior certe debebit esse humanae societati mater, quam foetus nondum procreatus, quod is in rerum ordine post matrem veniat, ipsaque societas ex progenitis hominibus jamque praeditis ratione sit congregata, quibus propter communionem naturae ac ex cujusvis sui ipsius amore conservatio sui similis itidemque sentientis et cogitantis et agitantis inferior esse nequit, quam incolumitas embryonis vel foetus ad vitam nondum recte instituti; qui, quum nec morali modo usque sentiat, neque cogitet, neque agat, nec etiamnum genitus in lucem sit, ad humanam societatem nequidem pertinet. Si qui vero privatis consiliis moti, vel ex turpi adulatione, vel foeda cupidine contraria docentes, sensum omnem humanitatis adeo obduruerint, ut tam immania praecepta condere tanquam in communem normam audeant; nae ii clarissima naturae voce ac vociferatione, ceu incorruptissimae aequi bonique aestimatricis, perpetuo refelluntur. Mortem quippe conclusi infantis, item et recens-

nati nonnisi parentes lugent, at matris miserantur omnes, qui norunt eam. Atque hic in nobis ex vitae ipsius intrinseco pretio profectus sensus, unde etiam in reputanda vita aliorum determinamur, afficimurque, eadem ferme ratione in taxanda vita viventium caeterorum omnium est, ut a perfectissimo animante item fere ad insecta descendat.

Quidquod, patrata tandem illa et cum jactura matris plerumque conjuncta sectione, si vivus etiamnum exit infans; quae spes dein manet quamque caduca, fore, ut perstet, totque morbos eluctetur, tot variaque discrimina, dum esse infans desinit, dum pubescit, dum adolescit, dum vir vel foemina, pater vel mater fit?

Ex quibus facile elucet, infantum vitas haud frequenter cum vitis genitricum collidere in natura, ut potius ex perverso studio collidantur a mortalibus. Namque pelvi adeo arctata, ut in extremo casu ne dirimi infans ac educi visceratim possit; quid demum miserabundae aliud relinquitur, praeterquam ut obeat, vel tristi sorti patienter submittat se; idque sine habita ratione vitae ac necis foetus? Verum si pelvis utcunque ampla est, ut tandem forte infans etiamnum lacerari ac dividi queat; ne festines tamen, sed indulge virtuti nisuum, opperiendo, quid tempus ferat et natura.

Rebus denique et occasione tam parum propitiis, ut ab efficientia naturae ad moven-

dum nihil ultra exspectari possit, contra longior mora matri in periculum foret; forcipe utitor, siquidem caput foetus apte promineat, necque irritam esse cum hoc instrumento artem vere cognoscas. Quae autem gravis miseria, quam primum illo conatu nequit expediri, nil restat, nisi infantem ex capite diffringere, et evacuare cerebrum, siquidem haud distinctissime prodat, vivere se.

Qua in re Angli obstetricantes non tam timide atque Galli et Germani gestiunt; majoremque longe puerperarum numerum oppido servant. Neque tamen praecocitatem indiscrete laudo, quamvis finitum et masculum in hac lucta consilium minus noceat profecto, quam delicata affectataque aliorum mollitia, et fatuae sexcentae scrupulositates, quibus tandem exhaustis ipsa etiam cerebri exemptio non frustra prorsus et funesta nequit esse.

Atqui etiam a me abest, ut foetus disjungam, vel ad id persuadeam modo, stantibus indiciis vitae, iisque certis. Nihilominus medici sine controversia foede errant, quibus divellere non placet, priusquam infantem in utero matris putruisse et cernant et oleant. Videlicet dum circa carissimum foetum anguntur, nutantque, inhumanissimos se in matrem praestant, quum nescire videantur, hanc quoque phlogosi mox putredinique necessario fore obnoxiam, ac alioqui in privatione vitae duplicem esse modum; alterum interimendo statim ipsoque facto; alterum non servando,

ubi servare posses, in quibus unum idque solum est discrimen, primum crudelem esse, alterum crudelissimum.

Ubi diruptio non nimis tarde et molliter et diligenter fit, nec pariens multum jam debilitata, vel morbo universali, vel quodam in genitali vitio, gravius affecta est; prospere plerumque cedit operatio.

Quod usitata ad eam instrumenta attinet, illorum horribilis vis est. Ego maxime binis ad hunc usum a me excogitatis ferramentis utor: *perforatorio* nempe, et obtusa coeceque denticulata forcipe. Raro uncis illis et harpagonibus expedire me potui, quae instrumenta, sicut inepta et inutilia, ita matribus infestissima, atque etiam insidiosa cummaxime medenti sunt.

APHORISMI.

Non ergo sequor priores? facio, sed permitto mihi et invenire aliquid, et mutare, et relinquere.

SENEC.

I.

Molestum semper est, ac quandoque funesti ominis, dum in gravidis aqua amnios intempestive destillat, seque quasi furtim subducit.

II.

Satius est, amnion in partu aliquamdiu turgere, quam praemature emitti; ac, nisi periculum urget, minus offendes non rumpendo velamenta, quam faciendo.

III.

Rari partus dolores et languidi increscunt plurimum et augentur, foemina cumbente ex latere.

IV.

Cubitus parientis in partem sinistram, converso in lecti marginem podice ac ductis contra ventrem genubus, foetum optime, maximeque ad naturam, movet.

V.

Quum labia et perinaeum infinite distendi

nequeant, ipsumque foetus caput plurimum grandius sit, ambitu exteriore carnis vulvae, necesse est, aliquando lacerari has partes. Persaepe tamen injuriae ab intolerantia parientis et immodico nisu, vel ex inepta cura obstetricantûm fiunt.

VI.

Foetus validior et maturus, os sacrum valde arcuatum, altiore simul perinaeo, hoc lacerari ferme necesse faciunt.

VII.

Decubitus aptus interfoemineum lacerari impedit, ineptus promovet. Summa rei, ne fiat laceratio, in hoc est, ut novissimis doloribus modice utamur, et cum intelligentia.

VIII.

Quodsi in puerperis ubera replentur, linteis calidis foveto; potissimum etiam cubare eas ex latere curato.

IX.

Ubera puerperae non lactantis, quando intumescunt, lacte non profluente, papillae digito tepida aqua imbuto aut ptisana leviter et iterato confricentur; vel puerpera eas sibi ipsamet saliva inungat; mammae subcalido linteo foveantur, aegraque plurimum ex alterutro latere cubet, tum lac effluet.

X.

Inflammationem uberum a copia lactis et tenacitate nihil in medicina potentius profligit, nitro; attamen in puerpera recenti moderate exhibendum est.

XI.

Et matri et genito apprime conducit, ut, quam primum a partu potest fieri, ubera praebeantur, quae, si lacte abundent, pullus exsugit, ne turgescant; idque ut infantem recreat, ita etiam matri blandimento est. Si vero lac etiamnum deficit, grata titillatione infantis et suctu ipso attrahetur. Hacque ratione vel emulgetur lac vel destillat, matre interim doloris febrisque vacua.

XII.

Infantes recens editi, aliquamdiu aegrotantes, et multum medicati, aphtas contrahunt; raro tamen obnoxii, dum intus modo medicinae parcitur.

XIII.

Sani alioqui infantes, nisi lacteant, sed aqua ex fallacia ruminis nutriuntur; tum quibus os saepius et ruditer eluitur, ac praeter lac maternum seu nutricis, alia vicissim ingeruntur, aphtis retro in ore vexantur, in palato, in linqua et labiis.

XIV.

Infantes praemature nati ac debiles, quando incidunt in morbum, diutius plerumque aegrotant, ac tardius moriuntur, quam tempeste geniti et succi pleni eodem capti morbo.

XV.

Fluxus alvi in neonatis, diu emacians, foetore intolerabilior est, diarrhoea adultorum vel in febre maligna. Attamen longius, quam adulti perstant.

XVI.

Quae pulsum sub partu praeter modum lentum et rarum habent, misere et laboriose excludunt. In fine partus, atque post, sequitur febris, et acceleratur pulsus. Tum uterus et venter intumescere. Quidquid tentaveris, occupat, vel jam praegressa est gangraena, mortem accelerans.

XVII.

Ex quo latere uterus maxime laborat, ex eodem etiam in mamma quaedam apertius observatur alienitas, in copia lactis, vel qualitate; verum saepe in utroque.

XVIII.

Foeminae, quarum praecordiis praeter naturam aqua instillavit, in partu, aut brevi post, ex convulsionibus moriuntur.

XIX.

Innocua febris lactea est, si correptae effuso sudore post frigus et calorem recreantur; si mammae ipsis ex lacte intumescunt et purgamentum defluit laudabiliter. Quorum si nihil obtinet, res anceps et ominosa est.

XX.

Puerperae crassae, et ad speciem robustae, facile aegrotantur, aegriusque curantur siccis et gracilentis.

XXI.

Quae in puerperis intestinorum et peritonaei inflammationes inter principia vehementer dolent, facilius saepe sanantur, nec adeo sunt periculosae, quam quae modice dolent

ad contactum, pulsu interea nec valde celeri, nec duro et suppresso.

XXII.

Foeminae succi plenae et juveni, si rarius praegnat, vel omnino sterilis est, circa tempus menstrui uterus ingravitat, descendit et tumet; mutatur etiam illius collum et os, ut praegressis forte, aut praesentibus insuper aliis indiciis, quae graviditatem ambigue designent, accedente praesertim avidae foetus persuasione, medicus habere in utero eam falso judicet.

XXIII.

In foeminis plurimi morbi, inprimis longinqui, quibus ante tempus senescunt, quaeque in genitalibus sunt vitia: haemorrhagia, fluor, erosio, tumor, ulcus, carcinoma, et similia, magis quam a suspecto interdum vitae more et lascivia, inde proveniunt, quod infantes suos non lactitent, in iisque justo citius alia aliam consequatur graviditas.

XXIV.

Pro matre et singulo infante, pro familiarum numero ac vigore, imo pro omni humanitate satius est, ut mulier foecunditatem suam potius per longas intercapedines, quam inter breve tempus excludat.

XXV.

Quae puerperae sine causa apparente febriunt, et ex multo sudore languent, aegro et indolenti animo, cum plumbea et fusca facie, septimo aut undecimo plerumque die, ac tardius etiam, exanthesi efflorescunt, raro sanandae.

XXVI.

Miliare in puerperis raro est periculosum, si per se constet. Quodsi vero comes alius morbi et corruptionis in corporatura est, mortem denuntiat.

XXVII.

Puerpera, sanato dolore ventris continuo, omne, quod refrigeret, vel aliter dolorem cieat, diligenter vitato. Prima enim ex morbo offensio gravis, altera ferme lethalis est.

XXVIII.

Fomenta frigida et injectiones in haemorrhagiis uteri potentissimum subsidium praestant; nec praemature tamen et intempestive, sed temperanter adhibeto, quia inflammationes, aliasve noxas concitant, pejores ipso damno, contra quod praepostere adhibebantur.

XXIX.

Mollientia tepida, quibus puerperis ventrem fovent, nec eximie, nec tam frequenter prosunt, ac consueverunt usurpari. Experientia et ratio et cognitio naturae consentiunt, ejusmodi *cataplasmata* multis puerperis, ac omnino in earum febribus *biliosis* et putridis saepe nocentia fuisse.

XXX.

Parientes et puerperas ob nimiam infirmitatem convulsionibus obnoxias, nisi abalienato sensu defecerint, utile et humanum est, gratis quaestiunculis et jucundo sermone distinere, iisque suavi illecebra cogitationis spasmos mollire ac retundere.

XXXI.

Puerperae ex sanguinis jactura et debilitate convulsionibus periclitantes, ubi dormituriunt, cave, ne somno indulgeant. Fallax quippe ea recreatio est, quia dormienti facilius, quam vigili spasmus obrepit.

XXXII.

Dolor validus et stringens, ubi axillas puerperae et ulnam brachii ingruit, ut immobilis ferme sit humerus, emplastrum *vesicans* in infimo brachio tanquam armillam, quodsi in poplite sit, supra talum imponito.

XXXIII.

Inter metastases, quae corpori in extimis partibus contingunt, eae quae puerperis in inguine, vel supra os pubis consident, omnium minime sunt periculosae; reliquas ferme omnes funestas et lethales scito.

XXXIV.

In re gravi quaestio sit et consilium: Postquam in puerperis humor in cava corporis descendit, mors plerumque haud dubia est. Ad hoc, quia certa signa sunt secessionis factae, item, quod interdum occupet, quin membra gravem et insanabilem degenerationem subeant protenus, quaeritur, ne tali in casu expediat, incerte mederi potius, quam proximam mortem opperiri certe? Atqui fortasse prodest, mucrone, quem *Troicart* vocant, vaginam, qua parte uterum amplectitur, tempore quam maxime opportuno, perfodere, ac inclusum humorem paullatim eliquare. Posse ita educi,

multis in cadaveribus ex febre puerperali demortuarum factis a me experimentis clare constat. Atqui etiam, postquam humor partim spurie in membranas coivit, fieri tamen potest, ut impune intestinis adhaerescat, quandoque imo etiam partes praeter naturam conglutinet. Adde, quod similis membrana nonnisi tarde aliquando et plures horas, imo dies, post casum coalescat. Quare, quod proposui experimentum, tantum abest, ut eo ad perniciem uti, sed potius cum foenore possis. Tum accidit, ipse instituam.

XXXV.

Periculose vivitur, ubi pauciores aegrotant, quam medentur.

DE PUTRESCENTIA UTERI GRAVIDI.

Affectus, unde primum maximeque imminet periculum, hic primus curari debebit; interim non primus modo, verum etiam solus.

GALEN.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio morbi, et conjectura de causis illius, et indole.

Etsi morbus, quem descripturus sum, *Putrescentia* uteri, inde fortassis a passionibus mortalium exstiterit, attamen a nemine, quantum scio, hactenus observatus et perscriptus legitur.

Qua animadversione facile innotescit, non hic vulgo de uteri *gangraena*, vel insequente graves inflammationes, ac rudem partum sphacelo, neque de notissima genitalis putredine: de cancro et maligna sanie, sermonem esse. Ea quippe inter illos affectus, et morbum praesentem est discrepantia, ut, juxta periculum vix aliquam similitudinem habeant. Vulgares illae affectiones quovis vitae tempore, vel etiam citra

citra graviditatem, ut intra eam possunt infestare, ista vero labes uterum duntaxat altius gravidum aggreditur; licet passim ex ea provenisse quoque abortus constet.

Eaque putrescentia proprium et peculiarem uteri gravidi morbum sistit, quum a tunicae *Hunteri* corruptela oriatur, eamque saltem affinem habeat. Vel, etiamsi primo ab cervice uteri seu orificio ortum traxerit, medio tamen illius tunicae mox ad interna commeat.

Est enim singularis hujus putrescentiae natura, ut uteri os potissimum et internam faciem occupet. Unde a vulgata gangraena, utramque plagam indiscriminatim obsidente, cum maxime differt. Hac in putredine extus ad uterum vel nulla vel rarior livida macula est, ovariis interim tubis et ligamentis plerumque suspectis. Quandoque partes istae solum ex uno latere livent; sed interdum etiam vitii penitus sunt expertes. Unde probabile est, illarum mutationes aliquando ipsa ex putrescentia induci. Verum saepe etiam a collecta in ventre et circa uterum *lactea*, quam vocant, materia exeunt.

At intus quoque in utero putridum saepe non in profunda penetrat. Tum a contaminata decidua variis plagis pernicies ultra velut offunditur. Sed intimius saepe putredo labia oris rodit. Ut plurimum elapsis quatuordecim aut pluribus etiam a partu diebus, loco, ubi haeserat placenta, aliqui etiamnum illius, aut densioris hic deciduae, ne cultro avellendi flocci restitant. Aliquando noxa in vaginam repit;

subinde tamen, praesertim, infantis capite haud diu in ea morato, incolumis perstat.

Vidi ego persaepe morbum, quippe, ut violenter mox repenteque infert mortem; mox quasi per insidias adducit; nec tamen praetereo, indolem illius diu mihi inter abscondita fuisse. Ut enim in hoc usque tempus ignoratum malum aperirem, nequaquam probatio oculi in cadaveribus suffecit; sed necesse erat, perituras ex morbo ad ultimum halitum invisere et pervidere, et indagare, ut constaret tandem, causam horridae stragis putredinem esse ipsius uteri, quae innùmerabilium humani generis malorum puerperarumque inprimis moestissimum nunc additamentum noscitur. Ita gravidas et recens enixas perire ex convulsionibus vidi, quae dissecto corpore citra exspectatum et sine ullo praegresso signo hanc putredinem uteri exhibuere. Aliae, postquam recte ad partum usque in operis suis navaverant, foetu etiam facile excluso, brevi post citra manifestam causam insolenti febre et fatigatione corripiebantur; insecuta intra biduum morte. Tum secto cadavere inopinato putrescentia uteri aderat. Complures febris puerperalis sustulit; nempe in his etiam inquisitio praeter inflammata intestina, peritonaeum et omentum, cum copioso descensu lactei seri, foedum uterum monstrabat; ac ubicunque noxa similis subest, omni medicinae refragatur febris. Aliae mulieres succubuere *miliari*, tametsi cunctis ex rebus atque ex febre ipsa laetior

spes fuisset. Aperto corpore uterus in putredine visebatur, quin inter morbi initia, seu serius, ulla incideret passio, quae phlogoseos vel gangraenae incuteret metum, vel modo suspicionem. Ita plerumque fit, ut morbum pro causa mortis pronunciemus, qui primae morbi illius mortisque causae nonnisi effectus et consequentia est. Sic frustra medemur passionibus, dum illarum interim ignorata occasio pulcherrimas inter spes conquiescit, et incurata vitam subruit.

Quae nunc de pernicie uteri tradidi, comperta maxime habeo, nec disputari possunt, utpote ab ipsa natura prodita, nec addubitanda, nisi ab iis fortasse, qui innumerabiles morbos, cum aptis ad illorum sanationem cunctis remediis, concludi jam pridem in libris somniantur, pleraque alia, nova sibi alienaque, ad inania referentes. Id quod ego parum curo; sapient aliquando, dum morbos didicerint spectare, nec rimari in mortuis fastidio erit.

Verum, quae mox sequuntur, moderatius subjiciam, quia opinationes sunt, puraque consectaria, ac falsa quidem forte. Atque ante omnia id assero, morbum illum certis tempestatibus crebrius occurrere, praesertim autumno ac brumali tempore, humido simul frigidoque. Sed promtiores excitando malo certae, sensubus parum obviae, adeoque incognitae aëris mutationes sunt. Deinceps quaedam foeminae prae caeteris infestantur; plerumque vitium nec tamen sine exceptione laxas et humidas natu-

ras occupat. Mala nutritio, graves et protractae aerumnae, vita sedentaria, in recluso praecipue et impuro aëre, vehementer ad perniciem disponunt; interim aliae quoque gravidae, tametsi citra tales errores, eadem non ubique immunes perstant.

Ortus et indoles hujus morbi in obscuro sunt; interea pro meo judicio haud stricte ad inflammationes accensenda est affectio. Ac etiamsi quaepiam ab initio phlogosis aliquando affligit; est tamen maligna ea et comparate ad reliquas passiones tam fluxa tamque fugax, et a vera phlegmone diversa, ut a medico persaepe ne animadvertatur, ab gravidaque ipsa ob levitatem negligenter, ac plerumque sine querimonia feratur. Vel etiam, quandoquidem nonnihil inflammati conjectaveris, remedia tamen, quae *antiphlogistica* vocant, vix unquam ad salutem faciunt. Sedat quidem aliquando parca venaesectio; sed est quoque, ubi fallit; idque expertus sum. Nec semper *eccoprotica* nocent; at illorum protractus et paullum immodicus usus, infirmando, putrescentiam accelerat. Interdum antiseptica congruunt; verum quodsi illorum haud rectissima est indicatio, adeo nocent, ut illatum damnum vix reparetur. Haecque pleraque tentavi; at semper ferme adhibitis incassum nihil in laudes dico.

Tanta est narrati morbi in cursu et affectubus suis, tum, quo mortem inducit, modo inconstantia et mutabilitas, ut nihil certi de eo

statui possit. Solus ferme ac perpetuus suus character is est, caracteris sibi esse nihil. Etiamsi novem et nonaginta vicibus obvenit, centesima recurrens novus et diversus adest. Quandoque repente occidit; quandoque aliquot post dies, varia ante in corpus inducta vastatione. Rarissime ultra vigesimum diem durat; paucae undecimum perstant. Imo foeminis, mobili animo et tenui fibra, putrida noxa aliquando convulsiones movet, inter quas mors confestim sequitur.

Quidquod edoctus periculo sum, a putredine uteri non raro humoris in ventre illuviem aliasque pravas mutationes dudum fuisse factas, priusquam partus labor inceperit. Qua rerum positione obstetricans, qui gravidae, tam periculosa ad speciem vero modica admodum valitudine, ministrat, pessime versatur. Ambigua parturitio segnis est, dolores anomali parum movent, et debilitant. Foetu interim bene composito, ac justa illius ad pelvim portione, ad naturam saepe labor, aliquando etiam paucas intra horas, cessat. Ubi vero pelvi angustiore moles infantis velut, seu iniquus situs est, obstetricans ob necessitatem vel amore factitandi, opus illico instrumentis, vel alia suscipit industria. Tunc gaudere aliquamdiu de felici eventu, et omnium laetitia; at mox alia scena est: rerum in puerpera omnismodi confusio, varius malorum confluxus, et inopinata mors.

Tum eruditum et rude vulgus et consangui-

nei et adstantes minime desunt, culpam naviter in obstetricium volvere. Alii aegram ad praematuros intensam nixus, inde exhaustam; alii omissam sibique nimis fuisse relictam arguunt; verbo, quaecunque in simili occasione consilii, agendique fuerit ratio, vix tecto honore absceditur. Quod tamen inposterum facilius evitabunt, qui meis moniti periculis et observatis signatissimam perniciem habent, a nemine hucusque nec cognitam neque proditam.

Est, ubi descriptus morbus nonnisi excluso foetu evolvitur. In quibusdam mulieribus praegresso naturali et expedito partu uterum et vaginam, sine ullis *prodromis* citraque apertam omnem causam, acris et repenta labes irruit, ut ichor ipsa aggrediatur metalla, et ungues digitosque curiosi fusco et diu nihil abstergendo colore foedet. Atque ejusmodi exempla nonnunquam in foeminis contingunt, saluberrima extus corporatura.

Nihilominus uteri hanc perniciem cum sphacelo ferme scorbuticorum, item cum gangraena ex decubitu in febribus malignis et universim cum membrorum illa necrosi comparamus, quae per venenatos influxus, aut ex generali corruptione demum in ipso corpore solet induci. Ibi quippe membra similiter ab extraneo potius stimulo, seu ex latente quadam intus noxa, quam a vera ac satis assidua, seu intensissima phlogosi dissolvi et *sphacelari* vides.

Haecque sententia adnixa factis certissimum documentum capit, quod cum uteri putrescentia

jam ex principio summa adsit virium vitae dejectio, quae neque morae morbi, neque passionibus, neque genio affecti ex putredine loci congruat.

Unusquilibet, dummodo prudens alioquin medicus, tametsi morbi hujus insidias vix experiretur unquam, cum affectionum, quibus decurrit, singulari anomalia, tum incerto remediorum delectu non modice perplexatur. Quidquod ipse ille, cui, aegrotatione hac saepius visa, illius aspectus prope familiaris est, variabili tamen medicatione nutabit, noscitans quippe, quam parum valeat in hoc exitio omnis medicina. At bellator contra *symptomata* medicus, optime sibi ipse confidens, nihil uspiam odoratur mali, donec contra febrem lanciola, contra impuritates linguae haustus salini, contraque debiles venas cortex et vesicantia militant.

Ego quidem, tametsi existimem, miseriam hanc me nosse propemodo, ita, ut ab ingressu saepe indicerem, eamque lethalem fore ad diem vel ad horas declararem, ubi alii medici, iique non novissimi, ex levitate febris, tum ob graviorum passionum absentiam fere, puerperas vix aegrotare affirmaverant; haud tamen tradere scio, quid morbo mox dignoscendo ubique sufficiat. Vereor potius, ne in tam mutabili signorum fallacia, ubi abest noxa, aliquando adesse videatur. Indicia enim putredinis ambigua, et parum constantia, imo ex parte mitioribus etiam morbis adeo sunt familiaria, ut de iis apto nexu et ad modum medendi recto ordine perscribi nihil queat.

Cunctae, quae febribus malignis, iisque cum inflammatione complicatis, propriae affectiones sunt, hanc quoque corruptionem saepissime comitantur. Verum multa possunt abesse, stante etiamsi putrido. Mori hoc morbo aegras vidi, libero a doloribus ac molli ventre, pulsu fere naturali, haud spurcata lingua et immuni capite.

Assectans putredinem ut plurimum ex continuis remittentibus febris est. Raro perfectas exacerbationes, aut novos cum manifesto frigore accessus habet. Aegrae incertis spatiis incalescunt, ad vesperam maxime, cum sudore nihil levante, cum multo virium lapsu, et cruditate urinae. Lingua humida plerumque et pura, nihilominus ardens et perpetua sitis est. Deinceps, ubi insultus valido horrore ingruunt, mors pulsat fores; paucissimae tertium frigus superant.

In plerisque aegris exhauriens diarrhoea est, alvo fusco flava foetentissima, interspersis subinde floccis albis, tenacibusque; pessimi semper in hoc afflictu ominis. Item vomitus materiae viridis mucosae cum simili prope faecibus olei sedimento. Quo copiosior aut facilior vomitus, eo pejus. Lumbrico ejecto, vel pluribus infra vel per os, salutis spes nulla. In duabus modo aegris, exhibitis licet enematibus, aliisque, quae subtus movent, multis remediis, alvus pertinaciter clausa mansit; eae jam tertio die obierunt.

Turbata plurimum in aegris secretio lactis est. Aliquando turgent mammae, sed humor

evanescit, vel sensim vel ocyssime. Vidi etiam ultimo halitu plena adhucdum ubera, imo post mortem (mirabile dictu) plus multo continere lactis, quam ad exitum vitae.

Atque etiam in lochiis multa est varietas; pro latitudine, ut videtur, affecti loci in utero. Parca plerumque sunt, nec cessant tamen, nec a sanitate ita recedunt semper, ac loci in tanto malo opinareris.

Putrescente utero, circa pubem praesertim et ad inguina dolens venter est. Interdum tamen regiones illae ne rudiore attactu, neque ipsa tractatione uteri notabiliter patiuntur. Ipse uterus solito magis minusve expansus, hoc in casu, plerumque mollis et laxus; in illo, citra modum crassus et durus est.

Malum istud, nisi ocyus interimit, alias insuper ad inferendam necem velut singulariter intentas passiones concitat: dolorem, transudationem, inflammationem, caeterasque turbas, nec praeverti, nec tolli aptas, nisi putredo, quacum, quamque propter mortem parant, sublata ante, ceu caput vitium, ipsa fuerit.

At occurrere huic cum efficacia difficillimum scito, ut fieri saepissime omnino nequeat. Gravidi namque uteri vel paullum ante evacuati tantum onus, illiusque cum vagina, et visceribus reliquis, et universa vita, per raros nervos, aliqua vasa, et debilia ferme in usum ligamenta, laxus adeo tenuisque et exilis nexus est, ut in ventre quasi isolatum membrum fluctuet, vix ulla intus suscepta medicina unquam attingi

aptum. Quapropter curationis summa, in hac ferme ut in plerisque uteri afflictionibus, maxime externis praesidiis, illorumque peculiari administratione comprehenditur, quorum aliqua, dum malignitas non artem modo, sed et naturam superabat, feliciter probavi. Quoniam vero singulatim illa recensere longum ac taediosum foret, *Putrescentiam uteri* omnium me primum detexisse et scripsisse in praesentia satis esto.

Proximum tamen caput subjunctas aliquas historias habet et cadaverum extispicia, quae veram, quam de infortunio tradidi, delineationem confirment, et dilucident.

CAPUT SECUNDUM.

Historiae morborum cum cadaverum sectionibus.

Historia I. Maria S. 19 annorum, rubro capillo, et tenera compagine M. Decembris febriens et prehensa nixubus illucente die ad parientes defertur; brevi ante passa convulsiones, mentisque ac sensus impos. Ambabus foeminis, quae aegram adducebant, post illius susceptionem extemplo degressis, nihil prodebatur circa. Aegra interim ad lectum commissa partus mox signa dedit. Exploratione, quamvis lenissima, ocyus redire spasmi. Elapsa circiter hora defluxus amnios, paullum post octimestris in conspectu foetus est. Brevissima mora quoque placenta sequitur. Utero rite con-

contracto, aegra multum emendari visa, ut vix amplius a nervorum distentione metus esset. Sed novo impetu confestim obit.

Versus meridiem puellae, quae parientem aliquas horas ante in hospitium rheda duxerant, denuo adfuere, qua occasione ex narratis constitit, eam sericorum textricem, ipsis laboris et lecti fuisse sociam, semper egregieque valuisse, juxta quod ante biduum de capitis dolore et redundatione stomachi quereretur; continuatis nihilosegnius ab illa suetis in fabrica operis. Praegressa vespera amicam suam, quum ex secessu in cubile regrediretur, post fortem venti per canalem in partes afflatum, torminibus captam fuisse, ut foetus sibi instare jacturam diceret. Ipsas rem primum jocose tractavisse, et quod alioqui serum noctis erat, ne tumultus fieret, in diem detulisse; adventu solis mox adscivisse obstetricem, cujus monitu aegra protinus, atque ob fatigationem, curru esset transportata; in itinere ex spasmo plures eam insultus habuisse.

Corpus vesperi eo die secari jussi. In cranio nihil alieni, nec, ut in convulsionibus saepe consuevit, turgidae venae. Etiam in pectore immunitas, praeter inflatos quidquam spumeo sanguine pulmones. Aspecto utero, illius collum ad altitudinem, qua vagina complectitur, totum putridum apparebat. Eadem labes uterum intus foedavit, maximeque, ut in collo, ad partem anticam; noxa caeteroqui, ut plerumque fit, intra viscus ne duas tresve lineas

penetrante soliditatem. Extus ne maculam habuit.

Nec etiam circa putridum nota aliqua inflammationis visitur, vagina prope aliisque partibus sanissimis. Atque hoc ipsum plerumque ista putrescentia peculiare habet, quo recte a vulgari gangraena uteri sphaceloque dignosci non satis monere possum. In illis circa confectam carnem aliquid semper praegressae phlegmonis restat, sanas etiam post mortem partes ab aliis jam ante obitum extinctis fluxe secernens; unde clarum fit, gangraenam et sphacelum actuosa quadam potentia fuisse inductos. Aliter res in praesenti corruptione habet, hic quippe nulla ambientis phlogoseos, nisi ab ipsa putrescentia per casum accesserit, conspicua macula est. Unde cito intelliges, istam sphaceli speciem jam morbi intra principia, modo quodam velut passivo, oriri.

Historia II. Catharina N. 31 annorum, aliquoties enixa, rustico, at per immodicam venerem enervato habitu, fine graviditatis institutum adiit. Quinto ab adventu die partus indicia. De nullo hucusque incommodo questa continuo appetit, ut ultra suas portiones, quidcunque comestibile obvium erat, avide consumeret; solitis caeterum operibus domesticis solerter, et lubenter occupata, prae cunctis reliquis sociis.

Quum mane invisebam, renuntiat assistens obstetrix, aegram noctu frequenter alvum solvisse, per aliquot horas queri de redeunte do-

lore in lumbis, et imminere partum nosci digito. Foemina in parientûm cubile mandata versus quartam horam vesperi masculum foetum, tum tribus horis post, alterum edidit. Elapsis circiter horis duabus sponte etiam placenta exiit, cum multo foedidoque sanguinis grumo, et copia seri.

Intra triginta sex a labore horas puerpera praeter solitos post partum dolores nihil incusabat; nec febris aderat. Verum ob magnitudinem uteri, ventri prius volatili unguine tractato, fumigata lintea imponebantur.

Sequenti nocte profusus aegrae sudor, prostratis viribus, cum febre et ardentissima siti. Tertio die sparsim ad axillas et super pectus petechiale exanthema. Altera nocte exhauriens ventris fluxus, *meteorismus* et dolor. Cessant lochia. Die quarto circa vesperam mors.

Quatuor vix a morte horis in brachiis jamjam et feminibus gangraenosae vibices, amplae ut vola manus, adsunt. Postero die aperiebatur cadaver. Totum ferme intus uterum, cervicem ac supremum vaginae, putredo attriverat. Tubae et ovaria livida; dextrum marcidum simul et saniosum. Expansa multo aëre ac passim cum omenti portione inflammata leviter ex superficie intestina.

Historia III. Julia S. 29 annos nata, secunda vice gestans, sanaque ad speciem foemina. Quatuordecim dies optima valitudine in nosocomio morata, octavo circiter ante partum die sine cognita causa capiebatur febre, deleto

appetitu, et amaritia oris. Examine comperitur, foeminam intra gestationem bis aegrotasse, eaque propter bis etiam detractum ei fuisse sanguinem. Modice de torminibus querebatur, circa umbilicum, posita alvo paullum cessantibus. Accepit lene eccoproticum, ac pro carne, quam nauseabat maxime, coctos fructus. Inde melius habet, appetit carnes, et aqua temperatum vinum. Sic usque ad partum manet apyreta. Ille paucos post dies insecutus, languens et solito moestior erat. Placenta licet soluta et levissime tractabili, segnior tamen in contractionem uterus, et sanguinis citra ritum fluxio est. Ortis convulsionibus repente mors.

Dissecto cadavere os uteri, interna facies cervicis, et ex parte cavum uteri, item ovarium cum tuba lateris sinistri confecta putredine cernebamus. Cordi et arteriis congruus sanguis inerat.

Historia IV. Anna P. 25 annorum, secunda, ut ajebat, gravida vice, omni praegnatione bene transacta, expeditum partum habuit. Primum puerperii tempus sat prospere cessit, salubri lochiorum fluxu, mammis interea non multum tumidis. Appetit, et congrua alvus est; verum mollis continuo et celer citra modum pulsus. Sextam inter et septimam diem lochiorum suppressio, largi sudores, magna infirmitas et oris amaritia. Alvo intra nycthemerum non liberatae, injecto frustra clysmate, laxans ex manna et sale amaro praebitum, unde aliquoties purga-

tur, sed absque levamine. Injectiones in uterum fieri et abdomen siccis tegi fomentis jussi. Postero die eaedem passiones, cum vomendi nisu, et modica tensione ventris. Viginti ipecacuanhae grana bis vomitu viridescentem pituitam cierunt, absque lenimine. Decimo die idem. Undecimo, noctu inflatum, dolentissimumque abdomen, velox et subdurus pulsus, sicca lingua, ardens et inextinguibilis sitis. Sanguinis e vena unciis sex eductis, nihil mitigtur, aperta potius virium ruina est. Duodecimo die mane eadem calamitas. Circa meridiem horror febris irruit, subsequo longo aestu. Porrigitur pulvis stibii, sed incassum. Decimo tertio et quarto die febris nova accessio, idemque est status. Tum certus licet de desperata salute, ultro tamen analeptica cum aceto *ammoniacali*, et camphoram, addito moscho, scripsi; continuatis fomentis, clysmate, et injectione in genitale. Decimo sexto die super totum corpus dispersa miliaria erant, mane rubra, vesperi crystallina jamjam. Supervenit noctu vomitus pituitae viridis cum diarrhoea. Die decimo octavo, fluxu alvi nihil cessante, desidere nec amplius dolere venter coepit, aegra bene sibi valere visa. Decimo nono ingresso febris frigore versus meridiem occidit.

Instituta cadaveris apertura magnam exsudati intus partim in membranulas concreti humoris copiam, et peritonaeum et intestina cum omento leviter hac illacque inflammata offendimus. Uterus extus solum, ubi intestinis ap-

pressus fortiter cum fundo est, lividam plagam habuit. Illo dissecto cervix, totaque membri intus facies, uti praedixeram, ex putredine soluta et destructa conspiciebantur, quasi omne cavum foeda nigerrimaque spurcitie studio fuisset expletum. Ovaria et tubae livida. Tota vagina, etiam, qua collum complectitur, sanissima erat.

Ex narratis his, aliisque historiis omnino persuasum habeo, morbum, olim sub nomine *febris miliaris puerperarum* notificatum, persaepe putrescentis uteri nonnisi fuisse symptoma. Id quod verisimiliter etiam de illis affirmatur febribus, quas recentiores sine discretione ac promiscue *febres puerperales* vocitant. Non infitior quidem, puerperis, quin uterus vere ex putrido langueat, metastasim aliquando et exanthema miliare vel aliud contingere, idque constat ex observatione. Sed frequens experientia etiam hoc comprobat, putredinem saepe in morbis istis subrepere, ac universim, ubi in ventre seu alicubi congestio lactea fit, uterum, ovaria, tubas, et vaginam vel separate, vel junctim putrescere, vel certe a salubritate quocunque modo devortere. Quae opinio cum propter novitatem, tum quod adversa quidquam sit doctrinae temporis, medicorum, forte et obstetricantûm numero displicet; interim fretus natura et exemplis dubitationes et paria in partes omnes certamina flocci pendo.

SUPPLE-

SUPPLEMENTUM.

Praemissam dissertationem elapso abhinc anno elaboravi, quo tempore significatum morbum nondum toties ac nunc curaveram. Frequentius enim solito ultima hyeme saeviebat. Quaelibet pharmaca, et fomenta et clysmata, et injectiones; omnis apparatus et antiphlogisticus et stimulans, quaeque alia laudantur caetera, tentata incassum fuerant. Cognoveram quidem, quale esset vitium, et illius sedem et naturam; verum sanare non potis fui. Petii alios in consilia; stetit usitata ratio. Pereunt miserae, ut quidem solitis servari medicamentis usque nec poterant, neque possunt. Sane dudum jam, nunc vero vehementissime, animum egit cogitatio, oportere, ut morbus alioquin immedicabilis simpliciter ceu vitium loci percuretur. At quonam modo? Injectiones omnis speciei longe jam frustraque adhibebam. Nunc igitur utero intus unquen addere penicillis tento. Atque iteratis experimentis haud incertum est pharmacon; quippe horas intra viginti quatuor, quadragintave cedit corruptio a sanitate, quin quidem, quod integrum et immune ab noxa in vagina ac utero est, damnum sumat; sed id est molestiae, linimentum ex penicillo ipsum in uterum vix ingeri posse, hocque licet cum labore delato, adhaerens tamen tenacius unguen nihil remanere in cavo.

Sic frustrata exspectatione ars nova erat

excogitanda, nec quid agere minoris, quam ipsum uterum, quasi externam partem, chirurgico modo deligare, et turundas inferre pulvillosque. Atque id ego primus in schola technica *Viennensi* coram multis medicis et chirurgis et obstetricibus mira promtitudine et feliciter exegi. Duae puerperae hoc ritu tractatae, quamvis, ut aliae extinctae utero putrido, graviter decumberent, in salutem sunt restitutae; sine novo auxilio certe periturae.

Instrumentum illi scopo accommodatum, (quod non absone *Porte-plumaceaux* vocitabis) illiusque adhibendi modus ad finem hujus libri descripta habentur.

Separatio putridae labis in vagina et utero, partim ipsius etiam consumptio cervicis, intra horas triginta sex forma floccorum et laciniarum contigit, cum aperta remissione passionum, ac aegrarum ex suppuratione propere consecuta convalescentia. Aliae hac febre laborantes opportunis intervallis arnicam habuere, *spiritum Mindereri*, camphoram, corticem Peruvianum, moschum, et similia alia; ne tamen sanata unica. Illis horum omnium nihil cesserat, atqui servatae sunt. Exstant adhuc duo alia exempla, quae singulatim describere supervacuum foret, quia praestantia inventi et curae veritas alioquin per usum generaliter et apertius prodibit.

Posteaquam igitur lethalem morbum ad cognitionem pernotavi, maximopere gaudeo, subjicere simul opem potuisse me, qua levatur,

idque topice, dum nulla modo etiamnum in ventre congestio stagnat, sive alia exitia ex complicatione opprimunt.

At quandoque repente et inopinato infestant pericula, quidquod in ipso jam partu praesunt. Nec insolens est, uterum vaginamque horribiliter tamque subito putrescere, ut mors ne moram ferendi auxilii sinat. In ejusmodi calamitate aegris quandoque in brachiis cruribusque magnae maculae cupreo colore veniunt, circuli aut ovi forma, disparentes, redeuntes; quas ubicunque conspexeris, viscera et uterum a parte ventris affligi, corpusque septica obsideri labe certus esto. Tum vero morbus humana emolumenta excedit; nec intra fines naturae sanatio est. Id genus malorum non in nosocomiis dumtaxat occurrit, ut quidam opinantur; contra frequentissime et primum illud in foeminis offendi, quae aegrotae et in partus doloribus ex urbe ac oppidis in hospitium transportabantur. Nec parci semper ab eo proceris et opulentis credito. Interim miseria, sordida humidaque habitatione, pravo victu, immunditia et aegritudine mortales, quod supra monui, pesti huic reddi obnoxiores, id quidem nullam dubitationem habet.

HUMORIS IN ABDOMINE
FOEMINAE FEBRE PUERPERALI DEMORTUAE
COLLECTI
CHEMICA ANALYSIS.

Quippe experientia normae vice semper habenda est eorum, quae excogitaveris.

Galen.

Quaenam sit indoles, quae humoris principia, qui in febre puerperarum plerumque in abdomen distillat, in hoc varia est doctorum dissensio. Multi materiam pro lacte putant; alii nil nisi serum esse et lympham. Nos quidem alienum fluidum nunquam pro lacteo habuimus; attamen qui, quod singulare sit, inesse plane nihil credunt, valdopere etiam errare videntur.

De lacte soluto et vertente velut quidpiam eo contineri, multum verisimile est. Id saltem constat, saniem, quae in puerperis consedit, caseosi aliquid redolere et sapere magis, quam, quae in aliis vulgari enteritide extinctis occurit foeminis. Praeterea in puerperis citra omnem similitudinem major illius copia est, quam ut congruere cum praesenti inflammatione dicas.

Nihil certe obstat, ne materiam istam ceu principium lacteum reputemus. Interea vox ipsa admonet, non verum lac et regurgitatum ex mammis dici; at regurgitasse tamen necesse esset, quod nonnisi per mammas paratur et secernitur lac. Nihilominus liquidum illud gravidis ac puerperis penitus proprium videtur esse, seu copiam illius seu certum in principiis quodpiam momentum cogites, unde lympha et serum illis haud ita insunt, atque forent, si gravidae eae vel puerperae non essent. Deinceps, quia in rerum serie, ut dicitur, nihil fit per saltum; nequaquam probabile est, totam praeparationem omnemque apparatum, quem natura elaborationi lactis, secretionique tribuit, solum consistere in eo, ut humores, sine omni antecedente mutatione, deferendo simpliciter ad mammas, protinus lac inde idque sincerum sit effectura. Procul dubio quaedam in fluidis praecedere necesse est, unde appropinquanti metamorphosi fiant aptiora; quapropter hoc saltem sensu nomen *principii lactei* non erit incongruens plane.

Tametsi autem in sero et sanguine, qua brevi post lac fiant, praeparatio quaedam summopere sit necessaria; haec ipsa tamen antecedens commutatio corporaturae interdum nocens erit, quod ex ipsa ea variatione humoribus inter alia verisimiliter specialis quaedam proclivitas in exstillationem et colluviem inducatur.

Quumque aspectus doceat, puerperas, ex

quo colluvies uspiam insidet, subitam atque lethalem simul pati virium ruinam, etiamsi aliquando minimum sit materiae coeuntis; pridem hoc me in sententiam duxit, cum sero et lympha fluidi quoque nervosi, vel vitalis aurae (si quid demum simile inest in nobis) una deponi. Estne forsan, ut lympha, ceu lactis primum elementum, in gravidis ac puerperis aethere vitali magis abundet? Medicatrix ac reficiens virtus ex mammis exsucti lactis, vel detracti etiam, ut calescit adhuc a corpore, potatio, item manifestus ex matre vel nutrice in sugentis temperamentum et mores influxus, opinioni huic firmamento sunt.

Ne autem longius ex sola analogia et exteris notis disputetur, saniem inquisitioni chymicorum adjudicavi. Quapropter impermistam et sinceram materiam, qualem ex ventre puerperae, febre hac quinto extinctae die, decem post obitum horis exemeram, lagenis obsignatis percelebri *Jacquinio* transmisi, rogans, ut, quae chemia monstrasset, liberaliter communicaret. Quo studio, animique candore Ill. Vir satisfecerit, quam tuteque tentatus fuerit humor, videre ex translata epistola est. En responsa!

A. S.

„De fluido, quod aliquas post obitum horas ex puerpera collectum mihi ad chemica examina transmisisti, quae perscribenda habui, sequentia sunt:"

„Allatum fluidum volumine tres circiter aquae libras adaequavit, cui permultae laciniae et flocci pinquis, albae, nec pellucidae materiae innatabant. Mechanicam utramque efficientem partem per filtrum ex linteo discrevi, quo facilius redderetur singulare examen."

„Fluidum flavescens, quidquam turbidum, recenti sero simile. Odor nauseosus, seri fere lactis acescentis instar; sapor salsus. Purum igni expositum, et ad ebullitionem calefactum, maximam partem in duras et elasticas glebulas coiit. Aquae fervidae immissum in lactescentem cum illa et turbidum humorem mutabatur, acido nitroso instillato, haud coagulandum, cum frigida aqua vero ad omnes relationes, et sine inducta mutatione, commisceri patiens."

„*Tincturae Helianthi* nulla in hoc fluidum erat actio; verum diluto *syrupo* violarum viridis adscitus color est. Admixto *alcohole* liquor repente coagulatur, quod magis etiamnum a temperato aqua acido nitroso fit. Acidum *muriaticum*, purum, seu dilutum, idque sulphuris humorem modo turbat, accedente coagulatione a tempore et calore. Oleum vitrioli commune ad initia quidem connubium repudiabat, discretum in fundo stratum sistens; tum paullatim vero in albam, non pellucidam *gelatinam* mutata commixtio est. Ab aceto destillato vix ulla liquoris variatio, et leve modo turbamentum."

„*Alcalia* fixa et blanda, et *ammonia cau-*

stica fluidum initio turbare magis, quam condensare videbantur. Miscela ubique clara rediit; descendente post viginti quatuor horas pellucida valde et tenaci *gelatina*.“

„Instillato liquamine terrae calcareae leve et albidum sequebatur crassamentum; idem a plumbo nitroso, probabili indicio, fluido liberum *alcali* inesse.“

„Calida solutio *mercurii nitrosi* perfectum in *gelatinam* roseam coagulum formavit; acidi *phosphorici* signum!“

„Fluidum per se solum ex retorta vitrea, aucto sensim igne, destillatum aquam insipidam nauseosi odoris, *spiritum* volatilem *alcalinum*, mitis *ammoniae* quidquam sicca forma, et pauxillum olei *empyreumatici* largiebatur. Residuum particula carbonis fuit, difficulter in cinerem comburendi, qui (si sapori libet credere) pauco dumtaxat sale constat.“

„Sibimet ipsi in laboratorio relictum fluidum temperatura + 8. R. circiter, elapsis octo diebus mutari sensim, turbidum fieri, et deponere materiam, quae describendae mox *substantiae* simillima erat; versus decimum et quintum diem nec citius coepit putrescere.“

„Tunica membranacea mox ab initio ex hoc fluido per filtrum separata, libero aëre in corneam soliditatem exsiccabatur, octavo jam die ad putredinem vertens. In mortario *porcellano* cum aqua frigida trita perfecteque resoluta, aequali mitioris *alcali* admixta copia, intra pauca minuta sese in pellucidum et tenax glu-

ten contraxit. Verum *alcali* caustico mista, et cum salis puro acido digestioni exposita, in solutionem fusco colore transiit."

„Tunica haec per se singulariter ex retorta vitrea, aucto propemodo igne, destillata, eadem, quae ipsum fluidum, dedit producta, sed varia proportione, minori nempe aquae, majorique olei et carbonis in residuo copia."

„Quibus experimentis, (quatenus analysis humorum animalium explicat) intelligimus, fluidum illud nec cum lacte convenire, nec cum aliqua illius constituente parte; sed genuinam, et secundum chemicas proprietates simillimam lympham sero esse. Quodsi porro allata a *Grasmaiero* signa puris vera sunt, quod ipsemet firmare per tentamina nondum potui, commixtum pus habuit lympha, ut contingere in omni phlogosi asserunt, quae intensior sit."

„Quod demum institutos conatus in tunicam attinet, licet pauci sint, ii prope illorum favent opinioni, qui lardaceam crustam hanc perinde ac omnem phlogisticam esse talis indolis censent, qualem pars fibrosa sanguinis habet, admixto tamen hoc in casu pauxillo puris."

D. in *Horto Botanico* 1. Decembris 1792.

Jamque *Hermstaedtius* collectam in puerperis saniem chemia tractaverat, nanctus inde saccharum, quod in *Jacquinii* experimentis abfuit. Fortene certis modo sub conditionibus praesto est, ubi inter alia, tenente morbo, lac in mammis evanuit? Vel adest illud,

lacte ante morbum ad mammas delato? Vel etiam ex his quidquam retrogresso? Haec quidem pleraque ad medendum parum faciunt, quod alioqui lac ciere in mammas, quidve inest, qua licet, satagamus retinere; nihilominus perdigna attentione res est, ut taedeat me, non reminisci, ne mulieri, ex qua materiam sumpsimus, influxerit vere, an fuerit repressum. Id autem assevero, in cadavere nihil phlogoseos, neque notam suppurationis topicae adfuisse. Attamen, quum juxta *Grasmaieri* experimenta in hoc fluido quidpiam puris latebat; illorum inde sententiae, qui cum magno morborum observatore *Haenio* etiam sine ulcere gigni in corpore pus affirmant, novum quodammodo pondus advenit.

NOTITIAE
EX SCHOLA OBSTETRICIA,
CUM
DESCRIPTIONE INVENTI INSTRUMENTI AD DELIGANDUM UTERUM.

Gravidarum puerperarumque elapso anno a mense Septembris 1791 usque ad Septembrem 1792 in nosocomio susceptarum mille et quindecim numerus est. Inter editos partus duodecim gemellorum, octo praevia facie, quatuordecim conversis ad marginem clunibus, et novem agripparum. In octonis propter malum situm necessaria versio fuit. Ex infantibus ea elatis quinque erant vivi, mortui tres; horum unus jam putrefactus eximebatur; binis aliis probabiliter sub labore extinctis, bona caeteroqui valitudine matrum. Septem foetus expediebamus forcipe, ex quibus quinque prodierunt cum vita. E puerperis unam gangraena uteri a molesto partu abstulit. In tribus infans debuit concidi, reservatis genitricibus, quarum alia excluso partu haud potis continendae urinae erat. Hoc morbo sex et amplius septimanas degebat in nosocomio, variis tentata remediis. Nullibi in

vesica inque confiniis aperto vitio; nec tamen urina consueto ex meatu videbatur fluere.

Pertaesa morae, valida caeterum puella cum errore suo institutum reliquit. Elapsis prope septem mensibus ob lacteum ac tardius resolutum in mamma nodum me adiit. Qua occasione dixit, quatuor mensibus vexatam urina, ideoque coactam se fuisse, abdicare servitia. Postea, dum conducto lecto apud anum degeret, nec labem posset abscondere, mulierem sibi respondisse: Quidni? Nonne plures jam mingere in lintea suetas virgines habui? sibi protinus adhibituram medicinam esse. Tum proxima die et subsequis griseum et nauseosum valde pulverem, aqua dilutum, intrusisse faucibus, ab eoque tempore liberam se ab omni fluxu, imo a duobus jam mensibus sanam et hilarem denuo in servitiis esse. Quae fuerit medicina, non potui experiri.

En partus et mortalitatem.

Summa natorum 955.

Ex his praematuri tum maturi, sed langide vivi; demortui vel putridi jam, item immaturi foetus et abortus 60.

Defunctae puerperae 10.

Inter decem illas mortuas quatuor convulsionibus peribant. Unius historiam priori loco scripsi. Tres aliae ex aqua in pectore intra partum moriebantur spasmis. Quarta sub unica, atque parva quidem distentione omnimodo ex *atonia* uteri occidit. In ea post tardum nec facilem laborem non in contractione ute-

rus, sed quasi collapsa et vacuata subito vesica inveniebatur. Tribus mors ex visceris putredine venit. Harum duae miliare exanthema habebant. In nona puerpera causam mortis supra diximus. Ultima ob commissos in victu errores in morbum recidit, quo decima et tertia die ex recessu lactis in pulmones tollebatur.

Febris puerperarum ad finem Januarii et tribus mensibus post non insolens, sed rarior tamen erat, quam anno priori. Arreptae omnes puerperae, ut secundo libro indicavi, antimonio sunt persanatae; praeter memoratam ultimam, atque tres alias cum putrido utero, in quibus, quod febris corruptissimi loci symptoma esset, ideoque omnis curae incapax, praedicta mox ab morbi ingressu morte, medicamentum omittebatur.

Hoc anno quinquaginta tirones obstetricii, et quadraginta super unam obstetrices in schola habitarunt, juxta complures alios, qui interesse quotidie institutioni solent.

Hac occasione, quod saepius jamjam ab extraneis amicis de solitis mihi in schola potissimum instrumentis rogatus fuerim, quum tam varie circa rem ad se perscriberetur, breviter quidem, sed lubenter respondeo. Forceps, qua prae reliquis uti consuesco, illi D. *Leake* est simillima, juxta quod aliquanto brevior, et ablatus tertius vectis sit. In nostra forcipe superius nempe brachium infimo incumbit modo, neque, uti hoc, in manubrii angulo laminam articuli habet. Volsella ad eximendum cranium

longitudine decem pollices metitur. A junctura brachiorum usque ad finem utriusque manubrii, infra, ubi in annulum desinunt, sex circiter cum dimidio pollices, et ad extrema cochlearium, quae in facie concava dentes habent, pollices sunt duo cum semisse. Illae extremitates prope, ut in volsella ad capiendum particulas sacchari solet, olivari excurrunt forma; videlicet exterius convexa, intus concava est. In alterius cava facie quaterni, in ea alius pyramidales trini trochleari flexu inserti, ac dispositi ita dentes sunt, ut concluso instrumento toti tegantur, sed aperto nonnihil cum eminentia prostent.

Syrinx ad repurganda muliebria a vulgari obstetricibus usitato, medenti pariter atque aegris permolesto tubo, in hoc distat, ut justo nec major sit nec ponderosior, neque fistula syphonem intret per trochleam. Videlicet non firmum cum reliqua machina complexum habet, sed praefixa similiter est, ut, modo consueti ad clysmata syphonis, sicut in hoc tubulus ante in anum, ita in illo fistula induci in genitale possit. Qua constructione ad iteratam quamque tubi repletionem educere ex utero et vagina fistulam haud est necesse. Remanet quotacunque opportuna injectio sit. Atque profecto, qui id curant, ut non in vaginas modo, sed, ubi expedit, in ipsos uteros injiciant, ii certe levem emendationem tantisper aestimabunt. Id saltem puto, hac mutatione plus procurari, quam multis machinationibus aliis, in quibus juxta

patientiam et dexteritatem fabri nihil plerumque admirabile est.

Ab aliquo tempore uterum ferme, sicut alia corporis externa membra, deligare coepi. Jam olim equidem ulcera illius injectionibus tractabam, et illato penicillis unguine; verum ad ingerendum pulvillos (*Plumacceaux* vocant) aut turandas nova adinvenienda machina erat, quae curvata, consuetae ad uterum syphonis fistulae non multum absimils, sed parumper longior modo est. Per hanc ducti bini, trini vel etiam plures torti ex filis sericis, longique ulnam circa funiculi sunt. Syringem in parte suprema contegit operculum, intus in superficie firmum annulum habens, cui sericei funes, unitis nodo inter se finibus, affiguntur. In operculi centro aptum recipiendo syringis epistomio foramen cernis. Hac ex apertura liquoris primo per immissam in genitale fistulam injectiones cum syringe fiunt. In cujusvis funiculi altero fine appensus est pulvillus; quorum singuli ut in uteri cavitatem commigrent, medicus una manu retinens fistulam, altera oleo aut pinguedine uncti antea et in annulo haerentis usque funis solutam ab nodo nunc extremitatem, qua potest, moderate attrahit. Sic tractus in uterum erit pulvillus. Simillimo modo reliqua etiam pertingunt fila. Tum abstracta caute super tenues funes fistula, hi glutine emplastri ad proximam curam usque aegrae inquini affiguntur cruribusve. Caeterum oportere, ori ipsique utero adaptare eos, utero nempe non gravido

graciles, at brevi enixo, pleniores inducere pulvillos, satis alioqui scitur. Hinc opportunum est, duos habere consimiles tubos, longiorem unum crassioremque; tum, qui paullo tenuior sit, alium, quem optime fabricari ex argento facies.

Nihil adjiciam de mediocris inventi usu et utilitate, quum per se pateat, permulta muliebrium vitia: indurationes, malignas excrescentias, et ulcera, graves haemorrhagias, item alias fluxiones et insanabiles hucusque affectus vel sanari hoc modo, vel certe mulceri posse. Deinceps amplificatum inde chirurgiae imperium artisque obstetriciae factus cum illa medicinae matre intimior etiamnum nexus et consensus est.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

NATU-

NATURALIS

MEDICINAE

OBSTETRICIAE

VOLUMEN SECUNDUM.

PRAEFATIO.

En promissam de febre puerperali commentationem! Quod varium opus, quamvis mediocriter me perfecisse gaudeam, nullo tamen pretio resumpturus ad laborem essem. Tametsi enim quiscunque alius promtius expedivisset, ego certe grave illud et longinquum expertus sum, proposito fine, morbum longe spectatum quidem, sed varia forma et incertissima mutabilitate grassantem ita exponere, ut a similitudine communium febrium, tum a se ipso ferme, quatenus discrepat, discerni, ac constantius demum forte percurari possit.

In quo ne quis reprehendat, paucas me easque generales, at perpetuas morbi phases solertius, quam singulares illius mores

O 2

cum incertos tum plurimum variabiles fuisse complexum. Nec fieri alias amplitudo rei sivit; imo singula minutatim expromere, superfluum ac alienum putavi, certus quippe, quorum maxime interest, iis amplissimas notiones paucis verbis, quandoque vel simplici significari *epitheto*, sufficere, plurimumque probari.

Multa quidem, quod minus ad usum spectent, praetermisi; quaedam tamen alia, licet ipsemet ea leviora censeam, omnino non attingere non potui. Namque natura, donec in efficiendis operibus suis, quas posuit sibi, leges celat, acquiescere in eo, ut simpliciter sciamus, quid fiat, atque caetera praeteriri, consultissimum ducimus.

Antequam vero ad excelsam prudentiam illam ascensum fuerit, hac licentia utimur, ut res, nonnisi effectubus dignoscendas, ad quoddam conferamus principium, quo illas aliquantum definire, quodque magis expedit, probabilius inde et distinctius, quid fieri oporteat, possimus concludere; quin tamen indicare id ipsum principium gestiamus, neve naturam illius gloriemur pernoscere. Nos quippe, inter creata mundi, le-

vis et caduca pars, et ad majestatem naturae humilissima praediti facultate, nihil unquam ex certo de Materia, illiusque viribus, neque de ipsis corporaturis quidquam hac ipsa ex materia intelligimus; sed quidcunque juxta imaginamur, nostri modo ipsissimum est opus: incerta scilicet, ut persentiscimus, omnisque ex objecto momenti vacua, quumque mille steterit annis, si universum aevi tempus intuemur, tamen nonnisi brevis mentium mutabilitas, opinionumque perplexio.

Atqui prae caeteris vix aliud notionum humanarum genus, aetate nostra, tam luxuriose ex imaginatione angitur, ac *medicina polemica*, jam pridem frequentia et novitate idearum insignis, quae tamen, post suas singula vices, sese interficiunt ipsae; quia omnis inconstantiae hoc communiter stigma habent, ut, si non possint demonstrari, saltem neque refelli queant.

Attamen diversa quantumper pharmacis esse sors ipsisque curationibus videtur. Quod enim verum falsumque iis, salubre aut nocivum inest, experientia revelatur. Fida quippe temporis comes manet expe-

rientia, cumque illa, juxta influxus climatum, variosque hominum mores et leges, tardius velociusve, et ars et cognitio et scientia prosperant.

Atque mihi etiam felicitas evenit, ut in ampla elegantis literatique orbis plaga, clarissimorum virorum usus institutione et familiaritate, ipsos ad aegrorum permultos lectos mature senserim, obnitente quamvis *falsorum medicorum* tumultu et industria, sanationes aequabiliter, ac simili prope eventu cedere, dummodo medicus morbo modeste prius applicare suum judicium, quam imperiose suae opinioni submittere morbum studeat. Atque ad hanc rationem, in tanta systematum multitudine, qui olim et nunc inclaruere, omnes medici sese accomodarunt. Verumtamen, quum ex variis perpetuo in medicina locis in diversas itur vias, vix unus unquam esse doctorum occursus poterit.

Qua observatione nitens et exemplo naturae, morbos aggredi, et relicta omni in qualemcunque sectam religione, graviditatem etiam, partus et puerperia, morbosque illuc pertinentes, intueri oculis meismet ausus sum. Aequa licentia eodem animique

candore puerperarum febres tractavi, itidemque descripsi. Ac siquidem, ut verum fatear, aliquam voluptatem capio, id potissimum ex eo est, nihil unquam apud nos delitescere in obscuro; sed quaecunque conamur, agimusque, artis peritorum atque aliorum testium patere visui; ut nemo factis abroget fidem, aut, tametsi aliter de morbo sentit, nostram medendi curam propterea, quasi optatissimo careat eventu, sit reprensaturus. Accedit, plurima, quae de puerperarum febre tradidi, a principibus in doctrina viris passim corroborari, ut absque consilio ac opera mea, quin circa cogitaverim, hic morbi universalis historia, et exacta descriptio sponte prodeat.

Quod vero morbi *prophylaxin,* quamque adhibui, tractandi curam attinet, procul abest, ut quid enixius commendem: si recte sentio, indicasse sufficit; sed hoc ipsum ferme reprobo mihi. Quanquam enim perfacile sit, malo insanabili consulere, novaque praetentare subsidia, probumque virum deceat atque ornet, adversus noxia ingenue obluctari; difficile nihilominus est, in ambiguis consiliis et fluctuantibus ita rebus distinctam artem vel peculiare remedium

collaudare prae caeteris; quia metus tenet, ne alia satius forte competentia negligantur, id quod nolim hercle; quandoquidem me hac quoque scriptione mulieribus nonnihil profuisse exoptem, imo confidam.

Ex Instituto technico obstetricio, M. Augusti 1806.

LIBER QUARTUS.

TRACTATUS
DE
FEBRE PUERPERARUM.

Distinguere autem oportet in singulis aegritudinibus primum quidem, si sine loci passione sit febris, vel ex humorum putredine, vel quia solus spiritus sit alteratus. Deinde, si membrum febris sit causa, quaenam sit ejus dispositio. Ubi vero horum notitiam exercitatione comprehenderis, tum eorum omnium mixtionem invenies.

GALEN.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

Introductio.

Donec morborum naturam ex praemonstratis principiis explicare hominis ingenium superat, uti sensubus liberaeque menti obveniunt, ita in illorum intuitu ac simplicissima descriptione morari oportebit.

Vix in quacunque alia aegritudine, ejusque

determinanda natura et medendi more major est medicorum discordia, quam in hoc ipso, quem nunc scripturus sum, morbo. Ac licet librorum ingens sit farrago, ne tamen ulla adhuc, quae praeter varias perniciei historias, curatius quoque afflictionis causas et indolem exponeret, nobis commentatio venit.

Nec recondita ratio est, quare permulta, quae contrectatione ferme atque oculis attinguntur, tum facere morbi ad notitiam possunt, hucusque sine animadversione praeterierint. Mulierum quippe in vulgari vita scrutari infirmitates non ex facili, quidquod perrarum est. Multae puerperae occumbunt, propterea modo, quia medicus, haud sine sua ipsius culpa, plerumque in obstetricem confidere, vel servam custodem debet. Insolitum etiam est, complures simul aegras in puerperio viris demandari, qui praeterquam, quod rerum cum ad perquirendos, tum recte aestimandos morbos necessariarum periti sint, posthabita veritati bonoque mercede et gloriatione, otium, et in eo delectationem habeant, ut graves apparitiones sine antecepta opinione identidem scrutentur, nec omisso pro scientia commodo elabi sinant. Si quidem enim vulgares obstetricantes magis innoxii versarentur, prodito partu puerperae curam ultra recusando; serpit tamen deterior ex aliis pernicies: hi scilicet absque omni chirurgiae, artis obstetriciaeque habilitate muliebres infirmitates occupant, quae sine notione et usu illarum artium ne quidem possunt discerni.

Frequentissima morbos puerperarum, qualescunque solent evenire, observandi tractandique vix alii ante me oblata occasio, tum multorum annorum in hac opera exercitium, item adjuncta tot tironum solertia et aviditas id percommode effecerunt, ut nulla praetermissa opportunitate, qua morbus illiusque medicatio ad noscendum clarius eluceret, tales ego alienitates prae caeteris curate rimari, praeter solitum inquirere, itidemque tentare potuerim. Quae igitur ex permultis exemplis conatubusque comperta ac probata habeam, his locis candide aperio.

CAPUT SECUNDUM.

In praecipuas opiniones de febris puerperalis indole et cura brevis conspectus.

Quae plerorumque auctorum circa febrem puerperarum sententiae sint, illiusque tractandae ritus, perscribere historiam, taediosum ac superfluum foret. Id potius refert, ut sciamus, quam *puerperalem febrem* vocitant, eam ipsam ab vetustissimis medicis dudum pro morbo singulari periculosissimoque habitam fuisse, illamque a *febre protracta lactea* omnino discrepare, ut, ubicunque invadit, peculiarem a puerperio adsciscat formam, adeoque et medelam postulet. Quapropter, quae antiquitus de hoc morbo exstiterint opiniones, artesque curationis, hoc circa strictim habeatur mentio.

Miramur profecto cum quadam reverentia,

dum in curandis ejusmodi febribus sumus, si, defunctis aegris, morbi cursum, quodque in cadavere reperitur, cum oraculis conferimus, quae ante bis mille et ultra annos de eadem febre verissime fatus *Hippocrates* est. Certe, si omni saeculo in *systematicorum* tanta vi modo unicus morborum similis observator advenisset, quot et quanta in humanum genus et in animantium omnem vitam capta emolumenta forent! Illius liber *de morbis mulierum* plerasque species complectitur, quibus febris puerperarum obvenire *sporadice* solet. In libro *de morbis popularibus* febris hujus *epidemice* grassantis consignatissima etiam exempla sunt, ac si pone aegrarum lectos, et ad tabulam anatomicam scripta ex nuper sectis corporibus essent. Jam tunc febris saevitia eadem, idemque discrimen fuit: correptae, partim nomine vocatae, mulieres prope omnes interierunt. „*Et insuper*, ait divus senex, *periclitabitur*, *ne livida fiat sicut plumbum*, *et aquam intercutem incidat; et umbilicus extabit ipsi ab uteris elevatus*, *et circa circum nigrior erit. Et ubi haec facta fuerint*, *fieri non potest*, *ut mulier superstes maneat. Pereunt autem aliae alio tempore, pro corporis et affectionis ratione; verum unam et vicesimam diem non excedunt*, *id quod plerumque sic contingit.*"

Sed utut vera sint, quae *Hippocrates* de febris habitu externo monet; ita etiam recte circa naturam morbi et originem sentiit; ubique saltem de utero simul, et de lochiis curaverat.

In quibusdam prioris aevi operibus morbi, olim jam descripti notatissimique, nova rursus mentio fit, sub voce: *Febris puerperarum malignae miliaris*, tunc epidemice dominantis, et magna inter puerperas strage. Ex quo autem disputatae sententiae nunquam convenere, miliare febris exanthema, ne *criticum* sit vel *symptomaticum*, numque ex morbo ipso prodeat, vel referendum sit ad accidentias; accuratior illius ad aegrarum lectos omittebatur observatio, neque secta fuere cadavera. Quae tamen negligentia aevo potius imputari, quam poni inter errores artis debet.

Saeculo elapso plures Angli, posteaque Germanorum etiam aliqui medici periculosum morbum solertius indagarunt. Attamen in finienda illius natura et instituenda medicatione mirifice variant scriptores, ut vix diversissimas opiniones ad examen unius ejusque vitii referas. Alii nempe morbum pure *phlogisticum* dicunt, ex *topica* intestinorum, omenti inprimis peritonaeique inflammatione; venaesectionem una cum reliqua *antiphlogistica* cura vehementer commendantes; pars pro *typho* maligno habuerunt, cum incedente variis locis phlegmone, sed per casum modo. Hi spem sanationis *antisepticis* et roborantibus fovent. Quidam e diverso cum ad praepediendam tum curandam febrem laudant *emetica*. Sunt, qui mannam et sal amarum celebrent; pars frigidum regimen, quidquod aegrarum libero in aëre commorationem probant; alii demum, quibus propemodo

nos accedimus, juxta rectam temperiem *diaphoretica* et *antimonialia* colunt.

In qua dissensione admiramur, quod ii nimirum, qui aliquando conspexisse morbum scriptis suis comprobant, licet quoad naturam ejus aptissimamque curationem, varient, febrem tamen intricatam quam maxime et infensam uno ore significent; alios contra, legendo vel multo magis ex imaginatione illius scientiam tenentes, vel morbo tametsi ab iis tractato, ne tamen unquam cum intentione aspecto, non obstante inter puerperas suas frequentissima nece, non adeo periculosam asserant, quidquod ostentationis causa, quam ubique fuit, atque perstat, molliore indole praedicent.

Quaenam ambiguae taxationis, atque dissensus, quae incertae tractationis subest ratio? Cur quaevis ferme diligentia aliquando felix, in aliis plurimisque exemplis inefficax, imo nocens reperitur? Missa animadversione, ipsam saepe naturam potentius opitulari, quam nocendo par sit industria; id saltem a quovis probo et erudito medico licet exspectare, quacunque passionum specie formaque apparuerit aegrotatio, eandem illam fida imagine a se etiam fuisse descriptam.

Verisimile est autem, id a quoque praetermissum, quod ipse non cognoverat: a nullo id, quod non viderat, fictum.

CELS.

Verum tamen non a symptomatibus solum et forma febris, sed ab ipsa diversitate illius

naturae, colligenda ratio est, quare nullus fere medicinae modus excogitetur, qui, si non profuit interdum, ubique tamen non vehementer nocuerit: lethalitate nempe morbi nondum absolute posita. Qualis autem sanandi cura, quove ea pacto innoxia, salubris, ac non raro sola efficax probetur, id modo prudens medicus et doctus per experimenta cernit.

Ne autem tam varie incedentis et continuo obscurae febris longius imperfectissima notitia sit, liceat in illam historico potius genere sermonis, quam dogmatico, animadvertere. Namque ad usus ipsos in communi vita et in omni arte haec maxima est utilitas, ut de factis et opinionibus plana et simplex decurrat narratio.

CAPUT TERTIUM.

In puerperarum sanitatem praemonita.

Cuivis vitae humanae periodo, in qua novae et insuetae, longius breviusve, duraturae animales functiones evolvuntur, propria quaedam et singularis est habitudo. Hujuscemodi vitae inconstantia, qua diversa mutationem mutatio excipit, in muliebri sexu magis multo, quam in viris contingit. Menstrualis primum puella; tum nubilis fit, tum concipit, gerit utero, parit et salutata mater est. Atque in plurimis foeminis ea obtinet in his epochis varietas et alternatio, ut non una prorsus in singula statione, quae ante fuit, eritque iterum post, vitae et sanitatis conditio sit. Insontes ta-

men hae plerisque veniunt vicissitudines, ac rarius multo occuparent cum molestia, nisi pridem infensa vis, mores et vitia, opulentiae item vel egestatis exsuperantia, infinitarum corporis animique aegritudinum fons et occasio exstitissent.

Atque inter omnia muliebris sanitatis stadia et momenta, nobilitate functionum, earumque peculiaribus, in evolutione et progressu suo, modis, deinceps ob manifestum in omne corpus influxum, haud aliud magis eminet, quam partus epocha puerperiique. Insignes prae caeteris, quae partum efficiunt, functiones exstant, utpote solae, quibus, integra etiam valitudine, modicum doloris sensum, assectatorem quasi et necessarium, inesse natura voluit.

Hocque vitae muliebris breve quidem spatium molestiarum ac doloris naturalem quandam sistit periodum, facili tamen plerumque tolerantia, quod illam in perfectionem omnis vitae muliebris et ad implendum illius processum ipsa injunxerit rerum creatrix natura. Unde omnis foemina, quod parere propemodo inter dolores debeat, faciles sibi indulgentias mollissimamque curam jure vindicet. Neque tamen ex hoc aegrotare illam dicimus. Simplex enim pariendi actus, quodsi inepto regimine, aut temeraria, utque ex lucri cupidine solet, intempesta negotiatione a consuetudine naturae reclinatur, sicque functionum omnium, quae maxime naturalis est, parturitio, calamitatum perpetua causa redditur; hominum istuc, haud-

quaquam

quaquam naturae infaustum opus esto. Utique nonnisi naturalem functionem partus sistit; qualis plerumque foret etiam, ni genus vitae et modus obesset, quo tractant et angunt parientes. Ita quoque res cum subsequa habet periodo, generalia et propria munera puerperae, recentis nempe matris, complectente.

Qua in valitudine, licet universa foeminae natura, ad tempus certe, solitis viribus deficiat nonnihil, ac deforis citius offendi patiens sit; haud tamen propterea veram aegrotationem incusamus. Partus enim praegressus, utcunque mollis fuerit, quaeque illum comitantur necessitates: functionum ad lac parandum ortus et explicatio, fluxus lochiorum, largior exhalatio cutis, et similia alia corporaturae utique vix robur addent. Sed faciunt tamen ad moderandam sanitatem puerperae constitutionemque, qualis congrua est: dum videlicet pleraque satis intra fines versantur, ne quid abire in morbum minetur.

Istaque ad aliquot dies protracta defatigatio cunctis animantibus matribus indicta esse a Numine videtur; propterea forsan, ut recentis matris in nudam prolem inseparabiles amplexus sint? At in hominis genitrice vanum ferme hoc intentum natura habuit. Taedet enim certe, non esse, ut ferarum pulli ob maternum amorem proli hominis invideant!

Puerpera itaque, nisi vere affligit morbus, nequaquam in tractatione pro aegra habeatur, quod tamen fieri quotidie cernimus. Plurima

quippe in puerperio significata citra verum aestimantur. Ita accidit, ut inepto consilio, et adversis remediis ex methodo, ut superbiunt, in matrem et infantem allicíantur morbi, in quos, praetermissa solum absurda curatione, ne quidem pronitas adfuit.

Caeterum, ne quis dicere me putet, puerperarum quoad victum aliasque, quibus laedi possunt, deforis et intus potentias, nullam habendam rationem esse ac prospicientiam; procul abest, ut potius congruum vitae modum summopere commendem. Hic enim nonnisi de rerum extremis, et de mutabili cura puerperarum ad praeconceptas opiniones, tum de illarum ob doctam inscientiam vitiosa tractatione sermonem facimus.

CAPUT QUARTUM.

De causis febrem puerperalem excitantibus summatim spectatis.

Quanquam recens puerperii periodus singularem, at rectum caeteroqui sanitatis statum sistat, fatendum nihilominus est, puerperam eo tempore, quam reliquis vitae stadiis, in multifarias infirmitates procliviorem esse, utque functionibus novis implicita et peculiaris ipsi vita est, ita plures quoque, easque inordinatas et puerperio adscriptas pati mutationes. Igitur vel ex hoc vulgares, in alios passim mortales et in vitae universitatem illabentes morbi, si forte puerperam ingruunt, in

hac cum variis puerperio adtributis rebus et momentis necessario confunduntur, eamque ob causam, ut diversimode sunt complicati, distincte internosci etiam et percurari debent.

Quarum veritatum, licet ipsa eas natura monstret, neglecta aestimatione evenit, ut singularis morborum puerperalium origo et cursus et exitus, ad ultimum, cujusvis vulgaris morbi, simul in puerperam incidit, proprius, quem in his insumit retinetque, character, usque posthabitus fuerit, vel spretus omnino.

Ac quamquam haud jucunda multum ex se genitricum sors sit, ne prospera quidem valitudine, eoque magis, adversa; est tamen, ut invisa earum alioqui fortuna deforis etiamnum miserabilior efficiatur. Profecto, ne ullum superat aquae ignisve tormentum medicum, quod non tentatum in miseris diversa arte fuerit. Olim, atque longissima annorum serie, omnicuilibet novae matri sudando vix non pereundum; alia tempestate ne ipsum tutabantur contra frigus. Aliquando primis a partu diebus neque enema, multoque minus quoddam alvum movens lene medicamen licebat; paullo post manna et *mirabili sale* bonis succis expurgabantur ad ultimas guttas. Non multis abhinc annis vix parere gravidas siverunt, nisi ad aliquot uncias educto ante per venam sanguine; nostris contra diebus multo minore copia una cum sanguine protinus emanare animum horrent. Illic puerperas victu et generoso potu exurunt propemodo; hic inerti herbarum *infuso*, et

aquosa emulsione vitam difficulter consistere cum fame sinunt. Quo rudi et tumultuario more paucissimis salubre contingit puerperium. Unde inter tricenas aegrotantes vix duas excipito, quibus, nisi ubi epidemice regnat, non ex acceptis erroribus adsciatur febris. Caeterum pleraque similiter illata mala vulgus deducere a partu solet, utcunque naturalis fuerit, nec difficilis ferme. Atqui protracta tamen, quin et aspera aliquantum partura, vitata modo ministrandi cruditate, raro molestias, ne veras indignationes concitat, praecipue si amicum tempus est, neque morbus popularis, aut incongruens ante omnia in graviditate et puerperio regimen fuerit.

Frequentissima morborum puerperalium, dum certe singulatim occurrunt, occasio ab intemperie aëris, a subita illius mutatione, et contracto frigore oritur; item a *transpiratione*, aliisque excretionibus retropulsis; a ciborum potusque immoderatione, nec raro a tenui victu, ex vegetabilibus inprimis; ab extenuante potatione, ab infirmantûm purgantiumque abusu, denique ab omni vehementi, sive subito, sive longius opprimente motu animi. Verum uberrimus metu molestiaque gravium fons malorum turbata lactatio est: mammarum omnis totaque repulsa, vitioso insuper adveniente regimine; aut illarum sera nimis admotio. Eaque prorsus vitia et errores vix aliquando doloribus, et certa febre vacant. Nihilosecius mortalibus cum ipsa hac febris specie mirabi-

lis familiaritas est, ut eam habere pro necessaria et naturali socia omnis puerperii ament, ac velut invitandam esse ex cultu credant. At lactea omnis ferme febris accidentalis modo, et saepissime ab inconcinna cura verus morbus est. Caeterum puerperas nullis quanquam commissis in tractatione et victu erroribus, dominante praesertim epidemia, aut contracta ante, ipsa sub graviditate, noxa, corripi quodam morbo posse, minime infitiamur.

CAPUT QUINTUM.

Ulterior explicatio febris puerperalis.

Nemo, antequam fuerit statutum, quid sub febre generatim intelligatur, puerperarum febris a nobis rectam finitionem opperietur; ut nunc sufficiat, tractandi morbi, quem febrem puerperalem dicunt, ante omnia atterere historiam, tum quaenam vulgaris illius habeatur idea, obiter pronunciare. Conveniendum enim ubique ante disceptationem est, quaenam nominibus tribuatur significatio. Ac quoniam, quod ore profertur, non tam residere in fictione quam existere in re ponimus, vocis conceptio versari in factis potius, quam in vanitate soni debet.

Quanquam id sero quidem. Praestat autem, ut nunc non graculi aut corvi more, de vocibus decertes, sed ipsi rerum veritati des operam.

GALEN.

Ex quo primum nomen *febris puerperalis* innotuit: ubi foemina in puerperio ex acuta va-

ria febre moritur, et secto cadavere in ventris praesertim, vel etiam pectoris cavo, aut alibi colluvies aquosa et aemula puris offenditur; communi prudentûm medicorum sermone extincta febre puerperali dicitur. Id equidem confirmatum est. Item omnes, ab auctoribus vocabulo *febris puerperalis* ad hanc diem designatas febres, eodem se habuisse modo, ejusque ipsius speciei affectiones fuisse, etiam hoc compertissimum est.

Febris itaque, aut quaelibet puerperam invadens aegritudo, sub qua peculiaris hujusmodi colluvies occupat, sive potest, *Febris puerperarum* est.

Constat vero, quamlibet febrem nonnihil extractam, inprimis quodam in systemate uteri longius morante stimulo, ad inducendum similem morbum idoneam esse, reque vera saepe inducere, quiscunque passionum, unde febrem nominas, caeterum in perspicuo apparatus fuerit.

Ubicunque igitur, quod saepe assolet, ejusmodi infensa febris haud satis in tempore judicari et feliciter potest; malo conatu modoque ponere humorem tendit, et copia et materia ita comparatum, ut congestio in nemine fieri, nisi in puerpera queat.

Atque licet non omnis in novam matrem incidens valitudo ac febris ab initio jamjam, et ex se febrem puerperalem proprie constituat, potest saltem in eam abire, quidquod ni ocyus sanetur, aut justo mulceatur, debet.

Quae quidem paradoxa multis sententia ab innumerabilibus exemplis sponte promitur. Atqui ex totidem iisque probis observatis aliud momentum grave ex febris ipsa natura prodiit: summum quippe in hoc morbo esse discrimen, ne *idiopathica* febris sit, *an deuteropathica.*

Quarum postrema ab omni morbo potest oriri, qui puerperas passim, atque alias foeminas quacunque causa corripit; ut tamen in illis, ob facilem in febrem puerperarum metamorphosin, periculosius decurrat, quam in aliis, extra puerperium. Illae enim non tam ex morbo primo, et ab ortu fortasse minus exitioso perimuntur, quam ex morbidis, quatenus puerperae sunt, per febrem in se inductis et induci aptis modificationibus. Interim etiam hoc docet experientia, generalium affectionum in febres puerperales descensum non quovis tempore, nec omni sub climate, nec in quavis puerpera similiter fieri, eaque velocitate.

Quandoque autem morbi in puerperia cadunt, jam ipsa ab origine hoc praediti genio, ut sine praegressis intercurrentium febrium notis, neve quod deforis accesserit occasio, maximum subito ac nonnisi puerperis infestum discrimen prodant.

Qua in re potissimum ad duo momenta respicimus: primo ad singularem *malignitatem*, quae morbum efficit; tum ad ipsum *corpus* suscipiendae perniciei peculiariter, quin imo unice idoneum. Quidquod ipsi contagio harum febrium, ut multis exemplis, ne dicam experi-

mentis, calleo, in alias foeminas, neque in gravidas ullum est imperium. Corripit nempe illas, sive ulterius manifestiusque evolvitur nonnisi post editum foetum morbus.

Atque pessimae tales febres sub diversis, nec aptis semper in proditionem insidiis etiam *endemice* grassantur. Utplurimum vero illarum epidemicus furor est; quin tamen, ut reliquae pestes, medicorum curas, imo ne suspiciones vulgi, illico in se convertant; quia minus ubique, quam alii aegri, numerosae puerperae sunt.

Quarum febrium causa et origo absque dubitatione in qualitatibus aëris latent, quin sensubus occurrant, nec forte etiam, licet cognitae, immutari queant.

Consuevit autem febrium puerperarum genus hocce plurimum cum exanthemate grassari, vixque modum tenere malignitatis. Stratae venenoso, vitam velut afflante, halitu asphycticae jacent, intus fractae, vixque erigendae ad animum amplius puerperae.

Sed infesta maxime ea febris est, quae cum maligno uteri affectu aut *putrescentia*, vel cum extincta illius vita, vel simili pernicie cujusdam alius partis conficitur. Atque ista quoque febris more epidemicarum saevit; sed passim *sporadice* etiam. Tum vitio loci, sive causa illud febris sit, sive effectus, curam et moderamen respuente, plerumque necat.

Inter sporadicas febres frequentissime ea incidit, quae ortum a laesione et inflammatione

genitalis habet, post graves natura aut rustica manu partus; item, quae profusas haemorrhagias sequitur. Praegressis talis notae offensis, nisi mors confestim irruit, dumque vitium loci impatiens medelae perstat, calamitas omnis in febrem vertitur puerperalem, quae vel per se, vel una cum gangraena ac sphacelo afflictae partis, certa nece perimit.

CAPUT SEXTUM.

Quatenus morbi puerperales propria gaudeant natura.

Sunt celebres alias medici, qui non solum nihil proprii inesse febri puerperali arguunt; sed etiam viros eadem laborare similiter ac foeminas perhibent. Mirabilis lingua! quin etiamsi verum dictum esset; at id falsissimum est.

Puerperas perinde ac viros, utique citra puerperium, inflammatione peritonaei et intestinorum prensari, hacque illos interimi prope uti puerperas posse, aperta et confessa veritas est. Item plurimas membranacearum partium phlogoses cum transfusione humoris lymphatici ac serosi currere, inflammata membraque passim conglutinari, et hoc liquet. Humoris vero talem exstillationem illi, quae in puerpera, praegressa vulgari intestinorum aut peritonaei phlogosi, sive etiam, ut saepius consuevit, absque tali inflammatione, in decursu miseriae tardius ocyus in ventrem irruit, copia, indole,

ortusque causa et modo, esse simillimam; id experientia ipseque aspectus refutat.

Illa quippe evaporatio nunquam sine inflammatione oritur, arctissimumque cum ista prodit nexum; haec autem metastasis in partibus saepe, quas opprimit, nihil habet inflammati; dumque per casum phlegmonis quidquam obrepit, abest tamen, ut, quae puerperae insidet, colluvies, seu copia, seu colore, vel materia et consistentia, cum illa videlicet per phlogosin facta exstillatione, tantum aliquatenus congruat.

Ac sane absque singulari in physica et medicina perspicuitate intelligitur, fluidorum copiam, constituentes partes, et mixtionem, item corporis illiusque functionum omnem complexum aliter se habere in foemina, dum ventrem gestat, aliterque, quando vacua est; ut taceam, quantum haec omnia discrepent ab aliis corporibus, virorum cummaxime.

> *Illi vero unam esse omnium hominum curationem existimant. Ego contra, si cujusque privatim naturam explorare ad unguem scirem, utique qualem fuisse Aesculapium mente concipio, talem me esse putarem.*
>
> Galen.

Verum mortalis, cujus vita et bona valitudo statis temporibus tot peculiares mutabilitates habet; nonne consequens est, ut si iisdem vitae periodis valitudine laboret, et ipsis quoque suis afflictubus insit quidpiam, quo ab omni morbo alio se distinguant? Atqui harum mu-

tabilitatum in gravidis atque praesertim puerperis, deficiente salubritate, singularissima una et maxime conspicua haec est: quod iis ex fatali fere, quatenus morbus tenet, humorum ubertate sua et indole, item ob propriam sibi speciem sensibilitatis tam facile, ac quidem frequentissime in ventrem, ex morboso stimulo et agitatione febris, liquidi alieni congestio fiat.

Atque ex hac a quovis prudente medico agnita et aperta experientia clare scitur, omni puerperali febri atque aliis etiam minus periculosis puerperarum morbis, si quidem etiam majorem in illis irritabilitatem, fluxum lochiorum, lactisque appulsum et excretionem (quorum omnium multiplex et peculiaris est in afflictiones suas potestas,) haud respicimus; proprium et per se insignitum characterem esse, easque ob hanc singularitatem variam quidem, sed ubique tamen ad ipsam indolem suam proxime applicatam artem poscere.

Quae curationem indicant, prout in duo dividuntur, affectus, quem curamus, et partium aegrotantium temperies sunt.

GALEN.

Nihilosegnius circulatorum genus rusticum aegrotanti omni puerperae, paucas inter horas, senis pluribusque vicibus indiscriminatim venam deplet, ac in falso credita, seu vera etiam enteritide, intra biduum ex usu et sine omni haesitatione sal amarum cum parca aqua ad sex et ultra uncias ingerit. Boni Dii! siquidem

non omnis ita interficitur mortalis, quid aliud colligimus inde? nisi vix quaque *methodo* hominum quorundam naturas posse destrui, contra aliorum nulla ratione servari.

CAPUT SEPTIMUM.

Variae causae, quae in aegrotantibus puerperis exstillationem lacteam invitant.

Ob multifarias causas foeminam ex ea, quam sibi ceu puerpera propriam habet, salubritate, in aliam ab hac recedentem, ideoque morbosam valitudinem posse delabi, nemo dubitat. Praeter vulgares in rebus non naturalibus admissos errores, puerperis majori ambitu infestos, excitandae febris, et lethalis in cavum quoddam transiturae materiae actuosissimam occasionem intempesta saepe et aliena medicina exhibet.

Quidcunque in puerpera stimulum concitat, et aliquantum valet extrahere, id ipsum etiam in illa vitiosae exstillationis opportunitatem, ipsamque inducere funestam actionem poterit.

Praeter varias topicas, praecipue genitalium aliorumque, quae his proxima sunt, membrorum affectiones, quaelibet valitudo febrilis cum vel etiam sine conspicua offensa, inprimis ubi ante partum incessit labes, ceu princeps in puerperio morbi post foetum emergentis habenda causa est. Idque ante omnia ad illas primarum viarum indignationes spectat, quae insequi omnino debent, quoniam certi homines praeter

avarissimum victum, quo miserabiles gravidae alioquin marcescunt, crudelius etiamnum eas crebris purgationibus per menses extenuant. Ista gignentium pernicies tristiorem satui humano stragem inferunt, quam omnes, quotquot fuerant eruntque, epidemiae inter puerperas.

Morbi acuti alias regnantes, si forte in enixas incidunt, quibus alioqui gravius minantur, accedente praesertim maligna visceris cujuspiam in thorace, seu ventre phlogosi; tum varia typhi genera; febres putridae vel *nervosae*, inprimis cum scarlatina, vel petechiis, ni morbo tempestive occuritur, vel a principio ferme, protenus naturam induunt febris puerperalis. Eaque nunc uspiam in corpore colluviem ponit, arte vix arcendam.

In permultis puerperarum epidemicis febribus, excitans stimulus, uti videtur, specialiter ex aëre cadit, tanta noxa et repentina nec explananda facile omnium functionum eversione, ut exitialis destillatio paucis nonnunquam ab invasione horis jam coeperit, imo consummata sit. Ea prope celeritate et saevitia febris affligit, quae per contagium est illata. Morbum quippe in locis, ubi puerperae commorantur simul plures, non communicari solum propagarique, sed etiam evolvi in pejus continuo, non argumentis hoc investigandum, sed jam experimentis cognitum.

Nec fas est reticere, ne unam hoc me comminisci extinctam morbo, quae nec uteri, neve

alterutrius tubae aut ovarii, singulatim vel omnium simul, morbosam aliquam exhibuisset affectionem.

Quas quidem mutationes et corruptelas interdum a morbo produci et ab ipsa in ventre collecta sanie, nequaquam abnego. Verumtamen, quia ejusmodi alienitates passim occurrunt, ubi nihil premit in membra humoris, ventre omni colluvie vacuo, ac perfectissima, quae hac in cavitate sunt, partium natura; quum porro ea sit persaepe corruptionis facies, ut illam evenisse inter febris breve tempus prudenter ne cogitari queat, non est profecto, ut abnormes in systemate uteri mutationes semper consequi ex febre dicas; ad summum fateamur, quasdam illarum increbrescere ipso sub affectu posse; tum forsan praesentibus alioquin passionibus supervenire per casum.

Memorata a me usque parum equidem cum sententiis aliorum conspirant, qui febre hac extinctarum uteros semper se reperisse illaesos asserunt. At primo celebres illi scriptores nihil produnt, quanam nota internoscant uteros. Namque non omnem a phlegmone licet et gangraena, aut alias clara pernicie incolumem uterum ideo quoque pro sano habeas. Quotnam sunt demum obstetricantes et medici, quibus brevi ante gravidae, aut recentis puerperae salubrem et in toto ad naturam constitutum uterum intueri acciderit, et palpare manu? quive, dum morbidum viscus licuit aspicere, tantum fuerint curiosi?

Persaepe primo ego obtuitu suspectos, ante ab aliis vix in fundo scissos, ab omnique suspicione absolutos, et rejectos uteros paullo post coram iisdem medicis et chirurgis, eaque super tabula, novo subjeci examini, nulloque studio indurationes, pus, ulcera, aliterque depravata loca detexi, omniumque ante oculos posui.

Contigit mihi etiam in peregrinationibus meis, interfuisse aliquando in parientium quodam instituto duabus sectionibus. Heus! si in examinanda omni per febrem sublata puerpera similis levitas ac properatio ex consueto obtinet; haud miremur porro, quemadmodum in omnibus, quae circa morbos puerperii cadaverumque exstispicia illic pervenere historiis, uterum vix unquam contaminari dicant.

In alio amplissimo valitudinario, ubi singulis annis non paucae puerperarum sunt mortes, certior factus, propriisque edoctus oculis fui, in his ad vulgares anatomicas exercitationes, uti caetera, destinatis corporibus, nihil inquiri peculiariter. Imo certus quidam alibi degens *obstetricator*, de sua puerperarum egregia tractatione impie vociferans, tametsi in cadaverum copia tristem morbum proxime spectare opportunissime possit, quin aspicere flocci pendit, nimirum senescenti secum quiescens jucunditati, alioqui noscitare se prae omnibus, tales aegras ad unam omnes ex enteritide perimi, a sordibus *in primis viis*. Alii interim prudentes, instituta in ipsis iis sectione corpori-

bus, semper quidem congestionem in cavo ventris, sed phlegmonis intestinorum, omenti, peritonaeique saepissime ne vestigium; contra ubique uteri corruptionem et in ultimas aliquando fibras putrem solutionem reperiere.

Unde clare perspicitur, quaenam auctoribus medicisque fides sit, quibus uterus in defunctis hac febre puerperis continuo sanus apparet, integerque. Sors talis rarissima mihi saltem nunquam contigit.

Uteri et internorum genitalium morbida, et diverse ad putredinem inclinata conditio (ut in antecedente volumine tractavi uberius) febrem puerperalem malignam creberrime excitat. Hancque veritatem a perpetuo examine ita habeo probatam, ut omnino existimem, in hujus notae morbis systema uteri, in quantum irritabile est, tum quoad ipsum solidum, ideoque etiam quatenus ad integritatem structurae functionumque, semper a salubritate deflecti quodammodo, quin imo certam, licet saepe nonnisi per vitiata munera intelligendam alienitatem in locis, quatenus topica afflictio cum communibus privatisve puerperae functionibus propius communicat, omnem febrem puerperalem ferme per essentiam ponere. Caeterum modice refert, num uteri miseria ante febrem steterit, hancque primum concitaverit, quod frequenter obtinet, an morbo, varias ob causas in puerperium ante illapso, ea demum fuerit inducta; adeoque, ut fieri interdum solet, topicam affectionem febris fecerit.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Peculiares quaedam febri puerperarum indignationes.

Equidem, si plerisque scriptoribus fidem habes, lactis lochiorumque materia et modus secessionis haud multum spectat ad febrem puerperalem, haecque ipsa ex casu dumtaxat, ut in quaedam alia munera, sic etiam in illa habet influxum. Attamen ex meo conspectu alia interponenda opinio est. Ac quonam argumento et exemplo excretiones illas in febre puerperali haud recedere a salubritate disputant? Nemo medicus, cui aliquoties modo curare in puerperio contigit, nescium habet, urinam, lochia, aliasque linteo exceptas impuritates discerni haudquaquam posse. Quidquod minister naturae, omniumque, quae ad puerperii cultus spectant, diligens observator ultro innuet, in lubrica re potius adstantium et custodum dictis confidendum, quam sensubus esse. Quid autem foeminarum istud genus non impigre narrat? Ac quaenam notae, quae pleraque in lochiis sana esse significent? quum notissimum sit, neque colorem, neque consistentiam et copiam ad illas cognitiones praestare, sed in singulis mulieribus varia et mutabilia esse, ut non tam ex lochiis ipsis, quam ex valitudine totius corporaturae decerni de purgamenti natura et errore debeat.

Idem etiam de praepostero judicio circa munus mammarum valet. Permultum impedi-

menti medico, potissimum, nisi simul obstetricans est, etiamque huic saepenumero, ab intempesto decore objicitur. Namque ubera, siquidem non omni vacant lacte, quod rarum est, ideone certi sumus, lac iis sincerum inesse justaque copia? Qua caeterum levitate in ista officia vulgo animadvertatur, nemo nescit. Atqui tamen ab lactis omni defectu, ad illius rectam copiam, et qualitatem certa est gradatio. Mihi saltem vix ulla, quoad memini, febris puerperarum obvenit, in qua tardius ocyusve, nec in purgamentis, neque in secretione lactis, aliqua ingruerit turbatio; ut itaque breviter dicam: Ubicunque febris puerperalis est, ibi etiam et in lacte et in lochiis aberratio est. Sed ne ita quidem rem complexus sum. Scilicet oportet etiam, curam praecipue evaporationis per cutim habere.

Ast deficit fere functionum cutis doctrina, quum nec modum, quo *transpiratio* succedat, nec, quibus elementis exspiratum constet, intellectum habeamus.

Neque explicabo, quemadmodum resorptio per cutim fiat; quaeve principia, quaque ea copia ex aëre in corpus commeent. Atqui notitia haec physiologorum perinde ac medicorum ob plura nondum explicari apta argumenta plurimum interesset. Verum neque densioris humidi, quod ex cute provenit, sudoris nempe, aliquod, unde scientia in usus proficiat, praetentatum examen sciveris. Num illius, quod clam avolat per cutim, ipsiusque sudoris, ex

parte saltem, eadem sunt excernentia organa, eaque principia excretorum, juxta, quod copia et forma discrepat? Quomodo materia, quam *transpirabilem* vocamus, item et sudor, quatenus perfecta sanitas est, ab eadem materia tenente morbo differt? Quinam illarum secretionum modus variis sub aegritudinum formis? Quanam pactione excretio illa morbum levat? Quomodo se habet, si non levat, sed exasperat verius? Quamnam instabilem et reciprocam rationem externa evaporatio ad internam eamque totam habet, quae ex tunicis, quibus cavae et membranaceae partes teguntur, intus obtinet? Quis demum hac in re modus in omni homine, praesertim in muliere, extra puerperium, tum, quando puerpera, vel sana, vel morbida est? Similibus quidem studiis dedere sese multo praestaret, quam curta alioqui scientia ad lubidinem construendo morbos, aegros destruere, erroribusque addere ineptias.

Largior universim in puerperis, quatenus recte valent, transpiratio est, eaque in plerisque aliquid peculiaris olidi habet, ne ingrati quidem, nisi ab aegritudine vel immunditia foetor fiat. Quapropter ex eo, quod per superficiem corporis transit, ex oritura inde cutis temperie, mollitia, et benefico quodam madore, vel ex alienitate aut defectu illarum rerum certius de puerperis earumque valitudine judicatur, quam ex plerisque mutationibus aliis, quae singulatim ab illis, ac velut signa, seorsim acceperis. Reciprocam enim vero

affinitatem esse et consensum aliquem inter corporis externam et internam exhalationem, item in valitudine morbosa, afflicta alterutra superficie, alteram affici ex contrario, communissimum est. Sic frequens a suscepto frigore alvi dejectio, et pertinacissima saepe diarrhoea non alias, quam revocata, et tutata functione cutis cessat.

Equidem in plerisque aliis morbis aliqua in cute ejusque muneribus mutatio obtinet; attamen in nulla afflictione ea tantum tamque necessarie ad ipsam naturam passionis facit, quantum in febre, quae funesta puerperis est, quum ipsa ea principia maxime suppeditet materiamque, quorum in destillatione et colluvie affectus fere omnis totusque positus est.

CAPUT NONUM.

Quaedam in congestionis sedem et materiam animadversiones.

Humorem puerperali febre morbose instillatum, secto cadavere, principes in chemia viri examinaverunt; sed abunde erit, lectori revocasse analysin, in tertio libro a me communicatam. Confitemur tamen, ex curiosa arte nihil fere, neque febrientibus, neque medicinae increvisse commodi.

Quare monitis ad chemiae illa criteria collocatis olim quaedam hic alia subjungam, medicis forte ad usum non penitus inania. Atque quidem, dum ad ea, quae exstillationem solent

comitari, cordate attendimus, veri haud absimile est, ipsum humorem, quem mulier, donec gravida erat, ad foetum modo vegetabili sustentandum in se habuit, nunc autem genito secundum ritus animales nutriendo, ad parandum quippe lac, possidet, principiorum, unde morbosa secretio coit, capitalem partem sistere; cum commixta neque exigua portione materiae transpirabilis et accedente purgamenti momento, sive non delati in uterum, sive vitiose resorpti. Quatenus vero ex primis viis, aut ex urinae meatubus malignae transmissioni quidquam adveniat, difficile probatur.

Deinceps, quandoquidem naturae nostrae aliquid inest, quod vere supremum vitae principium dixeris, ea indole, ut subtilissima velut aura aetherea cogitari possit; propemodo credam, cum lethali et alienissima congestione partem quoque vitalis illius aetheris simul elabi; quod insequens paene una cum metastasi omnis ruina virium probabilissimum facit.

Abdomen proximeque pectus prae caeteris intrat colluvies. Nuncquam laticem in cranio vidi. Sed notandum, prima occasione mortis aliorsus jam reperta, caput aperiri saepe omissum fuisse. Semel modo, ut alibi declaravi, qualis in abdomen descenderat, materiae particula oculorum in cameris sedit, et aliquando juxta communem focum in dextro pectoris, duae quasi itidem illius humoris unciae inter pleuram et musculos costarum eodem latere intercesserant, integra pleura.

Rarius humor partes extus petit. Sin vero occupat, dumque haud dispellitur in tempore, nec febris apta prorsus tractatio fit; alia plerumque nova in quoddam cavum irruptio sequitur, simili cursu ac fine. Migrat autem sanies, ubi ad exteriora tendit, potissimum circa articulos femoris, genuum quoque, rarius ad cubitos. Interdum etiam in parotides cadit, summo, quod extus confluxa materia habet, discrimine; quum pessima plerumque comitans febris sit.

Magna interim illapsi humoris, quoad indolem illius atque copiam, diversitas est, ut modo aquosus et albidus seu paullo densior, pus aemulans, fuscus quidquam, ac ex parte concretus in membranulas sit, qua specie viscera contegit, conglutinat, et malignissimum *gasis* spargit odorem. Haec autem omnia a natura febris, ab aegrarum habitu ac inde potissimum videntur regi, num tardior fuerit, aut rapidior fluidi transitus, quaque mora ante obitum stagnaverit.

CAPUT DECIMUM.

Recentiorum quorundam auctorum de febre puerperarum opiniones.

Antequam Angli nunc voce *febris puerperalis* suspectum morbum diligentius notaverant, illiusque designatione alias etiam excita in eruditis solertia fuerat; medicorum numerus illum ex uteri partiumque vicinarum sola in-

flammatione explanarunt, quae scilicet omnem naturalem, eoque certius difficilem partum et artificialem sequi possit.

Quam quidem febris puerperalis interdum esse originem palam constat. Ubique gentium, etsi haud saepe, tamen aliquando accidit; sed rarissime, ubi omnino nulli vel nonnisi prudentes medici, neque alii obstetricantes, quam recte instituti sunt. Compertum interea multis exemplis est, illam febris comprehensionem non ubique respondisse, quum non tam uterus, quam peritonaeum et intestina, et omentum foeda phlogosi apparuerint. Exin moti mobiles in commenta medici mox in phlegmone illarum partium naturam febris perspexerunt clarissime; utque fit, ut suorum homines somniorum extemplo fiant interpretes, ac ubi meliora desunt, rationes sibi ex arbitrio fingant; sic etiam in hoc studio cessit percommode. Abdomen videlicet ejusque inquilina per graviditatem expandi, dilatari premique obnoxia sunt. Sed, foetu excluso, pressio cessat; hinc necessario sanguinis et humorum omnium in vasa confluxus; hinc necessario congestus et inflammatio. Atque mechanica et rudi compositione hac nasci phlogosin et diffundi tam liquide cernimus, quasi urens massa recte membris injiciatur syphone. Verum sodes! Quodsi ita, nonne ubique in terris tot intercurrent puerperarum febres, quotquot partus dantur? Ne quodvis puerperium excipietur morbo similiter, ac lochiis vulgo?

Deinceps, ut ludicrum istud in puerperis inflammationis figmentum est, sic quoque fallacissime traditur, indolem febris puerperalis in phlogosi peritonaei, aut alius membranacei visceris in ventre latere; tum enim vero certissima etiam haec foret enuntiatio: ubicunque peritonaei, omenti, vel intestinorum abest inflammatio, ibi etiam febris puerperarum, et coitus materiae abest. Sed quam procul haec distent a vero, pridem experientia et inspecta corpora affatim ostenderunt, ut omnis in rem supervacua disceptatio sit.

Alii, quasi aegre habeant, per naturam in intestinis residere faeces, illorum phlogosin ab excrementis intra gestationem corruptis, et collatis velut, stratum super stratum, pulcerrime pervident et explicant. Anne vero in Italia et reliqua meridie praegnantes sub ileo suaveolentias fovent, quum insolens utcunque illis puerperarum febris sit? Aut forte nostratium quoque gravidarum puerperarumque ventres modo ad tempestates foetor implet? Namque hisce etiam in regionibus morbos puerperarum quammaxime per periodos tractamus. Procul dubio quidem puerperis *idiopathicae* in ventre inflammationes fiunt, nec exstat, quapropter, dum in puerperio est mulier, prae reliquis a tali affectu immunis maneat, cujus quippe viscera quocunque damno offendi aptiora sunt. Imo in quibusdam casubus materia et causa morbi in primis viis fortasse aut secundis haerebit, indole sua nocens, copiave. Atque orta ex tali

occasione phlogosis utcunque destillationem efficiet; quin tamen recte inferas, febrem puerperalem continuo, ac primum modo a phlegmone provenire, quum, siquidem locum habet, inflammatio saepius colluviei ante jam incumbentis, quam colluvies effectus esse inflammationis consuescat. Quod evidentissime ex eo declaratur, in cadaveribus sine phlogosi saepe colluviem, sed nunquam sine colluvie repertam phlogosin fuisse; hancque porro, ubicunque erroneo latice accensa fuit, rebus paribus non morbo solum congruere, vitaeque a facta metastasi ultra duraturae, sed copiae etiam et malignitati decidui humoris.

Recentiores quidam medici febrem puerperarum simpliciter pro *idiopathica maligna nervosa* habent, quae puerperam fortuito corripit, nulla caeterum cura, quatenus, quaque propter maligna scilicet febris ista in puerperio aliter veniat, currat, aliosque prodat effectus, quam citra puerperium. Quare frustra est talis aestimatio.

Interea febrem puerperarum ad normam caeterasque notas scribere, irritum conamen habeto, quia variabilis maxime est, nec alio, qui illam sistat, charactere firma, quam qui propemodo in adjecto residet. Pleraque videlicet non aliter, quam ex passione, quatenus affligit, moderantur; ex opportunitatibus, illarumque rerum apparatu, quibus, quarumque causa quaevis febrilis forma in puerpera eas modificationes recipit, quibus demum ceu fe-

bris puerperarum certis discreta notis ponitur, formatur, atque efficitur.

CAPUT UNDECIMUM.

Praecipuae, quae in cadaveribus febre puerperali extinctarum observantur, mutationes.

Febre puerperali mortuarum corpora, aliis cadaveribus, simili temperie et loco citius in putredinem vergunt. Paucis ab obitu momentis livescens macula et latae plagae ad artus, et in corporis trunco comparent; tumente, tenso et ex nigro livido ventre. Forinsecus genitalia, licet expedito ante et naturali partu, semper fere ex sero tument, et citra modum flaccida et livida sunt.

Morbo cum efflorescentia cutis finito, stigmata passim plura vel pauciora restant, mammis creberrime tenuibus, vacuis, aut si lactis nonnihil inest, id non tam verum lac, quam flavescens et corruptum effuso in corpus humori simillimum serum refert. Sed etiam varias in hoc genere exceptiones vides. Magnum quippe est discrimen, longus morbus an brevior fuerit, quae factaque medela.

Ventre vix inciso collectus liquor illico prorumpit, diversa copia et qualitate: pellucidus, aquosus, densior, flavus, brunéusve, foetens, acer, cum floccis et laciniis, vel absque. Omento, quod saepe obvenit, ad superiores regiones convoluto, nuda intestina conspiciuntur, prehensa phlogosi, vel libera in omni tractu, si-

ve hac illac solum levi macula; vel quidquam scarlatino rubore latius tincta passim, et plumbeo colore; interdum etiam pura et integra, qualia in hominibus sine morbo exanimatis sunt.

Similes prope aspectus etiam omentum habet, et peritonaeum, item alia membra, quae, praesente quamquam metastasi, toties pura, toties usta inveniuntur. Obductum aliquando etiam intestinis justo pressius omentum, ac plerumque, ut ipsa intestina, inflammatum circaque pelvim et ovaria agglutinatum est. Partes istae, ut aliae etiam membranaceo glutine inter se connectuntur, ita ut multis tunicis velut cryptas et cancellos forment, quibus purulenta sanies concluditur. Uterus majore plurimum amplitudine, inertia et mollitia est, quam quidem pro elapso post partum tempore oporteret. Persaepe, qua abdomen respicit, superficie, nulla in colore obtinet varietas; unde probabiliter factum, ut multi medici illum sine omni dubitatione pro salubri haberent, quasi ad obsignandam membri cujusdam sanitatem, illud extus prosperum aspici, omnia absolveret. Interim non raro etiam extus vitia coloris monstrat; dumque illuvies per moram insedit, genitale et attingentes partes alias subflavum gluten onerat, incumbentis sedimento humoris haud absimile.

Ovaria, tubae, ligamentaque uteri, vel simul, vel singulum quodvis, varia statione a natura dissident, eaque ne unquam separatim

saltem, et ex toto sana, nihil mutataque vidi. Saepissime vitium tale est, ut constet, saniem jam pridem ante fuisse superfusam. Nonnunquam uteri inferius segmentum, ligamenta lata, seu horum potius aliarumque proximarum partium cellulosa tela velut mutata in gelatinam, et tubae et ovaria tumida purulento foco conspiciuntur. Quandoque ovaria siccato sanguine scatebant. Bis copiosae simul crines inerant. Aliquando alterutrum praeter modum tenue, et laxum, subinde utrumque affectum ovarium est, una cum corpore luteo in alterutro latere citra naturam aucto, et in ipsa sua soliditate commutato.

Stomachus et intestina perpetuo sunt expansa, similemque, qualis vomitu et alvo intra morbum ejiciebatur, impuritiam continent. Amplior saepe, quam in sanitate, fellis vesicula magnam serosae, minus tinctae, et solutae bilis, aut crassioris et ex bruneo viridis copiam continet. Hepar aliquoties, ac lien, magnitudine, colore, atque etiam compage decessit. Hepati fere semper citra modum pallidus color est.

Verumtamen non omnibus in ventre cubat humor, quandoque etiam pulmones premit; ubi cum per se, tum quatenus in obsessa loca gravitat, similes prope ostendit mutationes. Rarius colluvies abdomen et pectus una occupat. Attamen quocunque citra ventrem exul materia est, nunquam genitale ex toto valere, sed semper nonnihil vitiatum offendes. Quod ne quis mo-

leste ferat, quia dicimus: consenuisse quempiam in anatomicis posse, quin necessario noverit, quae uteri ejusque partium, egesto brevi ante foetu, naturalis facies sit et compactura; quum ad perspiciendum hoc ex natura ubique, item in amplissimis nosocomiis, rarissime detur occasio.

Praeterea uterus naturali sua, alias post mortem, aliquantum superstite sibi vi orbatus, remissus, mollis ampliorque invenitur, quam ad elapsum a partu tempus competit.

Postea, dum exemptus simul cum vagina, quo intus ex superficie pateat, perscinditur; creberrime obductus foetente ac fusca sanie apparet, idque primis fere post obitum momentis. Occupatae ante a secundis plagae, tametsi ad solitum et facillime exciderint, aliqua tamen adhuc floccorum pars tam firmiter inhaeret, ut ne scalpro cedat. Hic, et sub glutine multis locis uterus aliquas lineas alte, plumbeo colore, ac putri sanie solutus cernitur. Manifestius, perniciem erosa et destructa carne infra in cervice et labiis cernes. Quandoque malignitas uterinam quoque portionem vaginae corripit; raro tamen ex toto est contaminata.

Ubi vero morbus ad summum increverat, tetra etiam magis narrata damna sunt. Uteri praesertim ad ligamenta horribilis confectio est, ut caro exesis fibris, atque ex versicolore foetente sanie, longe magis putidum casei, seu favi, quam quoddam viscus ex animali simulet. Quip-

pe omnium minime corruptae partes etiamnum eae sunt, quae purulentos focos formant, quales ferme in phthisi maligna callosas vomicas noscimus.

In cranio repertam esse materiam vix memini; neque in morbis cum similibus passionibus prope, quas adscribere phrenitidi consuerunt. Etsi enim, ut fatebar, non in singulis caput diffidimus, nunquam tamen praetermissum, postquam levissima modo per cursum febris ex cerebro erat suspicio; ut facta a nobis toties incassum apertura tandem didicerim, lactis vulgo ad caput migrationes oppido raro fieri; rariusque medullae morbum aegrarum, quam quidem medicorum insidere.

Quando febris initium ex phlogistico oedemate in quodam articulo duxit, aut tardius supervenit tumor, tunc eo post mortem inciso serosus, ut vulgo ex simili noxa, humor manat. Tantummodo ubi morbus moram traxit, profluens liquor, quae intus in corpore latet, materiam, colore et consistentia propius aemulatur.

TRACTATUS
DE
FEBRE PUERPERARUM.

Nulla febris est, quae non aliquando in puerperas cadat; ea vero praeprimis, quae constitutioni praeest.
STOLL.

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.
Diagnosis et prognosis febris puerperarum.

Diagnosis febris puerperalis haud difficilis, imo dudum est scripta: Febris nempe in recenti matre, quae stimulo ex vehementia sive per moram nocente in solidis, itemque morbosa solutione fluidorum, certam in puerpera propriamque humoris inducere colluviem peculiariter valida est.

Qua definitione genus quidem harum febrium modice determinata; species vero et varietates generali significatione nequeunt comprehendi, ad ipsos maxime aegrarum lectos, ex singulari febris notitia, et affectarum partium distinctione intelligendae.

Prognosis, ni superstrata figmentis et conjectationibus opinio sit, ab ipsa cognitione morbi prodeat; alias ludicra erit et inutilis. Morbi autem recta habetur scientia, dum ex illius statu praesenti ea, quae ex more naturae necessario eveniunt, certe pervides et moderate praedicas. Atque ita prognosis non modo naturales eventus prospicit, sed ab inductione suppeditat etiam, quid agere oporteat, quidve omittere, ut res adversae, quae hac positione accedere aut possunt aut debent, mutatis, qua potest, per artem conditionibus haud contingant. Sed firma ejusmodi prospicientia in puerperarum praesertim affectubus nequaquam ex fallacia conjecturandi proditur. Quaeque enim non per sensus notificantur, pro vera prognosi nihil valent, sed ad vanitatem et auguria serviunt. Interim, quae in omni valitudine sensubus ac praecipue ex tactu percipimus, quemadmodum percipiantur, scribi non potest, similiter, ut nemo, qua subtilitate molle pannum a molliori discernat digitis, verbis exprimet.

Quare in exemplis multarum febrium paucas easque generales notiones colligimus, quibus aliqua similitudine prospicere interdum in aegrarum sortem licet. Nec tamen repono, quae jam ante memoravi, cum in hoc tractatu, tum per universum opus sparsim. Quare hic talia modo, quae aut nova sunt, aut ejusmodi certe, ut a consuetudine communium morborum atque quidem ex ratione et solo aspectu vix desumantur.

Ut

Ut incipiatur ex constanti. Quo citius itaque a partu gravis febris occupat, eo magis portendit. Sed maximum vulgo ea minatur, quae jam intra partum vel ante emersit.

Quodsi in febriente expressum ex mammis lac in caseosam et serosam partem discretum stillat, sero praesertim tenaci, crasso et sordido quasi, metus plerumque exitii subest.

Quos aegrae dolores narrant, ac si pungens instrumentum sibi a sterno versus scapulam et axillas adigeret, seu candentia fila per abdomen ducerentur, vel quasi fervens liquidum guttatim in ventrem caderet, vere indicant, congestionem in abdomen vel pectus, vel in utrumque fieri, imo contigisse dudum.

Sin cavitas, ubi humor latet, jam ante exstillationem erat inflammata; phlogosis, tametsi benigna, cito in gangraenam et sphacelum transit. Idem confestim accidit sub ipsaque effusione, dum maligna est inflammatio. Ubi denique *metastasis* a peste ipsius febris inducitur; inter exstillationem acrimoniae membra intacta usque, protinus ex superficie pessima et urens ad sphacelum phlogosis necat. Quibus sub passionibus mors inevitabilis est; incidit cum iis.

Verum quando, rebus paribus, tardius evolvitur febris, etiam in deponendo natura humore lenta plerumque et cunctans est; segnior etiam mors. Tunc labes quoque non tanta vi rodit, quasque obsidet partes, quam in prioribus exemplis, tardius inflammat.

In hisce febrium speciebus instillatio natura et industria quandoque praeverti, quidquod effusus aliquantum liquor resorberi in vasa, indeque per emunctoria sudoris praesertim ac urinae eliminari poterit. Est forte etiam, ubi collectas aquas chirurgia extrahat; idque praecipue de morbis observamus, nec vehementer neve maligne affligentibus, quique ratione typi febris medium inter acutas et intermittentes simulant.

Semel modo metastasin in febre acuta anomola, praegressis passionibus variis periculisque, tandem orto post aliquot hebdomadas in feminibus maligno, tum diffuso in lata ulcera erysipelate resolvi, atque ita liberari aegram vidi. Copia seri ex ulceratione manavit, unde venter sensim depleri, etiamque repurgari et sanari ulcera coeperunt. Sic misera ex infusis floribus sambuci et baccis juniperi, tum usu modico carnis et vini multa aqua diluti convaluit, quae si princeps forte fuisset, seu matrona dives, lautiori victu ac perpetua artis mistura haudquaquam evasit.

Neque reminiscor, quampiam acuta phlegmone vel ulcere mammarum vexatam puerperam, forti licet affectum uberis assectante illumve praegressa febre, illo ex morbo periisse unquam. Caeterum nihil opus est notare, quapropter in similes eventus singulari studio animadvertam; naturae quippe in sanandis affectubus indicia et processus et molimina, donec morbus, tempus et alia sinunt, respectare et

congruenter vertere in usus potissimum ad salutem juvat.

Matres lactitantes, officio hoc semel stabilito, raro in graves et acutos morbos invehuntur; sique fit aliquando, ipsa lactandi consuetudo opportunitatem, qua aegrotatio in discrimen febris puerperalis nutat, plerumque jam sustulit. Aliter omnino patiuntur, quae non praebent. In illis quippe, tametsi paradoxum videbitur, et principium quasi et proclivitas, cum metu ex puerperio febriendi, longius perstant, hac modo peculiaritate, quod colluvies minus subito, sed ascitidis instar fiat, ac creberrime non tam in aliquod cavum, quam ipsum quoddam in viscus intret, adeoque mortem quamvis haud repente, attamen post breve tempus certe inferat.

Plerumque noxa ad pulmones ruit, forma quasi *Febris Puerperarum Lentae*, phthiseos sistens speciem. Subinde uterum vel alia membra infestat, ubi congestiones, malignam suppurationem, indurationes, et amplius alia gignit, duro monitu, nunquam naturae vias deseri impune vel sine periculo posse.

CAPUT SECUNDUM.

Cogitationes de vita, sanitate, morbo et sanatione generatim.

Organismus animalis, illius exordium, incrementum, decrementum, cumque maxime variabilis duratio probabiliter ex processu

sublimiori animali chimico cedit. Eo quippe materia et vis secundum immutabiles leges continuo agunt, et reagunt, statutoque ordine diversissimis sese evolvunt modis speciebusque.

Quo in processu summum regens *Vim* vitae vel *Principium* libet appellare, cujus praesentiam ne quis in dubio habeat, qui vivere se ipse non dubitat.

Verumtamen indoles Vis hujus divinae, ut mirabilis, quo se exserit, modus, tametsi profundissime lateant, nec sciatur, ne per se sola stet, an cum aliis naturae viribus quadam conjuncta affinitate, in animantûm singulis membris eadem ferme, caeterum quoad exercitia varie dumtaxat modificata sit, (pro diversa nempe, quae ad eam concipiendam apta est, materiae basi); prodit tamen ubique sese ac manifestissime per sua miracula. Illa videlicet est, quae foetum in utero matris evolvit, et sospitat; quae tenerum veris primum flosculum a frigoribus Boreae fovet, atque hominem, omnium nulliusque climatis incolam, nunc sub solis ardoribus nunc in oceani gelu recreat conservatque. Sed ad moram modo. Tempus quippe cuncta exedit et destruit; quodque est, ocyus serius labitur, disparet, et evanescit, novaque et matura ad efformationem atomus vicem occupat prioris locumque. Ita visque materiaque innumeris mutando formis aeterno circuitu eunt redeuntque.

Homines autem putant, hoc quidem ex orco in lucem auctum generari, illud vere ex luce in or-

eum imminutum perire ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportet, quam opinionibus.

HIPP.

Quamdiu corpus animale membris ac partibus suis, tam ad earum relationem inter se quam ad nexum, rite constituitur; quamdiu principium vitae vel ex se perstans, vel ingenitum materiae, continuoque a justo membrorum humorumque consensu et reciproca in se actione renisuque pendens, cuivis singulae parti adstrictum, proprio modo inditum, ad eamque dimensum, in omnem compaginem expedite agit; quamdiu corpus stimulis extraneis probe afficitur, sensubusque per materiam ad percipiendum formatam recte assumit, atque hinc intus in se ipsum et extrorsus convenienter perficum est; tam diu praesto necessaria momenta et conditiones sunt, quae vitam sanitatemque videntur efficere. Attamen non ex plerarumque aut certarum modo illarum conditionum omni ac tota defectione (quod certe mortem significat) sed ex earum varia dumtaxat turbatione, morbi seu recessus a statu sano, idea profluit.

Abnormi quippe habitu corporis, dum extraneae seu intus evolutae facultates naturam diverso modo conturbant, processus vitae talis esse ultra non potest, qualis erat, priusquam damna illa in ipsum exercebantur; quaeque propterea modo se noxia probant, quod recte aut per intermedia in formatam materiam, ex eaque in ipsum, unde materia vitam trahit,

principium damnose agitent, quae conjuncta, vis nempe atque materia, vitam et sanitatem, nunc vero vitam et morbum constituunt.

Quemadmodum salubri corporatura et actuosa propemodo viscerum conspiratione, omne illud, quo corpus ad sui conservationem indiget deforis, recipitur, attrahitur, mutaturque; partim assimilatur, partim rejicitur, ac pleraque munera, sicut ad sanitatem et constantiam competit, solenniter cedunt; ita in aegrotante animali eodem paene modo eaedemque res functionesque summatim quidem, sed perperam modificatae versantur, eatenusque solum perstant, quatenus ad ducendam amplius vitam esse utcunque possunt, et necessario debent. Atqui tamen imperfecto huic et inordinato processui vitae aliud nunc atque novum quasi incumbit munus, idque non parvissimum: morbum videlicet persanare, vel, si libet magis, adjuvare in sanationem saltem.

Talibus praemissis, totidem nos convalescendi arbitramur modos, ac morborum species sunt; porro in ipsa alienitate finitam et temporis et ritus contineri normam, qua corpus vel revertitur in salubritatem vel ultra ad naturam extinquitur.

Omnium communissima in turbata quavis valitudine ea passionum apparitionumque complexio est, quam *Febrem* dicimus: Morbi causae et Principii vitalis opus; manifestatio abnormis energiae in vitioso et justo celeriore processu vitae; varia positione vel destructioni

favens, vel conservationi; itidem necessaria ad curationem morborum, atque ad illorum *Essentiam.*

Qua febris lucta, viriumque oppositarum continuo nisu renisuque, natura secundum aeternas leges ex omni sua penu urget, tendit, nititurque; verum non alias, quam ad praesens momentum ubique. Quapropter intellectui seu arti, in casubus praecipue discriminosis, ante omnia convenit, ut apposite in aegrotum, et habita ad morbi exitum et finem recta ratione, pleraque ita instruat, dirigat et praepediat, quemadmodum pro salute competens et necessarium videtur.

Idque in permultis certe morbis quandam esse arti in organismum actionem necessario ponit; namque *causam morbi tollere*, seu antevertere morbum, hic ad unum redit: quo, si quidem potes exequi, utique aegro boni consules.

Sicubi vero noxa, seu labes universam constitutionem jam intravit, morbus velut ens proprium perstat, ac ex se, neque auferendae causae ultra locus datur. Summa nunc vertitur in eo, ut ex pernicie effectus frangas. Si praeterea influxus ex primordio ultra potest prohiberi, haud levem partem ad curationem egeris.

Nec unquam simplex et recta in qualemcunque facultatem actio est, per quam nempe sentimus, percipimus, et irritari apti sumus. De quibus universim probatur, cunctas quidem ab una eaque sola, sed diverse dumtaxat, cui

inhaerent, composita materia, atque per eandem materiam, modificata solum aliter vi vitali procedere, caeterum inter se esse simillimas. Quapropter et in offensis febrilibus et in tractandis exteris vitiis id maximum et unicum oportet, ut iis prope, quos ipsa natura in sui conservationem sibimet fines et consentaneos nisus posuit, materiam corporis aggrediamur; ne tamen immemores, eidem huic materiae inhabitare sensum et vitam.

Quidquid autem sit, ex quo efficitur vita, id ipsum tantum mutari aptum videtur, quatenus eadem, cui inest, mutari patiens materia est. Qua positione materia ipsa haud potest commutari, quin quoque etiam vitae in ea principium subeat modificationes: gradu scilicet vel augeatur vel minuatur; secus enim nequit.

Materia *organica*, donec illo principio non penitus vacat, in processum dissolutionis generalis contumax est; ad summum noxias modo mutabilitates admittit sui ipsius naturae. Hinc omnis in corpore vivo alienitas ab hoc principio necessario pendet et stringitur. Namque ex eo materia suam formam tenet et proprietates, illudque ipsum stat conservaturque per materiam.

In eo quod efficeret, vim esse censebant: in eo autem quod efficeretur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque; neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia.

Cic.

Haud quidem recta rebus extraneis in principium vitae ingressus datur et actio; ad id tamen perpetuum est, ubi morbus corporaturam possidet, illud etiam suo modo affligi, nec re aliquacunque utiliter quidquam in materia effici, quin ipsa illa res huic principio, unde quippe materia vitam habet, congruens et perquam accommoda sit. Propterea modus, ut alia corpora solent mutari, vel in corporibus aliis mutabilitates inducere, haud strictam praebet normam ad aestimandum effectus item et affectus, qui animali matertae eique vivae competant.

In omni afflictione febrili quaedam in calore, qui animanti proprius inest, inconsuetae mutationes manifestantur, idque varia intensione, vel incremento caloris decrementove, variis periodis; tum quia incerta calidi in variis locis corporaturae diffusio et temperies est, seu quod sub febre in toto organismo, vel in singulis membris nunc plus nunc minus aestus deforis intret, vel intus generetur, vel extus effluat, sive demum, quod eadem copia vario tempore nonnisi diversimode agitet, vel corpus etiam ex insolita, quam patitur, modificatione aliter inde aliterque sese affectum sentiat.

In qua omni valitudine nequit abesse, ut ad ultimum fluida etiam, nec subtilissimi modo, sed etiam sensubus obvii, per vasaque moderati omnis generis humores insolenter constituantur; addita alia notatione: quod ii ex multifario casu a naturali sua temperatura jam ante recesserint. Eae quippe mutationes, quas

sanguis, reliquorum omnium humorum fons et materia, corporisque ad vitam praestantissimum elementum, ex febre vel interdum ex ipso *miasmate* contrahit, pro varietate illarum rerum maximopere inter se discrepant, ut aliter in simplici phlogistica febre, quam in anomala, aliterque se in maligna habeant.

Quodlibet intus in corpore enutritum aut deforis invadens damnum et illata laesio vitam vel repente eximit, vel illius regularem processum ad tempus conturbat. Ubicunque febre prehensum est animal, infesti quid agere in illud, vel certe egisse necesse est; quin tamen afflictu semper ad excitantem causam strictim moderata sit; permultum namque ab ipso corpore, in quo febris valitudo ortum duxit, ab anni tempestate, tum rebus extraneis aliis regitur. Hinc febres accidunt, ac simplicissimae quidem, sine quopiam singulari neque materiae neque vi vitae infenso stimulo. Aliae contra sunt nequiores, quibus scilicet in solidis et fluidis phlogistica fit mutatio, majori metu, si principium vitae simul una infirmatur, ac gravius quidem, quam indignationibus febris, quantum in sensus cadunt, illiusque durationi conveniat.

Omnium denique pessimam classem illae febres finiunt, in quibus sine phlogoseos incessu corpus et in materia sua et in vi sua tantum infestatur, ut constituentes partes illico in putridum vergant.

In omni acuta febre membra in compagine sua, quatenus tactu et oculis potest indagari,

vel immutata et illaesa manent, vel morbosas sensubusque obvias subeunt mutationes. Atque inter reliqua damna, quibus obnoxia sunt, dominatum Phlogosis tenet, indole sua et ex febre, quam concitat, quave incensa ipsa fuit, seu *pura*, seu *maligna anomala*. Frequentissime aliqua tantum membra urit, modo hoc, modo aliud, pro varia quippe causa extranei, pro genio regnantis morbi, et peculiari opportunitate aegrae.

Neque tamen semper ex phlegmone laborant afflictae partes; affectu scilicet cum tumore, tensione, rubedine et dolore. Morbida partis mutatio persaepe solum ex commota per errorem sensibilitate, cum vel sine organi ex intensione, vel languore variata consistentia: videlicet per spasmum proditur; cui offensioni membranacea et cava viscera, tum etiam aponevroses quammaxime subjacent. Accidit etiam interdum, ut pessimum virus, praesertim ubi in membranaceo tenui, vel quopiam etiam crassiore cavo viscere longius vehementiusque saevit, omnem nonnunquam in illo vim et calorem repente tollat, subsequo mox membri totius sphacelo. Ita etiam sporadice, et extra nosocomia, in foeminis brevi ante salubriter gestientibus, primo morbi impetu, ac ne praegresso ferme dolore, aliqua membra subito et sine ulla phlegmonis nota per necrosin extinquuntur.

CAPUT TERTIUM.

Febres puerperales benignae, non phlogisticae.

Febrilem omnem morbum proprio quodam, sui ipsius vitaeque potentiis, incitato, continuatoque processu pergere, dirimique, nulla dubitatio est. Hinc in affectubus, qui artis opem non strenue postulant, dum aeger modo antecepta opinione et consuetudine vacat, nec orba omni extus adjumento natura est, ipsa plerumque errores omnium optime ad salutem ex se componit.

Non equidem id puto, solam cunctos morbos vincere naturam, plurimosve: multae aegritudines sine industria artis, difficulter aut nequaquam sanarentur. Sed dicimus etiam et confitemur, ex inepta cura centies frustrari salutem. Atque non mediocre istud inter convalescere et non convalescere discrimen in ipsis gravissimis illis morbis, ubi sanitas cummaxime exspectanda ab arte est, a modo proficiscitur, quo curationem inchoamus. Namque in ipso exordio et cruditate morbi decursus ac finis illius jam comprehenditur.

Morbis enim quoque quasdam leges natura posuit.
PLIN. N. H.

Atque ita accedente arte mox a primo ejus conatu discrimen exit, num ab intercessione medicinae felicitatem natura an damnum capiat. Quare adversa valitudine prudentius agitur, inter initia deliberare morbi, quam ad fi-

nem; dum quae facta sunt, haud fieri infecta, quaeque fient, ne ultra impediri queunt. Nae in tristissima sorte risum movet, si oborto igne, rebus omnibus jam conflagratis, tandem consulitur de extinguendo? Quam similitudinem cernimus quotidie in morbis; sed ob aetatem dementiae, quantum res habet absurdi, nemo colligit.

Quaedam, ut noscitur, febriles affectiones insontes plane et mites sunt, ac nihil omnino phlogoseos, multoque minus proclivitatem aliquam in malignas noxas monstrant; quas etiam, siquidem more ferme ac mansuetudine brutorum toleramus, natura propria penu ac saepissime post moram quodammodo per crisim vincit.

Quae brevi post partum saepe puerperas invadunt passiones, irruendo et conturbationis vi majus aliquando, quam intus alunt, discrimen minantur. Tum medicus, aegrotationem fortassis non apprime discernens et heroicis impedimentis non tam morbum oppugnans, quam naturam, illum allicit nunc primo, vel id ipsum prava arte malum asperat, quod falso mollire studet.

Propterea, donec causa et natura passionum minus sunt patefacta, quacunque forti medicina abstineto. Idque de excitante pariter atque de eo, quo debilitant, omnique fere alio ritu est accipiendum. Consultius in universum arbitror, ut incedentes puerperae affectiones, donec nullo vitio peculiariter et topice distinguntur, apto victu, rerum ambientium cubitusque regimine, tum recta curatione

ad nova munera, item ad matris justum cum prole animale commercium primo committamus in naturam. Haec benefica procuratrix omnium bonorum, etiamnum in adversis, brevem aliquando a lactatione, interdum a labore partus vel aliis non tam diris affectubus inductum errorem quam suavissime mulcet et corrigit. Qua simplicitate inter quingentas foeminas ac multo plures etiam, vix opus ullo medicamento est; addita cautione, ut parturitio quoque ad simplicitatem ministretur naturae, nec matres *prophylactica* intentione, ut ajunt, repurgando evacuentur, aut exurantur calidis, neque in illis itidem, quemadmodum in aliis hominibus suevit, morbi proxime ex pulsu construantur.

> *Venis enim maxime credimus, fallacissimae rei, quia saepe leniores celerioresve sunt, et aetate et sexu, et corporum natura.*
>
> CELS.

Verum tamen gravior febrilis morbus, quamprimum illius natura significata est, actuosiorem intercessionem poscit, inprimis ob velocem quandoque opis occasionem.

In omni quidem febre totum corpus patitur; interim aliqua tantum prae caeteris ex essentia premuntur afficiunturve membra et funtiones; iisque ipsis aegrotatio praecipue internosci et speciatim dijudicari debet. Nec tamen in febrientibus etiam puerperis afflicta membra semper cum securitate definiendo sumus. Tum ea duntaxat, quae conturbatis ex functionibus, ex obvia in sensus materia aliisque incertis

signis probabiliter suspicari licet, medico normam agendi et delectum suppeditant medicinae.

Caeterum vix ullus unquam indolem, decursum, curationem ipsumque mortis inferendae modum diversarum adeo, per puerperium quippe velut ad unam familiam conscriptarum, febrium specialiter percensebit, aut sermone dispertietur, sed plurima perspectanda nonnisi ad aegrarum lectos sunt.

CAPUT QUARTUM.

Necessaria animadversio in affectiones locorum, earumque cum morbo universo collatio.

In quavis puerperarum febre, ut supra prodidi, genitalia non penitus salubria sunt; id quod sectiones cadaverum evidenter demonstrant. Sed amplius contendo, ab illarum partium morboso affectu febrem creberrime produci; quum non raro intra graviditatem, imo saepius sub partu ipso tantopere patiantur, ut ex illarum vitio febris in universum corporis commeet.

Interea usus hoc etiam aperit, tales injurias in naturali aut vicinis membris non eadem semper festinatione capere locum. Certis temporibus difficillimi partus imo artificiales impune fiunt; quod in aliis foeminis, aliaque tempestate secus obtinet. Ita etiam ea ferme in locis offensa nunc brevi et innoxie cedit, quae diversa occasione summum discrimen habet. Ut igitur simillima prope res varie accidat, par-

tim ex eo, quod extus advenit; utpote ex mutabilitate et regnantium morborum genio, partim quoque ex aegrarum tunc temporis ipsa opportunitate.

Quibus reliqua corporis membra, iisdem utique morbis obnoxia similiter muliebria sunt: laesionis, aberrationis, ac tumoris vario generi; phlegmoni, suppurationi, gangraenae, sphacelo, necrosique. Uterus porro, ceu viscus cavum ante caetera aliis patet injuriis: nocivarum in se rerum congestui ac retentioni; spasmis; sensusque visque contrahendi sese omni privationi; quae uti saepe haemorrhagiae causa, sic non raro illius est effectus et consequentia, quamque pariter ac ipsum fluxum, ni subito ac per se fuerit lethalis, cum maligna phlogosi vel sine ea febris puerperalis sequitur, subinde parva, aliquando nulla apparente congestione; quasi fere post largam profusionem pro formanda colluvie desit necessarius humor.

Non modo in iis exemplis, ubi topica noxa febrem excitat, illiusque aperta causa est, verum etiam, quando miseria partis a febre provenit, febrisve per accidens injuriam loci alia forma comitatur modoque, ac pro dignitate partis in simili offensa consuevit; sanatio morbi generalis potissimum inde pendet, ut ante omnia rectissime instituatur curatio loci. Quivis enim in hisce omni studio arteque mulcendis vitiis neglectus; quivis in rebus, quae morbum loci opportune et citissime ad salubritatem

redu-

reducant, commissus error, naturae et artis in sanando morbo universali omne conamen, omne opus fallit. Sed par exitium sinistra febris cura afflictioni partis infert; ut vix in alia aegrotatione, sicut in hac, tam necessarium sit, in universo tractationis et in illius omni puncto fere utramque artem diligentissime inter se conferre, mox illique accomodare hanc, mox illam huic: ex mutabilitate nempe passionum. In quo forsan culpabitur, res citra verum irretiri a nobis. Sed immerito. Adjicimus contra, idem etiam de aliis febri huic interdum junctis vitiis confirmari: de parotidibus, de tumoribus, et varia inprimis phlogosi artuum et articulorum.

Quare in omni febre puerperali quam maxime oportet, ut topicas genitalis, ac si forte adsunt, affectiones quoque aliarum partium in tota sanatione ita percuremus, quemadmodum ob vehementiam et praeceps discrimen morbus universalis jubet, topicus sinit: apto scilicet remediorum delectu; fomento, cataplasmate, enemate, injectionibus, aliisve accommodis auxiliis; ad mollitionem doloris quippe, et obtundenda, vel amovenda irritamina; dein ut pars vexata sopiatur; induratum mollescat; quodque inflammatum est, uri salubriter desinat. Quae si forte non possint fieri, at locus tamen et membra ferant; fovenda suppuratio, corruptio secernenda, et in cicatrices ducenda laesio est.

CAPUT QUINTUM.

Febris puerperalis phlogistica.

Praeterquam quod incurrentes variae adversitates ante et sub partu ad morbos disponant; permultas etiam ipsum jam puerperium continet occasiones, unde in febrem proclives foeminae fiunt. Imo interdum morbus, ante partum inchoatus, puerperio tandem aliquando evolvitur et maturatur.

Pleraeque puerperarum affectiones tam universales, quam topicae, nisi a malignitate proveniunt, aut complicantur, ab exordio saltem phlogisticam habent indolem, eamque plurimum etiam per decursum retinent, proviso, si alioqui et aegrotatio et aegra adposite curentur.

Atqui in omni febriente puerpera primum ex causis et ortu febris rectius de illius indole judicatur, quam ex invasionis impetu, et passionum ruditate, quarum in omnibus prope febribus acutis simillimus furor est.

Equidem in sananda omni inflammatione ipsius corporaturae tenenda est ratio; attamen non ex aegrotantis solum habitu, seu ex consuetudine vitae, aliisque, quae morbum praecessere, rebus liquido conficitur, phlogistica febris adsit, nec ne; quaenam sit inflammationis indoles; ne scilicet, lecta modo ratione ad corporaturam et extranea, debilitantibus aggredi vel roborantibus oporteat. Pridem jam et in Germania primus ferme venaesectionis

eorumque, quae deorsum purgant, abusus et scelera in gravidis ac puerperis ego damnavi; atque in tot curis meis traditarum numero, inter millenas ne uni vena tunditur, aut evacuans exhibetur medicina. Nec tamen reticendum, aliquando in foeminis, multos menses in nosocomio ante tractatis, aut alias miserabiliter exhaustis, tum deforis ad nos conductis, si forte febris eas cum topica phlegmone cepit, nihil prius profecisse, quam eductis aliquot ex infirmato corpore sanguinis unciis. Phlogosis nimirum ac pura quidem, debilitata perinde corpora, ac densa et robusta corripit; haud secus, quam anomala et non phlogistica febris in has pariter naturas cadere, ac in illas solet. Interim genera illorum morborum omnemque speciem ab habitu corporis singulariter modificari, nequaquam abnuo.

Phlogosis quippe vel in toto corpore cum febre est, quin quaedam inflammatae partes subsint, vel inflammari sub febre occipiant; vel orta simpliciter phlegmone mechanico ex stimulo aut alia causa mitiore a partibus protopathice exit; similem accendens febrem, itidemque in universum corpus dissipans.

Caeterum, quae phlogistica febris est, nunquam adeo in perniciem aegri agitat, uti anomala et maligna consuevit. In his enim vero partes, fluidae praesertim, recta vergunt in solutionem lethiferam; sed phlogisticae mutationis culmen ultimam duntaxat sistit modificationem, qua animalis humor materiaque re-

cedere ac mutari erronee per processum vitae possunt, quin eapropter illico dissolutioni generali pareant.

Morbosus certe omnis status, hinc benigna quoque febris phlogistica et pura inflammatio aegrae vires quodammodo frangit; nec tamen inde necessario et ubique pessima quaepiam, et exitiosa potentiis, easque aggrediens et dissolvens ponitur malignitas. Quin imo ipsissimae, quae genuinam phlogosin efficiunt, occasiones simili veneno carent. Unde saepe fit, ut natura in ejusmodi febribus tollendo generali et topico malo non solum par sit; verum etiam ob turbatam et intensissimam vitam (quoniam illa nonnisi in praesens ubique, ac ratione crebrius vitiosa vim inter et tempus agitat), ad ipsius morbi exacerbationem damnose vehementiusque se exserat, quam quidem ad curam phlogoseos competit.

Quodsi igitur ex adjunctis rebus, ex febris genitrice causa, ex continuo robore et frequentia pulsus, ex atrocitate doloris et ambitu, dumque affectum membrum oculis tactuive patet, ex rubore illius et tensione, ex siti, calore, ac praecipue ex notitia intercurrentium morborum et temporis, morbum re vera esse a phlogosi scias, apparatum *antiphlogisticum* confestim adhibeto, secundum necessitatem utique, ne vero ex antecepta doctrina et citra moderamen; quatenus nempe auxiliatio ista ad temperandum febrem, illiusque primas et saevissimas passiones erit necessaria. Atqui

hoc fine nulloque alio *Boerhavius*, *Sydenhamus*, omnesque alii principes medici *methodum antiphlogisticam* adhibuere et collaudant.

Cujus inter adminicula supremum venaesectio est; quin tamen majus inde, quam praestat, commodum opperiaris; neque eam immodice instituas. In puerperis certe ad quintam sanguis sextamve unciam utilissime trahitur, praesertim ex pede; namque depletio ex brachio infirmat nocentius. Nec facile, nisi graviori forsan peripneumonia, repetenda sectio.

Permulti quidem intra biduum octoginta et ultra uncias detrahunt, firmiter persuasi ab locis corporis animalis perinde inflammationem, velut inundantes aquas emitti ex pratis posse. Ego certe a cruenta opera nihil unquam salutis sum expertus; exsanguia quidem corpora, nec tamen inflammata (quod ante inflammati nihil exstitit) sive hoc obvio, ex putredine ac per tot abusus, non vero ex inflammatione foeda membra spectavi.

Quidquod medicorum quidam venaesectionem solenniter repetunt, donec nullam ultro sanguis *phlogisticam* crustam contrahat. Verum in plerisque gravidis, ut in quovis valente homine, praeter omnem morbum similis in sanguine adest tenacitas, eoque magis, quo densius praesertim et solidius corpus erit. Dehinc perspectissimum habetur, crustam illam ad numerum vasorum, quibus cruor excipitur, identidem augeri. Atque etiam in adventitiis a natura profluviis idem contingere, neminem fu-

git. Dum demum crustae nihil comparet, pessimum inde, sanguinis jam nimium fluxisse, indicium sumito; nimirum, quod detrahendo cum prospicientia, quatenus cruor abundat, potuisset praeveniri, id ipsum damnum spóliatione necessitatis temere inducitur: pronitas totius corporis in putredinem, et ustae partis ex debilitatione sphacelus, quem male docti formidolosum modo ex plenitudine credunt.

Reliqua medendi ratio cummaxime ex victu promitur, in quo natura sibimet ipsa optissime providet; ut habita ad illius instinctum observantia facile plerumque fiat indicatio. Nihilominus in ambigua re natura pariter atque ars saepe in errores devortit: Instinctus namque nihil curat, quid consequatur; uti consuetudo et opinio nihil respectant, quid sit rationale.

Gelidus potus, quem aegri avide expetunt, puerperis indiscriminatim vix potest concedi. Verumtamen, tot virorum pariter ac muliercularum ex sapientia, quaecunque assumere calide, idque in morbo ab energia et aestus intemperie originem imo nomen habente; quidquod extus per communem potum corpori ingerere calorem, istud certe et ratio et morbus ipsaque natura fastidit. Optimo semper cum successu, inprimis, donec ingenue currit inflammatio, omnem potum (exceptis paucis in peculiarem finem datis haustubus) ea temperatura concessi, quae a loco aegrae, quo moratur, sensim advenit.

Communissimus potus, ab Universo animantibus cunctis largiter et gratis partitus, neque ceu alitura valenti etiamnum mortali aere gravis, simul, donec ex febre aestuat, in optissimum sibi medicamen cedit. Pura aqua vel cocta cum molli planta, additis guttis aceti et sacharo aegrae placida, optimam sistit hac in valitudine medicinam. Verum passionum vi aliquamdiu constante, inter nycthemerum, nisi nocens diarrhoea vetet vel phlegmone stomachi vel intestinorum, quadraginta grana nitri vel decies sena dari ultra per os possunt.

Tales aegrotantes creberrime inter vigorem febris cibos laute nutrientes, praesertim ex animali, nauseant, nisi consuetudo et usus consumendi moderamen naturale oppresserint. Inprimis prosunt vegetabilia, quae, posteaquam coctione cruditates deposuere, omnino debent concedi; eaque etiam appetunt passim.

Cubiculum aegrae ad aequabilem et gratum calorem continuo temperetur, et intus aëri suffimigiis saepe lustrato liberum, quoad licet, cum deforis commercium esto. Haecque simplicissima prudentia non solum in puerperarum febribus, sed in aliis etiam morbis maximum pondus habet. Atqui, quae de temperamento aquae, ceu potus ac nutriminis ad crassiorem primamque assimilationem naturali materia diximus, ea propemodo etiam de aëre, tanquam tenui maxime et ad parandum sanguen et spiritum aptissimo illo velut animali potu sunt accipienda.

In plerisque febribus ita fit, ut *excretiones* aliquae copia, vel qualitate, prae caeteris et manifestius a salubritate recedant. In quo plurimum interest, ut aberrationem ita moderemur, quemadmodum passiones ferunt, et tempus et morbi natura urget. Atque hoc verissimum est, omnes in acuta febre secretiones et excreta, donec copia et modo sic fiunt, ut justas ad compescendum morbum vires occasionesque deprimant, ne unquam in curatione ad salutem facere. Contra, ubi praeter modum et abundanter quidquam, imo insolita qualitate procedunt, viribus caeterum exinde haud notabiliter fractis, sed auctis prope, et cum aperta levatione; tum, usque ita feruntur, ne facile timeto; nec illa, tametsi modum feceris, unquam ex integro, minime autem repente opprimas.

Alvus inter febris phlogisticae initia plurimum inordinata est, vulgari enemate quam optime mollienda. Etsi postea ad sordes minus forte necessarium clysma sit; oportet tamen, prorsus sub morbo quatuor circa liquidi uncias ingerere passim, ad fovenda viscera.

Vix opus est repeti, curate respectandum ad lochia et lactis secessum esse. Lac quippe, qua fieri potest, allici in mammas, et educi, item purgamenti fluxus inordinatus, vel praeclusus restitui, corrigi et sustineri debet; utrumque vel ob mechanicam utilitatem, videlicet ut in recenti matre quivis ad congruum suum locum humor commigret, ne ex illius dispari-

tate multa occasione corpus noxam contrahat. Quapropter ubera praebere matrem, nisi propria conditio sui vel foetus adversetur, omnium est aptissimum. Verumtamen in magnis impedimentis, unde lactatio omnis tollitur, secundum alia in his libris indicata facito.

In febribus, iisque praesertim gravibus, ubi vix in mammas lac influit, attrahere illud validis stimulis juvat, quod etiamsi cesserit cum labore, continuandum tamen est, atque quidem febre vehementer maligna et certo discrimine, donec pars inflammetur, quidquod suppuret. De lochiis autem haec certa scientia habetur: pleraque ad revocandum illa aut emendandum opportuna auxilia parum proficere, nisi aegrotae pedes grato simul calore foveant. Universim nihil praeter accessum aëris et convenientem potum pariter ac temperatus et aequabilis lecti tepor negotia excretionis movet.

Caeterum, quae hucusque de curatione morbi universalis statuimus, accommodanda fere ad phlegmonem cujusvis singulae partis sunt, quatenus natura resolutionem nititur. Propterea, quidquid afflictis membris varia forma applicatur, ne nimium stimulet, sed ea gaudeat blanditie, ut acredo doloris sopiatur, tensitas relaxetur, aestusque intemperantia ab usto loco et vicinia tollatur et ad exteriora derivetur. Sed aliud quidquam est cum pultibus ac fomentis ad irritandum vel calefaciendum, sive ut maturatio sequatur.

Interim, benigna licet auxiliorum efficientia,

et felicissimo, quoad beneficia naturae, sanationis profectu, febris ista nihilominus, uti aliae acutae, nequaquam cessat, more suo increbrescere per aliquot dies, variisque passionibus ad propriam sibi indolem, et distincte ab omni alia aegrotatione, amplius evolvi maturarique. Licet vero, quoad curatio artis providentiae naturae haud obest, singulares et gravissimas indignationes oporteat tollere, seu moderari certe; tamen eapropter nihil in curationis capite et calculo universo innovandum, donec res affectui illiusque ad sanitatem approximationi respondebunt. Simul vero, atque indignatio primas ultra modum concitatas vires impetusque se remississe monstrat (brevi enim ex assidua febre, ex dolore et inquietudine, item a defectu consueti forinsecus subvenientis additamenti, infirmatum corpus iri, alioqui intelligitur) tum a paupertate victus abstinendum; e diverso per invigorantem et congruam nutritionem corporaturae providendum, quaeque processui vitae competit, propemodo sustentanda vis est. Namque quo morbus sincere tollatur, ita quidem, ut producta per phlogosin damna cum in materia solida, tum in fluidis, aut si fixa inflammatio et ad locum circumscripta fuerit, ipsis in membris vitiose congesta corrigantur, quaeque non assimilanda sunt, satis molliantur, ut parata resorberi, et amovendo una cum morbo, per meatus eliminari queant: id enim vero natura in diebus perficit. Haecque priscorum patrum dicta *cri-*

sis est, vel perfecta, vel imperfecta; qui ut saltem ego sentio, probe existimarunt, morbi materiam coqui morbumque judicari debere.

Verum ubi non tam prospere res cedit; si membrorum phlegmone et sanguinis aliorumque humorum solutio phlogistica citra modum augescit; si certa occasione varioque discrimine, neque natura, nec ars, quod brevi est nociturum, utiliter immutare potest vel educere; aliquando, etiamsi a purissima phlogosi febris perstet, congestio oritur, eoque certius, si calamitatis processus variis causis retardatur, vel ob pertinaciam ac degenerationem affectuum loci in pejus vertitur, adeoque ex phlogistica in speciem anomalae febris seu malignae nutat; qua tristi conversione eandem ferme atque illa medendi observationem poscit.

CAPUT SEXTUM.

Febris puerperarum anomala.

Nostro quidem aevo febres, nisi causa admodum materiali inferantur, raro ex phlogosi benigna sunt. Sed neque sine phlogosi malignae in communi grassantur. Plurimae nimirum febres nostrates ea utuntur indole, ut universalem ac topicam inflammationis labem obscure et cum perfidia significent, latente aliquo viru, solidas fluidasque partes mutante, vitaeque satis infenso, ut corpus diversa praecipitatione illico in putredinem vertat.

Atque quo longius morbi tales in puerpe-

ris a simplici inflammatione aberrant, eo magis absolvuntur cum periculo. Phlogosis quippe ad animantûm naturam propius pertinet, ipsaque tametsi morbus sit; est tamen, ut trepidissimis in rebus, aegidis instar, ab arte et natura advocetur, et sospitet.

Atqui ambiguus ille morborum genius nostris in terris omni *sporadicae* ferme adhaeret febri; item mechanico illatae modo. Tot scilicet adversae potentiae, tantaque et innumera in mortalium partem maximam directa damna corporaturas usque depresserunt, ut ne istud beneficii reliquerint, quo phlogistice etiamnum valeant aegrotare. Hinc non solum in corporibus excubati, sed ipsi etiam a temporum communi mutabilitate oriundi omnes paene morbi suspecta indole sunt. Idque praesertim de febribus constat, quae a quodam in aëre explicato viru, seu peculiari noxa climatis, vel a qualicunque alia labe proficiscuntur. Quorum morborum amplissimae familiae sine numero progenies et varietas est. Ac quoniam, si Diis placet, et in corporali et morali bono in dies eminenter proficimus; eorum proceram catervam nunquam non augendam fore, laeta spes manet.

Atque morborum antiquum genus hoc inter febres acutas vere phlogisticas et malignas non phlogisticas immensum explet spatium, maximumque mortalium censum ante metam naturae perimit.

Quae febres omnes pejus eo feriunt, quo

minus participant a genuina phlogosia ita, ut defectus unius excessum ponat mensuretque in altero. Verum differentia haec non tam facilis ad aegrorum lectos aestimatu, quam pro quavis doctrina percommoda dici est.

Quantumcunque enim splendens eruditio sit et agendi mos inveteratissimus, stetit tamen antiquius prudentia *ex nocentibus et juvantibus*; unde sapimus demum, quidnam sit in re, quidve juvet, quidve noceat.

Corporis externa ac interna tota facies latus campus est, ubi causa febrem producens quam maxime agitat; quod noxa membranaceas partes mitius acriusve urat, interdum etiam phlogistico dolore nonnisi vellicet illarumque vigorem citra naturam intendat vel deprimat. Attamen profundius in solidum topica prima affectio non facile penetrat; interdum imo maligna phlogosis sedem intus uspiam in superficie figit, quin pars afflicta prae caeteris morbidam prodat se, verum alia interim membra pati functionesque simulet. Aperta caeterum res est, non rem omnem, unde dolor in corpore vel alia offensa concitatur, parem esse quoque, membra a se obsessa inflammando; sicut non omnis particula, ne quaevis corporatura ultro apta inflammari, neque omni tempestate in phlogosin similiter prona est; idque in aegri aliquando felicitatem; at etiam summo detrimento saepe.

Utque nocentes illae potentiae peculiari afflictione quorumdam viscerum, et quadam con-

turbatione in illorum muneribus occurrunt; sic potius diversas formas aegritudinis quam veras species sistunt. Atque iisdem formis etiam cadere in puerperas solent, hoc uno discrimine, quod in his fatalius agitent, complicatius currant et natura perinde ac industria difficilius superentur.

Sed malo ipso magis subin exitiosus in his exemplis morbi varius aspectus, et medicorum inconstans judicium, ductaque exinde mutabilitas curae est. Quidquod compositis etiamsi circa passionem consiliis, taedet et pudet tamen perpetua in remediis et in omni tractatione disparitas.

Inter alia, quae hac tempestate praestrenue disputantur, etiam hoc affirmant, nihil nocentis in humores corporis recta agere. Sed quodnam, si subdubitare adhuc licet, asseverationis hujus fundamentum? Quarenam sanguis ab extrinseca quacunque causa non aliter mutari, quam per media solidorum possit? Sciturne de omni re nocente aliud quid, praeterquam, dum illa solidas partes infestat, ipsas attingere utique etiam? Sed attingere pariter quidquod afficere fluida, cum iisque sese commiscere etiam virus potest. Aut fortene humorum partes constituentes tam viles et vappidae sunt, ut ne mereantur corrumpi quidem? Quid secundum aliud est in natura? Et in cruoris abundantia paucas interdum circa uncias nihilosegnius cum avaritia et obstinatissime dubia movent?

Cluso in organismo omnia in semet agunt,

reaguntque, solida in humores et sanguinem, sanguisque et humores vicissim in solida. Nonne solida ipsa quondam fluida erat materia? Utraque certe in conservandis solidis ac humidis, inque omni salubritate par habens pretium, quin etiam ingrediente morbo, simul quidem ac reciproca sympathia, at unaquaeque tamen etiam pro se tenera satis, afficique capax est, ut suo modo possit offendi.

Mihi quidem videtur, principium corporis nullum esse, sed omnia similiter principium et omnia finis. Hipp.

Ridet profecto natura paradoxam illam humorum animalium inviolabilitatem, ac paucissimis saepe horis crassas non solum in primis viis, sed nobiles etiam et secretos latices miserabiliter corrumpit. Idque ipsa ex rerum continua serie et consecutione sumitur. Praestantiora quippe et ad sui conservationem necessaria elementa corpus per vasa externae cutis, et narium, et cavitatis oris et pulmonum trahit; sed rudia alimenta nonnisi praegressa, eaque varia et dura, praeparatione sibi assimulat.

Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo et reliqua respiratio. Principium alimenti et humidi et sicci, os, gula, venter. Verum antiquius et primordiale alimentum per abdomen umbilicus. Hipp.

Locus, ubi illas victus mutationes subit,

medium quasi, quod communem naturam clausumque organismum interjacet, spatium sistit, quo alimenta, diviso imperio inter conversionis animalem processum, eumque in natura universalem, qui cuncta dissolvit, in liquorem mutantur, cui, si primae hujusce atque crudius elaboratae assimilandaeque materiae modo formam spectes, in universa natura nihil reperis simile. Verum enim vero nec victus quidquam nec potulenti intrat stomachum, quin aër commisceatur deforis, ipsaque aëreum elementum contineant, ceu menstruum digestionis principale, posteaque chylo ipsi ceu pars constituens immiscendum. Deinceps quanta aëris in parando sanguine inque ipsum jam paratum efficientia? Atque si ex purissimo aethere in haec omnia tantum beneficii est, nonne noxia et deletrix erit corrupti potestas? Quanam hic opus intercessione? Anne aër atmosphericus, *gas* illud universale, cum corpore nostro illiusque humidis et subtilissima aura non tam rectam affinitatem habet, atque cum solido? Unde certi sumus, haud quidem ex se, at volumine tamen, levem et exiguam solidi particulam stupendam efformandi vim et aptitudinem possidere, ut ex fluida eadem materia, sine modo alius principii, nunc pustulam variolae, nunc scarlatinum exanthema, mox miliarem vesiculam effingere, mox maculam petechialem potis sit.

Mirum omnino est, quoniam earum rerum notitiam, quae in nobismet ipsis procedunt sim-

simplicissime, ex transcensa sapientia obscure in animum ducimus; contra, quae ferme non verisimilia sunt longissimeque a nobis remota, qualiacunque accepimus, planissime explicamus et pertinaciter defendimus. Attamen, si visus nostri subtilitas millies adaugeretur, multorum, hercle, quorum nunc confusam ideam habemus, diversus et naturalissimus foret aspectus.

Haec in decursu; quo sciatur, in tractanda febre puerperali, ut quidem ego didici, solida perinde ac fluida aequabiliter esse respicienda; tum quia humores in corporatura rerum ad valitudinem nocivarum quasi promptuarium faciunt, potius oportere, solidas partes contra noxam fluidarum, quam fluida adversus activitatem solidarum tutari, proinde alias, utrum illorum corruptio recta provenerit, an a solidis.

Omnes, quae puerperas, uti reliquos mortales, ingruunt morbi, quanquam ex toto in utrisque fere ad paria sint aestimandae; tamen in curandis illarum febribus, quibus nimirum cuique propria sua indoles et distincta proclivitas inest, multum aliter quam in aliis aegrotationibus et temperari, et curari vel omitti debet.

Quomodo enim populares plurimi morbi alia tempestate incertis passionibus incedunt varioque habitu, sic etiam, quae ab illis indolem suam habent, febres puerperales mutabili aspectu veniunt. A viginti et ultra annis cu-

riosissime inspexi in tales miseras; fateor autem, illarum morbos, si peculiarem in metastasin propensionem excipis, nullibi fere, qua unquam aderant, eadem revertisse facie.

Quaecunque demum harum febrium *deuteropathicarum* sit modificatio, juxta considerationem rerum, quae proxime ad puerperia pertinent, inprimis respectandum, ne febris cum topica phlogosi jamjam ingrediatur, an sub febre superveniat ea; quaeque membra inde functionesque cummaxime inveniantur turbata.

Istae febres non minus in accessione quam in decursu infidissimae fallere mox impetu, mox subdola lenitate. Medicus quoque familiaris cum iis, non quidem statim in ingressu, nec tamen sero, illas dijudicat: ex cognita nempe illarum causa et ortu, et affectione loci oculis tactuque, ex dissimili febris et virium et reagentium norma; tum sedato primo insultu: ex segnitia et infirmitate corporis, quatenus incongruens est cum passionibus. Pleraque caeterum sumpta singulatim ex pulsu, ex lingua, ex nausea et siti indicia febrem quidem adesse, nec tamen cum constantia illius genus et naturam produnt.

Phlogistica horum morborum indoles, vel ex pernicie causae excitantis, vel defectu corporis virium, imperfecte explicata, nec venaesectione, neque debilitantibus rebus aliis potest tractari. Ad summum membrorum talis inflammatio parcissimam exstillationem, eamque topicam proxime, scarificatione, vel suctu

hirudinum fert; tunc praesertim, si modice profundum itemque loco, quo derivari intenditur, vicinum vitium sit.

Jam prius traditum, dolenti membro haud simul et ubique adesse phlogosin, quae tantum accedit, protracto satis stimulo, et ad partem commensurato. Id quod praecipue de visceribus membranaceis valet, de expansionibus tendinum et latis ligamentis, quae forte propterea etiam, quod non tam multa crassaque vasa contineant, segnius exuruntur, licet alioqui a stimulo et irritamine haud immunia sint. Quemadmodum itaque in morbis vere phlogisticis, deplendo opportune venam, phlegmoni loci adversamur, seu accedens malum considere prohibemus; sic in febribus anomalis et ambigua phlogosi detractio sanguinis ex misero loco, atque efficacius aliquando imposita cantharis juxta dolens membrum prodest. Ita cutem rubefaciendo, aut irritando quidquam, saepe ad salutis spem conferimus. In morbis acutis articulorum, et substrati proxime cuti textus cellulosi, vel similis cujuspiam visceris, ut alibi jam in his libris annotavi, horumce remediorum egregius et apertissimus usus est.

Plerique tumores, qui hujus notae febres praecedunt, easve sequuntur, suspectam, mollem et informem tumentiam referunt; vel si quidem inflammatus est tumor, recedit tamen a genuina indole phlogosis: incerta nempe rubedo, et dolor initio plurimum ardens magis, quam ex benigna inflammatione consuevit; sed interdum

quoque mitior est, quam inflammatis membris convenire credas. Tandem quo malignior passio, eo minus in partis ambitu sensim diffluit rubor, sed repente limitatus, velut extinguitur. Caeterum topicus morbus, quando oculis patet, febris omnium optimus declarator est.

Sed quae intus viscera occupant, similes indignationes majus utique discrimen habent, quam illae, quas diligentia chirurgi mulcet; ac quemadmodum exterior phlogosis ad designandam naturam febris facit, ita prope inflammationes, quae intus sunt, ex febre cognoscuntur.

Internae hujusmodi phlogoses, nisi prope ad genus pertinent simplicium, vel natura, arteque sensim perducuntur, nonnisi una persanabiles via sunt: resolutionis scilicet. Nulla hic benigna suppuratio, coctio nulla puris, vel quid simile ultra transire morbum in universalem putredinem continet. Quidquod externae etiam tales inflammationes ne unquam laudabiliter suppurant, sed *sphacelantur* ferme; atque in vasta miseriae plaga, si pars accensa nobilis, neque tumor vel ulcus apta medicina extolli ad laetiorem phlogosin patiens est; corruptio increscit intra paucas horas, ut nihil porro ad salutem fiat. Tum mors itidem, ac confecto aliquo intus membro, confestim obrepit.

In exemplis etiam est, quae a natura adveniunt, damna perinde fere, atque inditum arte miasma, primordio in corporis minore aut latiore plaga aliquod tempus morari, ibique ma-

turatum, vel illata prius in obsessa loca pernicie, in reliquum commeare corpus. Tunicae organorum respirationis, pleura praesertim; intestina, tendinum et musculorum aponevroses, ligamenta item et velamina ad articulos, inque gravidis puerperisque viscera sexus, infelicitati huic saepe subjiciuntur.

Quodsi vero in hisce focis cum solidarum partium tum fluidarum susceptum virus aggredi, infringere, seu omnino expellere licet, antequam penetralia corporis intraverit; morbum quandoque in ortu suffocabis: saltem, ubi topica noxa nondum descendit ad perniciem, melior manet sanandi spes.

In qua nutatione crebrius ipsa sibi natura, sive vomitu spontaneo, sive largo sudore, vel alia quadam excretione fortunaque in tempore opitulatur. Ubi vero deficit; oportet medicum ex prudentia illius exempla sequi, similique, uti potest, subvenire auxilio.

Unde alioqui scitur, cur inter morbi initia nonnunquam, quod sursum purgat, subin, quod sudorem pellit, tum quale alvum movet, medicamen prosit; quare interdum venaesectione, aliquando imposita cantharide aliasve cura prosperet.

Quaecunque vero in affectis locis ad antevertendas seu tempestive levandas passiones fieri ex arte chirurgi queunt, haec recta et per se procurare impotens natura est; totum et omne opus convenit industriae. Interea dolendum, ad suppetias has tempus festinare saepe.

Verum enim vero ex cunctis, quae in puerperarum istis morbis solent contingere, clare elucet, vim animi maximopere affici, item solidas partes fluidasque tantum immutari, ut a sueto et ad vivam animalitatem necessario vigore recedentes protinus in dissolutionem vergant, cui animalis omnis materia, simul ac muniri vita cessat, illico succumbit. Tum fit, ut extrema collidant: viva videlicet materia citra ultimum consistentiae suae nihil potest vel progredi, neve reflecti, quin prorsus in aeternum recidat alterum circulum, quo destruit natura. Tum occumbit quippe materia necessitati putredinis, quod aegrorum excrementa, sudores, lividae plagae, ipseque halitus; post cadaveris foetor et velocissimum deliquium horribiliter ostendunt, ut inutilis sermo sit.

Atqui contra sui internecionem, contraque destructionis fatale robur tueri se natura accingit, accelerato, citraque normam agitante processu vitae; accensa nimirum febre: virium nondum devictarum oppositione, vario intercessu, et molimine; quo nocens avertere, obtundere, subigere, sicque normam organismi et proprietates resumere valeat.

Atque in hoc medici quoque, tanquam naturae ministri, facultas et officium posita sunt, ut erigenda febre, vel demittenda, cum recta virium sustentatione, justoque secretionum excretionumque moderamine; item expellendo noxam materiae vel emendando saltem; illiusque demum, quod salubre superest, apto tuta-

mine, ad tollendam aegritudinem prudenter conferat.

Verum maximam non solum naturae, sed arti etiam in hoc morbi et sanationis periculo difficultatem topica vicissitudo et primorum viscerum suspecta phlogosis parit.

In omnibus paene puerperarum febribus atque in illis etiam, quae ab initio rheumatica erant indole, summum phlegmonis discrimen, praeter genitale, quibusdam praesertim membris in abdomine et pectore est.

Sed quandocumque intra morbum graves istae affectiones loca obruunt, sive initio febris seu in decursu ocyus serius; omnium prima indicatio in illarum mitigatione ac sensim instituenda ablatione stat. Qua in re de laxandis quoque modo viribus cogitandum nullatenus esse, supra monui.

Quodsi igitur summum fortasse topicae passionis venaesectionem desiderat, id etiam aliquid est, ut sanguinem trahas ex minima laesione. Utque illa, quae ad externas tales phlegmones adhibemus, nisi tumor stimuli omnis impatiens sit, aut ex maxima prima tensione vehementer doleat, invigorante modicum ac calefaciente vi debent pollere; ita quoque remedia, quae contra profundas phlogoses extus, forma epithematis, et inunctione, et vaporibus administrantur, iisdem viribus praesient. Ipsa imo ad sustentanda munera affecti visceris, ad secretionem praesertim et excretionem, item ad eliminandas inde nocivas materias im-

pensa pharmaca, haud nimis stimulent, ne ruditate vires corporis ad exitium premant, sicque non tam morbum constringant, quam naturam. Quos in errores maximopere praeceps itur, ubi morbus primis viis inest, aut inesse ex fallacia creditur.

Permulti in tractatione horum affectuum perpetui in expurgando intestina laborant, similiter, ac si ubicunque tubum dixeris in homine, subito etiam everrendum quasi in cuniculo sit. Ita aliquando praesente *meteorismo*, item alvo cruenta et *tenesmoidea*, curam ordiuntur a crudis purgantibus, iisque, donec aegri sunt hauriendo, continuant.

Atqui stercoreum istuc studium ex impuritia oris probant. Certe enim vero in sanissimo quoque homine ab assumpta omni, quae laxat, medicina lingua muco tegitur, et nauseosus sapor fit. Universim oris ille mucor a generali verius aegritudine ipsaque a febre videtur provenire, quam recta ex cruditatibus ac colluvie in stomacho et intestinis. Nos certe in cadaveribus puerperarum, quae alibi plures per hebdomadas, imo menses, parcissimo victu se trahebant, quotidieque insuper ob luem ingurgitare purgantia cogebantur, ventriculum penitus vacuum, simul elutaque omni excremento intestina, at spurcissimam nihilominus linguam vidimus. Atque ita etiam tales gravidae se habent, donec misere vacillant inter vivos.

Erat profecto vel id praegrave. Verum longe gravius est, quod accidit. Cum enim memoratae na-

turae, ubi sub tali victu reguntur, gravissimis occupentur febribus; qui hunc injungunt medici, nihil mihi a carnificibus differre videntur.

GALEN.

Equidem in omni acuta febre observanda alvus est, eoque magis, dum ventriculo, vel intestinis insidet morbus. Ne quid tamen in abusus, aut error in consuetudinem crudescat. Ut enim ex initio ventrem aliquando juvat liquare, sic postea, quando nimium fluit, continendi quidquam necessitas incidit. Caeterum remedia ad resolvendam alvum non solum blandissima, sed ea simul sint virtute, ut aegrotis membris et illorum inflammationi congruant. Quarum rerum haud facilis est delectus. Quidquid igitur enemata possunt, iisdem efficito; id quippe commodi habent, ut ad sanationis scopum faciant, nec tamen stomachum ac ventrem ingrate irritent, nec languens inde corpus fiat. Hoc enim alias ab assumpta per os medicina vix abest. Utinam medentium tot meminerint aliquando, secretos propemodo humores primis viis, et faeces inesse intestinis, tantum ferme ad exigendam vitam requiri, quantum opus contineri in venis sanguinem est.

Quapropter in ejusmodi aegrotationibus crebras et corruptas dejectiones caute moderari oportet; namque a diarrhoea haud licet diutina, praesertim superveniente vomitu, fibrarum ventriculi et intestinorum compages et cohaesio infirmatur, sive uticumque alias a sanitate abigitur; unde fit, ut illa viscera, laten-

tis in se materiae, et aëriformium principiorum vi expansionis non longius resistant, seu alioqui ipsamet se in naturali ambitu haud longius queant continere, sed mox dilatentur ex meteorismo, quocum maligna simul collectio saepissime instat.

Hac rerum calamitate noxias excretiones cum internis auxiliis tum exteris idonee praevertito. Quo fine juxta opportunum ad diaphoresin regimen, item aliqua ad sudorem movendum modice, seu sustinendum pharmaca, alia ferme, quae nocivos aëres corrigunt, affectisque in membris morbosum stimulum mulcent, tum similia, adjecto opio, clysmata, aliáeve forsan ad propositum aptae injectiones, una cum roborantibus, aliterve in salutem actuosis fomentis et unctionibus quam maxime competunt. Quibus in rebus magna certe prudentia et moderatione opus est, ne nocens, in meatubus perperam mutata extranea materia, vel, quae ipso ex organismo male illuc sunt deposita, subito concludantur, adeoque offensa jamjam membra novo vellicentur stimulo. Qua praecipitatione non tam ad benignae phlogoseos energiam, quam ad malignioris discrimen agitur corpus.

Istae febres saepius aliquo cum exanthemate currunt. Atque levia dari exanthemata liquet; tametsi in suspectis morbis, praesertim puerperii, raro contingant. Interim etiam in puerperis aliquando miliaria, imo in gravidis petechias observavi, ephemera modo, eaque

mediocri juncta febre. Universim plurima etiamnum circa efflorescentias cutis ignoramus, praelongo licet illarum schematismo.

Aliqua certe exanthemata ad febris ipsam naturam spectant; ex documento variolarum, febris miliaris et morbillorum. Videlicet in his quoque exemplis natura aeterno nisu procreans destruensque actuose monstrat, in plerisque se affinitate conjunctis rebus certos sibi gradus posuisse ac limites. Namque a memoratis illis criticis omniumque fere acutarum mitissimis efflorescentiis, quarum eruptione summum plerumque in omni sanatione absolvitur, ad petechialem usque febris malignae maculam, venenata exanthematum vis continua crescit ratione. Quo minus nempe phlogistici apparatus habent; quo minus organicas, distinctas, et pure quasi repletas pustulas, vel diffusas saltem, asperas quidquam, phlogisticasque papillas, totidem percipiendis contrectatione punctis, exhibent; eo pejor illorum natura est.

Deinceps, quatenus puerperae obnoxiae morbis sunt, qui ex se ac necessario hac illave efflorescentia stipantur, eatenus scilicet quaedam illarum febres criticum et proprium habent exanthema. Tum etiam eruptioni nihil objiciendum; sed illam multo magis, antequam imminens colluvies locum capit, utroque apparatu oportet promovere. In omni alio specimine, aliaque sub forma, quod febri acutae supervenit, exanthema malum censeto hospitem, vix tamen diversa, quam quae alias ad

curam febris indicatur, observatione amovendum.

Aliud harum febrium molestissimum symptoma *agrypnia* et delirium est. Vitam mortalis nempe alterna vigiliae somnique vicissitudine in binas aequales ferme dispertiri periodos natura voluit. Omne, quod animam habet, vegetantia item, oriens sol ad vitalitatis summam exertionem, suaeque ad perfruendas vitae voluptates excitat; dumque occidit, tum omne vivens somno tegit nox, et alternata requie ad posteram diem fovet et recreat; praeter aliqua insecta et praedantes bestias, quae tenebrionum more, quia lucem perhorrescunt, in obscuro reptant.

Lux quippe omnem vitam perfectiorem ad plenam virium suarum exercitationem accendit, eamque in nobis cum quodam sensu facilitatis et delectationis perducit. Quodsi autem insueto seu morboso irritamento intensius concitata vitalitas in defectu diei vigil protrahitur; mox languere corpus, et aegrotatio asperior fit. Quidni? Pervigilium ipsum morbus est, ut quaevis hora, donec ad sensum aeger percipit, quasi annus duret. Unde leviter desipere haud spernendum aliquando beneficium, quidquod reficiens auxilium est; uti etiam in communi valitudine passim citra febrem consuevit. Igitur in omni aegrotatione inquietudines mulcere adjuvat.

Sicubi vero insomnia, ut ipsum delirium, non recte ab offensa loci in cerebro, aut me-

ningibus proficiscitur, tum solum ex universo passio debet judicari, neque capax est singularis medelae. Lenit saltem quidquam ac vulgariter aquae cum aceto aequis partibus, haud calide paratum, et expresso linteo impositum ad frontem epithema. Praeterea non facile mitius auxilium modico enemate vespera cum opio datur.

Sicut vero in istis febribus, quidcumque privatione seu aliter corporaturam languefacit, oportet evitare; ita etiam, primo praesertim passionum incremento, ab omni valente stimulo abstinendum, unde in puerperis, ut in aegris aliis, similiter saepiusque nocetur, quam quavis alia ad debilitandum instructa industria. Atque tardius etiam, ubi propter summam malignitatem morbi et pertinaciam, subin ob graves dolores, ob defectum nutritionis, tum complura alia, vires apertius desinunt, caute nihilominus mercandum est cum excitantibus, ut aliquid superet, ususque medicinae et delectus pro necessitate queat intendi; alias membra, volatilibus seu fixis incitamentis mox super debitum vellicata et obtusa velut, amici stimuli ante tempus incapacia fiunt; torpentia nunc, neque aliter post, quam, quo destruantur, affici apta. Ne itaque concitari naturam insolitis, perinde atque eam sincere recreari putes. Namque ad potentias eatenus proferendas sustinendasque, ut natura sanationem et ordiri et traducere valeat; ad id aliis commodis opus est: apto cibi potusque genere, salubri aëre, ne-

cessaria opportunitate, pace animi, justo in excretis moderamine, et otii somnique norma; inprimis vero, ut nocentes potentiae minuantur seu infringantur certe; porro, ut salubria sospitentur, vitiata corrigantur, quaeque demum corruptionem habent, amoveantur. Quibus indicationibus ex parte continuatus aliquando usus infusi ex aromaticis, cum saccharo et modico aceti, quam optime respondet. Serius, temperato passionum aestu, carnis cum hordeo, oryza, *sago* aut polenta, cocta addito aceto levia juscula, dein moderatum aqua vinum, postea per vices et parvo haustu, acidula pura vina, ac generatim pro instinctu et ardore sitis, nunc mixtus ex aceto potus, nunc vinosus debent concedi. Victus, ni forte ex animali nausea sit, constet ex lauto carnis decocto, ne tamen pingui; ex coctis cum saccharo et vino fructubus; ex edulcato ad ignem cum vitellis ovorum vino; ex embammatibus, aliisque similibus. Tum etiam, urgente casu, quae nutriant, ingerenda clysmata sunt.

Per errorem omnino creditur, acutam aquam aceto puerperis in febre maligna noxam facere; e diverso optimum lactis, ut cujusvis alius, qui per has febres movetur in solutionem, humoris corrigens est. Quod valenti nutrici aut matri novae nihil sub papilla ubertatis conciliat, id ipsum propterea non desinit, puerperae remedio febrienti esse. Nae, pleraque per os assumpta aliter prosunt, neve obsunt, quam ex modo, et opportunitate?

Nonnunquam simplicissima illa medicina et in rebus extraneis observatione gravior quoque febris cedit feliciter. Attamen si diu cruciat morbus, si corruptio ac passiones pergunt increscere, vires contra decrescere; oportet acetum largius admiscere potui, liberalius propinare vinum, perque vices et cochleatim extracta vina Hungarica seu cocta Hispanica exhibere, vitamque novis et insuetis pungere incitamentis. Quibus consiliis pro mea experientia ante omnia moschus innuit, quem non ferre neminem his in miseriis memini. Quanquam enim egregiae vires camphorae sint, ubi soluta spiritu vini in epithemate vel linimento ministratur; abest tamen, ut illam intus profuisse puerperis sciam. Verum ad corrigenda aëra et inquinamenta lecti a sudore et excrementis nihil praestantius est, ut ea igitur vel ideo, atque praecipue, quod eximia sit in roborando extus corpore, haud sine damno careas.

Parum aeque utilitatis in puerperio aetheres acidorum mineralium praestitere; tametsi in aliis forte morbis salubrius agant. Quando itaque moschus deest vel ob pauperiem nequit scribi, castoreum, zibethum, ambra, volatile alcali, opium, et refracta dosi substitui ipecacuanha potest; sed nihil sunt ad moschum.

Atqui ex vehementia et mora febris organa interdum resolutione ita mollescunt, ut in elementis suis necessaria demum cohaesio et firmitas desit. Tum enim vero confugere ad similia adjuvat, quae in materiam animalem ad-

stringentem ac velut coriariam exserunt vim. Quibus ex medicamentis si forte quodpiam adhuc alia ac speciali ad vitalitatem inclaruit efficacia, prudens illud caeteris antepones. De cortice Peruviano hic esse sermonem, quis non sentit? Equidem procul absum, ut pretiosum medicamentum accidam; sed praemoneo solum, in puerperis oportere cautissime intus uti, in ejusque ordinatione cum sub morbo ipso, tum in convalescentia, primo nonnisi forma infusi aut tenuis decocti, praetentandum esse. Inflammatio, meteorismus, prima culpa; congestiones, indurationes, hydrops et similia, errore altero, ineptum usum protinus insequuntur. Interea, quod cortice per os assumendo circumspici imperitat, id idem ad chirurgica illum officia extollit summopere: virtus nempe, qua impuritias abstergit, putredinem cohibet, membraque cum vigore inflammando ad vitam roborat, intendit.

In omni genere febrium acutarum potest accidere, ut alicubi corporatura extus cum inflammatione tumeat. Similis offensio in puerperis nonnunquam labia vulvae, vel alias prope genitali plagas capit. Interea, si reliquas indignationes, praecipue affectum prius membrum, aegritudinisque totam indolem salubriter mitescere cernis; quodsi loci ipsius non tanta est praerogativa, ut in omnem eventum res vertere in perniciem queat; novae alienitati nihil opponas, sed potius recta subvenito; deinceps, ut decet, persanato. Enim vero ingruente

tali

tali passione majus damnum praepeditur saepe, tolliturve.

Sed gravissima ac pertinaci febre, si scripta hucusque observatione aut meliore fortassis, tantum ea coërceri nequit, ut contingentes in corporatura mutationes ad salutem verius conspirent, quam in destructionem; quando ex topica vitiositate partis vel hac abscondita, ex turbatis saltem functionibus, omnique aegritudine subsenties, topicum morbum non properare satis ad salubritatem tempeste; in conflictu rerum utique nihil amplius tuta est mora, ne in cavum quoddam vel plagam sanies irruat. Namque ut primum in omni, quae puerperam cepit, continente febre, quacunque caeterum forma et typo, in corporatura, et in communibus, et in propriis recenti matri humoribus talis obvenit mutatio, ut in efficientibus suis principiis eorumque mixtione ab norma et indole, quibus ad naturam animalem maxime constituuntur, erronee devortant; tum enim vero lethalis illa congestio, criseos haec quasi calamitosa species, necessario occupat.

Quo discrimine praesertim oportet, ut secundum certas indicationes justoque tempore naturae validis stimulis occasionem commodemus viasque, quibus ea materiam summo periculo intus paratam descendere, aut jam inchoatam congeri, per emunctoria utriusque superficiei (aucta nempe transpiratione), per meatus urinarios, item per uterum et vaginam expellat; atque quidem, ut *Celsus* monet:

Quo celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia, etiam cum quadam temeri ate, rapienda sunt.

Ad quem finem emetica utiliter faciunt, inprimis ipecacuanha, parva dosi, opium, moschus, ante omnia vero temperata antimonii calx, aut alia movere sudorem apta hujus metalli praeparata. Horum quippe egregiam vim agyrtae pridem jam rectius videntur dignavisse, quam plurimi hodie etiamnum medici faciunt. Sane ad confirmandum illud pharmacon, narratis in secundo libro historiis, post tot amplius annos, centum subjungi exempla praesto sunt; sed nihil est, quod admovet.

Interim saepe neque hoc, nec quocunque alio modo ad optata pervenitur, dum nempe malignitas, seu morbi omnis natura, vel loci etiam afflictio tanta est, tamque in perniciem properat, ut ex rerum ordine medicationi non ultra locus sit. Tum omnis alioqui prudentiae ad sanationem praeclusa est via; strictaque nunc cura mulcendo solum, id parvi restat, ut sine perspecta cognitione de celata potestate clusi neque descripti organismi non desperemus, tametsi haud frequentius in hoc fine fiant miracula, quam in infinito prodigia.

Quando igitur colluvies praeverti nequit, seu, quod assolet, illius ne qua forte intraverat suspicio, humor, ut in praecedentibus indicavi, creberrime in ventre considet; idque citius in malignis et acutis; lente seriusque in non tam perfidis, mitiusque moderatis morbis; intenso

tum et dolente abdomine, atque ita quidem, ut ventris ista mutatio colluviem sive praecedat, sive, ex quo sanies influit, accedat, sive tardius, illa quippe jam dudum deposita, superveniat. Idque etiam de inflammatione est tenendum, quae similiter vel praecedit collectionem vel comitatur, sequiturve. Fit verum etiam, ut absque omni vera et manifesta phlogosi irruat sanies.

Collectione in his febribus unquam facta, si neque natura resorberi liquor, nec per artem a chirurgo potest educi, malorum vitaeque finis proxime instat; quin imo, ubi ab miasmate universali processit morbus, quod uti alios mortales, ita ex casu quoque puerperam infestat; hanc tamen ubique, quam caeteros, quoniam puerpera est, citius interimit.

CAPUT SEPTIMUM.

Febris puerperalis maligna non phlogistica.

Etsi multae perscriptae usque affectiones ob malignitatem, item ex ipsa adjuncta phlogosi, naturam et artem eludant, brevique trucident; eae nihilominus, quae sine omni phlogistica labe tenent, preniciosae febres majus multo minantur periculum et velocius illis in destructionem tendunt. Quemadmodum enim in *benignis non phlogisticis* morbis natura maximam partem ad sanationem sola tribuit, arti ferme praeter victus rectam procurationem nihil relicto; sic in *non phlogisticis malignis* fe-

bribus creberrime nec natura quidquam nec industria proficit.

Hae febres ex eodem fonte, quo malignae phlogisticae, oriuntur; attamen, quin de intercurrentibus morbis necessario participent, infestae singulariter puerperis sunt.

Permulti medici et obstetricantes febrem puerperarum absque phlegmone inter paradoxa habent. Non est, quod objiciam. Quilibet nempe suo modo videt et obscuratur. Subnego tamen, ac per exempla quidem, quod alienitas illa, quae in quapiam gravida ex acuto, sed non satis observato affectu, vel lento etiam, quatenus nullibi in corporatura, nec in ipso utero vel juxta potens et conspicua turbatio praecesserat; post autem ex eo vitio clam corrosa constitutione, ac excluso dein foetu, malignam brevi vehementissimamque febrem accendit, (sine phlogosi puta, contra membris ab inflammatione usque intactis) eaque demum, quae nonnisi post depositam saniem, in corpore ac interdum in singulo membro, ad mortis ipsumque ingressum, supervenit phlogosis, confundi cum acuta febre ipsa debeat, quae congestionem proprie ac per se induxit, confirmavitque. Haec animadversio ad artem et curam affectionum in partibus, ipsiusque febris summopere pertinet.

Ejusmodi febres saepe perniciosum exanthema primordio socium, vel subsequum habent: petechias, maculas, malignam scarlatinam, cum virium non ultra firmandarum lapsu,

ac manifesta corporis ad putredinem approximatione. In permultis tam graviter febrientibus, paucis post illarum adventum simul atque obitum horis, omnem cutem foedatam vibice, petechiis, et flavere et nigrescere vidi.

Quarum febrium horribilem scenam breviter sic habes: incidit puerpera repente et graviter; sustinet paucos dies et moritur.

Profecto, si modum reputamus, quo execrabilis febris ista sanissimas florentissimasque foeminas subito sine omnique cognita causa corripit, sparsa confestim super toto corpore macula, vix dubium est, forinsecam perniciem cutis poros et vasa perinde ac infinita lumina intus penetrare, sicque opportunam ad suscipiendum virus ex gestatione et puerperio corporaturam illico evertere. Hic quoque origo, et infectionis primus locus non una discreta plaga, neque viscus modo, sed corporis universa facies, totus organismus est. Quidquod destruens horumce morborum tam repente, tantaque se exserit vi, ut naturae ne quidem excitandae phlogoseos maneat facultas, seu excitatam forte maturandi, tempus. Transitus quippe in solutionem putridam praeceps adeo est, ut humor illuviei paucis horis magna jam copia sit congestus, quidquod locorum rerumque malitia ultima ne quidem naturae id restat, ut par solummodo saniem colligendo sit.

Eadem prope pernicie vel tristiori febris est, quae gravidi uteri ab putrescentia et exit, et alitur. Cujus morbi fusius primumque no-

tati a me scientia hanc dissertationem necessario complet; quapropter, ne quid fastidiose resumam, remittendus ad loca lector est.

Quia igitur nihil exstat, nec quid erit unquam, quod febrium malignarum venenatam vim in corpus recta destruat; oportet, ut, nisi ab initio sponte natura sive per artem inducto vomitu, vel effusione sudoris vel aliter virus, una cum corruptis eo primum humoribus, tempore opportuno eliminetur, aliave quavis pactione reddatur innocens; contra perniciem illiusque effectus et damna instituamus saltem. Verum tamen quaecunque in febribus malignis cum phlogosi ad virium sustentationem, item ad sospitandum a putrido serviunt, ea certe pro passionum morbique varia indole plurimum etiam in hac indicantur miseria, atque intensius quoque: ut corpus non tam ad phlogosin loci, nisi quatenus competit forte, quam phlogistice verius et generaliter ad energiam exstimuletur.

Raro interim, quae tam graviter patitur, sanatio aegrae praemium tantae procurationis est. Evanidae nempe sunt corporis vires, quarum defectione minus, quam congruit, sospitata, et a pernicie ipsa contaminata praeter modum materia universae corruptioni tanta vi ac praecipitatione subjicitur, ut necessariae cummaxime ad vitam conditiones, exitio longius resistendo impares, evertantur et concidant. Tum fatiscere alia functio post aliam, ad ultimam vitae usque; tum vitae finis est: *Avolavit a corpore spiritus.* Aliquot etiamnum momentis

pallida est forma, nec brevi quidquam manet, unde, qui supersunt, non horreant, juxta memoriam forte, vivam ipsam aliquando *fuisse*. Superbiens non ita pridem, perinde qua sorte steterit, in saniem et aëra resolvitur, quaeque superest terra, reddenda terrae est.

Neque tamen omnis tametsi gravis puerperarum febris in mortem desinit. Rarius certe, sed tamen aliquando, citra omnem exspectationem ad salutem convertitur. Qua laeta mutatione decrescentis mali, et ipsius convalescentiae haec observatio est, ne ex vitio regiminis vel alio errore gravis fiat relapsus. Ubique id maximum teneto, ut per congruum victum potius quam per varias medicationes coalescat salubritas: longa videlicet in lecto mora, frigoris aliarumque noxarum fuga, competente viribus cibo, facili digeri et ex animalibus potissimum; moderato usu vini probi vulgaris, tum passim extracti generosi, aut alio potus fermentati genere; somno et quiete, animi ad hilaritatem motu, excretionum justa temperie, commoratione in afflato puritia aëris cubili, tum modica agitatione in libera calore et solis radiis mollita luce; sol enim, quodcunque vivit, recreat sospitatque.

CAPUT OCTAVUM.

Epilogus.

Ex dictis hucusque satis probatur, in omni puerperae morbo ad permulta esse attendendum, quod quaevis indignatio variam ferme

curam postulet. Cadit nimirum hic omnis febrium nomenclatio docta, et generalis quaeque ex lubitu constructa, fluxaque methodus. Sed oportet, singula, quae affectionem sistunt, ac circumscribunt, praecipue omnia loci externa internaque vitia membratim disquirere, illorum possibiles exitus cum morbo principali comparare, ac quidcunque efficacissime mulcere eas aut sanare valet, tempestive invenire et persequi.

Eveniunt quippe in aliis quoque mortalibus cum benignae, tum malignae topicae inflammationes, quae, tametsi non felicissime judicentur, nec tamen semper inferunt mortem. Secus vero accidit cum inflammatis membris in febriente puerpera; etenim qui aliis in aegris haud exitus pessimus est: suppuratio, (si noxa saltem neque nobilissimum viscus occupat, nec reclusum pus manet) imo ipsa, quae simillima puri est, materiae in corpore coctio, qua plerumque natura in acutis, tametsi nulla singula pars laboret, devincere morbum consuevit; in puerperis majus habent periculum et ad salutem vix faciunt. Alios mortales plerumque, ut suis vivunt integre viribus, arripit noxa; corpora illorum, ante nihil infirmata, insidiis resistunt fortius, luctamque diutius sustinent, quam graviditate et partu eorumque subsequis necessitatibus nunquam non debilitatae puerperae. Hae videlicet in recessu a muliebritatis summo fastigio, quo difficultates patientius ferunt, minus iisque affliguntur, posito nunc foe-

tu, omni patent aegritudini, magisque obnoxiae sunt. Quippe quidcunque agitat damnose, in illis ad evertendam sanitatem vitamque materiam promtius et suppetias offendit, quam in hominibus aliis. Quin imo idem tempus, cunctaque, quibus ad salutem vulgo natura utitur, advocata praesidia, haec ipsa in puerperis adducere socia sibi et in exitium aegrae convertere morbus potest.

Interea in rebus, ad graviditatem pertinentibus, tum ad partus et puerperia, si pleraque modo ad naturae simplices ritus et fines instituuntur; puerperarum passiones sine dubio occurrerent rarissime. At ipsa jam sub gestatione plurimae obnoxium sibi morbis et difficile puerperium ipsae parant.

Non equidem, ut olim, adeo venaesectionibus infirmantur purgantibusque; attamen pro illis ineptiis repetito nunc ad luxuriam clystere, utque elegantia invaluit, frequenti praesertim et diutino ante partum balineo, item levi nimium, at nunc rursus constricto improbe, nec formae corporis, neque climati accommodato vestitu, copiosa nec minora in se detrimenta contrahunt; ne scilicet proscripto uno peccato stultitiae non novum mox sequatur cum pluribus. Ita genitrices hominum perpetuo a naturae commodis et usu devortunt longius; ita ex falsa mollitie vix demum sentiunt, nihil sentire se, nequidem naturalem sanctissimumque instinctum, ut praebeant proli suae. Hocque stigma foedissimum in cordibus maternis ne

explere communissima potis mens est, quia jam pridem ex fallaci sapientia occalluit animus. Hinc plures ubique ex promptis morbis ab consuetudine pereunt, quam ex necessaria sorte intercurrentium aut regnantûm febrium, quin imo a caeteris injuriis alioqui haud praevertendis omnibus. At suntne fortasse a damnis similibus et in universum ab epidemia et contagio immunes puerperae?

Principium epidemiarum atque contagii, tametsi nobis exitiabile, generali tamen rerum comprehenditur ordine, pro terrifico exemplo, materiam nobilissima forma et ad supremas vitae profectam subtilitates, quantocunque eminet fastigio, ut pleraque creata alia, subjectam universo Numini esse. Quippe natura illatis hujus generis stragibus, uti suam in destruendo corpora potentissime vim et majestatem monstrat, ita illimitatam se et benignissimam valentissimamque exhibet, in iis progignendis.

At iniquum foret dicere, tantum esse ejus in illa re tyrannidis, quantum in hac beneficentiae. Quin homines naturae imprudenter antevertendo, suas sibi adversitates verius ipsi parant. Quae enim ex aëre, vel aliis rebus extraneis gignuntur, nec frequentes noxae sunt, nec pertinaces; plerumque etiam nonnisi paucos feriunt. Heus! Plurima, maxima damna mortales propria culpa cruciant, modo nempe, quo illa arcessunt, movent et sustinent.

Hercule, homini plurima ex homine sunt mala.

PLIN. N. H.

Ipsimet exacerbant lues et propagant et in endemias vertunt, epidemicumque virus mox in contagiosum acuunt. Ipsi saepius absque omni inclementia coeli, in summis mortalium institutis haud scrupulosius, quam in nugis, perniciem ineptia sua inferunt, cujus postea tristes effectus stolide pestilentiae aëris adscribunt. Virus enim populare (missa interim vox sit) atque epidemia immensum distant. Istaec extrinsecus advenit, illud intus in hominum corporibus gignitur.

> *Ingens naturae beneficium, si illud in injuriam suam non vertat hominum furor. Dici etiam de ventis potest; adeo quidquid ex illis utile aut necessarium est, non potest his repensari, quae in perniciem suam generis humani dementia excogitavit.*
>
> SENECA.

Quilibet epidemicus morbus, quod saepe didici, ni ultima paupertas, necessarii omnis defectus, incuria, inscitia, miserorum congestio, illorumque tractatio nequissima pestem alant, alioquin obtunditur ac semet ipse exhaurit. Ubi vero communis labes centum homines corripit, paucis post diebus eodem prope translato morbo, pari vel majori malitia, mille decumbent; quia omnis contagio, donec ad ultimam pervenit intensitatem, ipsum, unde ortum traxit, principium vehementia superat.

Quodsi demum per singularem perplexitatem regnante noxa et malignis febribus duplo major triploque aegrorum numerus in loco

accumulatur, qui salubri etiam tempore ne sporadicis morbis et vulgaribus suffecerat commode; tum perperam a venenato aëre deduces calamitatis summam, vel cum prudentia naturali miseriae imputabis mortes; sed vituperia artis et sordidissimae administrationis technas habeto.

Ita alicubi in angustis et depressis cubilibus aegrorum millia et inter hos (vix quidem credibile est) gravidas et puerperas quatuor, imo senas, uno sub stragulo, valentes, aegrotas ac necessario saepe mortuasque commixtas vidi.

Vix melius post in amplissimo alio valetudinario complures pessime febrientes puerperae, proprio quidem quaevis lecto, at brumali tempore in duo cubicula congestae, morbidae item et sanae inter sese decumbere atque demori debebant; quum praeterea, ut lignis parcerent, nullum novum cubile aperiretur, ne quidem eluta et satis exsiccata concederentur lintea. Dî vostram fidem! Tum stulti de effluviis coeli queruntur. Vertere primum ante fores est.

Num orbis terrarum non satis amplus? Vel lapis et asseres desunt? Estne, ut mille aegri halicum instar in angustia compacti, minorem sumtum praeter aliquot fortasse orgias lignorum poscant, quam in plura dispersi spatia? Anne nosocomiorum infesta febris, nostro politissimo aevo vix non ubique jure civitatis donata, amplius plures perpetua strage homi-

nes, quam ipsa pestis, cunctaque genera luis rapiat? Quilibet enim vero *typhus nosocomialis* in hominum ignominiam furit. In priscis medicis istam caedem vix reperies; at barbara illi et rudia vixerunt tempora!

Paucissima, hercle, mortalium pars morbis perimuntur, qui in se cadunt; plurimos vitia necant, quae ipsi sibi consciscunt; quod neque brutum facit; aut quae ab aliis inferuntur, quod ne brutum patitur. Ipsa utique natura nec quemlibet surculum increscere in arborem sinit, nec omnem seniles annos attingere juvenem; atqui tamen sanus paene omnis homo longaevitatis, naturali nonnisi morte finiendae, innata semina gerit, ad quam adipiscendam innumerae orbis fertilissimi plagae largiter suppetunt. Verumtamen quo fato ipsimet nostram alioquin ad breve tempus commensam vitam amaritudine condimus, praescindimusque? Patimur, ut vivamus, vivimus, ut patiamur?

DE FLUXU QUODAM SANGUINIS IN PUERPERIS ANTE INCOGNITO.

Ferme semper ad duos fines militamus, alterum hominis, alterum artis: quorum alter obscurus est, alter scientiae determinatus. Opus est autem in utrisque his etiam fortuna. HIPP.

Moratum in pelvi caput foetus, dum per exitum agitur, tensio partium atque inprimis pressio perinaei obtinet, donec transgressum per genitale est. Hac parturitionis epocha accidit subinde, ut in labiis, seu vagina uteri, quin illius externa tunica simul laceretur, altius vel profundius, ac procul labiis et perinaeo vel propinque quoddam vas rumpatur; unde suffuso sanguine in alterutro labio vulvae aut infra tumor oritur. Similis noxa, illiusque curatio nil novi habet; eapropter attrivimus modo.

Excipit vero alia interdum laesio in his partibus, diversa facie et majori metu, parientem, quam nec veterator in arte, nisi evenire posse praedoctus, tempestive dignoscet. Cujus rei simplex, et historiis firmata expositio fortasse acceptior erit, quam quaevis erudita qui-

dem, sed ad rei perspicientiam neque utilis, nec accomoda satis adumbratio alia.

Sana, et plena succi mulier, viginti annos nata, prima vice, id quod ajebat et videbatur, ventre gestans, ante biennium in instituto solita magnitudine foetum per naturam et facile exclusit.

Brevi post infantem vehemens sequitur haemorrhagia, intra quam secundae exeunt, utero super os pubis admodum compacto. Rebus caeterum congruis, nec remittente tamen ad omnem opem fluxu, necesse inquirere erat. Deprehensa quantitas concreti sanguinis in vagina; cujus inter grumos obstetrix digito indice supra in vaginae dextra parte, ad trium circiter digitorum ab infima ora latitudinem, in rotundam, laceram, vix apicem digiti recipientem rimam veniebat. Inde sanguis evidenter erupit. Supra rimam ex eodem latere ingens tumor erat, totam paene pelvis supremam regionem, ac partim etiam spatia ultra pelvim occupans; ita, ut digito ad os uteri, et ad uterum ipsum occlusus accessus esset. Aegra ob largum dispendium fracta viribus. Injecto tamen in vaginam liquore, et continuato usu stypticorum, profluvium sistitur, nec quidquam in praesens periculi erat.

Elapsis aliquot horis, damnum posse tuto indagari ratus, ipse digito experimentum feci. Res fuit pro dictis. Attamen veritus, ne foemina alioqui debilis, scrupulosa exploratione novo discrimini exponeretur, omnem plagam nondum definivi. Libera caeterum a doloribus

mulier erat, nullus genitalium extus tumor, nec in colore naturali quaedam mutatio.

Tertio demum die cutis labii dextri cum parte clunis usque ad anum livorem ex suffuso sanguine contraxerat, sine ulla fere intumescentia. Decreverat potius intus tumor, dolens nonnisi ad contrectationem. Multum etiam nunc e vulnere foetida sanies, et corruptum serum cum cruore manat.

Repetito examine, indice in expletum cavum sanguine, partim in grumos coacto, partim dissoluto, veni, cujus altitudinem et circuitum emetiri digito nihil licuit.

Magna ichoris reclusi copia, presso ad vaginam digito, aut congruente cubitu per laceram nuncque suppuratione et putredine ampliatam rimam fluxit.

Sed vix de ineunda cura prius consilium erat, quam de vastitate mali planissime constiterit. Applicato igitur primum *cereolo*, hinc quo solemus in viris uti, cathetere, tandem ad ferendas in uterum turundas ductore nostro, attoniti omnes aspeximus, instrumenta ista quaquaversum, quamque longa sunt, in cavo tractari, sine ullo aegrae sensu. Quin imo morantem in cavitate anticum catheteris finem, aut ductoris, quum sursum tendebatur, undequaque sub cute, juxta supraque ilei marginis processum superiorem, latissime moveri manifeste et vidimus, et digito sensimus.

Apto situ, temperatis injectionibus, ac, quae purificant, aliis medicamentis, cum lauto

cibo

cibo, et vino et decocto corticis, miseram in quartam septimanam traximus. Quidquod plaga per decem et quatuor circa dies bene suppurante, mulier habitu et viribus conspicue proficiebat, licet inter illud tempus duae ingentes laciniae telae adipalis ex angusto ore immensi ulceris partim sua sponte, partim extractae cesserint, alterutra, pollices duodecim amplius longa, ac medio in ambitu supra quatuor lata. Tum vigesimo circiter die languescere suppuratio, segnius manare ichor, rarus, acer, et multo colore. Brevi post, versis repente in pejus symptomatis, aegra moritur.

Facta lethati corporis sectione vaginam a latere dextro vicinis partibus nullibi cohaerere visum; adipe ac tela cellulosa musculos psoam, iliacum, item ani levatorem inter et peritonaeum, omnique alia, quae dextrum renem tegit, ex corruptela et suppuratione consumpta pinguedine. Illaeque partes tristi quadam, et tam eleganti puritia oculis se obtulere, ut nemo anatomicorum praeparare sciret subtilius. In fundo horribile antrum saniei et cruoris vim tenuit.

Atque ex hoc, quem nunc descripsi, morbo, similis mox, plures ante annos, a me tractatus in memoriam rediit. Illo tempore ruri penes amicum eram. Per occasionem a me petiit, visere in propinquo aegram rusticam. Dum cesso, perducens homo narrat, eam semper valentissimam, impigram ad labores, et laeto animo fuisse; ante septem hebdomadas tertia vice peperisse; ab eo tempore emaciari.

Misera posthac idem docet, addito momento: in ultima partura, alias haud difficili, post proditum infantem mox passam se fluxum sanguinis esse, adeo, ut ab obstetrice imposita sibi in ventre lintea cum aceto fuerint; abhinc dolores et cruciatus in corpore nunquam desivisse; jam vero ex spe sua finitum iri, quod se confectam sentiret, atque penitus nosset, moriendum necessario ex putrido in utero fore.

Explorari facile sivit. Dextra perinaei parte illico obvius magnus et inflammatus nonnihil tumor erat, certa cum fluctuatione. Digito post sub pubem lato, duos circiter super os vaginae pollices rotundum tuberculum, cum parva fovea, offendi. Eaque particula vehementer doluit. Vagina multum puris et saniei horrendo foetore recludebat. Uteri collum cum reliquis partibus sanum.

Petii ab aegra, ne ex dolore curiosam indagationem recusaret; neque fecit. Nunc indice per parvum tuberculi foramen in verum cavum penetravi, quod longius circum excurrebat, quam ut finire illud digito possem. Os sacrum nudum et cariosum sine dubio sensi. In cutem perinaei, inque intestinum rectum vis corrupti puris gravitabat, nec pressione, nec situ ex dilatata tametsi aliquantum rima prodeuns. Aperturam ex adverso fieri mulier, et vehementius maritus horruit. Neque mihi ingratum erat; invalida alioquin sustinere aegra. Quapropter citra consolatia et mores nihil au-

xilii potens, ad mulcendam tantisper miseriam, quatenus suppetitavit, consului, ac discessi.

Atque isthaec affectio similem certe, ac prior, ortum habuit: propterea etiam primum perscriptae protinus subnectere volui. In utraque scilicet cujuspiam vasis sanguiferi laceratio in vagina, proximave cellulosa contigit, quam ubique haemorrhagia necessario sequitur, pro diversitate parturitionis et stadii illius, pro fluxus ipsius more, ac loco demum, quo sanguis ruit, varie periculosa, compescenda quippe, aut invicta.

Vaginae enim vero, sive utrius labii interna vel rupta vel illaesa tunica est. Sin prius, dum quidpiam certe sanguinis in cellulosam diffunditur; interim, quia maxima pars foras ruet, non tantus a residuo tumor erit. Verum morato etiamnum in vagina foetus cranio, hac tametsi laesa, cruor e corpore manare prorsum cessat, infantis nempe capite vulneri appresso et effluvium arcente. In utroque casu, ubi vaginae tunica a laceratione illibata perstitit, sanguis primum praecipueque in spatia a pressione longius remota diffluit. Tum satius etiam est, cruorem in vaginae inferiori, quam suprema parte, sursum nempe ac introrsum coire.

Accidit quoque, ut ex rupto vase sanguis primo in cellulosam se dispergat, hacque distenta accumuletur. Tum exorti tumoris non prius ruptio fit, quam foetu, vel saltem illius capite ex cavo pelvis profecto. Nunc liberata videlicet a pressu, atque per ipsum laborem

extenuata vagina cedere debet irruenti tumori; qua similitudine morbum enarratum formavisse se vix dubium est.

Interea utrum ex venis cruor an ex arteriis fluat, difficile finitu; neque propius ad rem momentum habet. Est imo, ubi sanguis e vena fluens magis, quam ex arteria obtinet, cujus exempli hanc propemodo causam censeo: quod illa vasa minus in contractionem vi polleant; dum praesertim in varices dilatari disposita sunt, aut ejusmodi ampliatione dudum laborant.

Sed sanis licet et integris genitalibus in difficili partu ipso jam capitis pondere et duritia infringi aliquam venam posse, palam scitur. Unde non miramur, fieri interdum, vasis ante morbide affectis, aut ex iniqua cura; si nempe insidens illas in partes ruditer caput non solum cum modo non sustinetur, contra inepta tractatione gravius praepeditur.

Attamen in iis, quae mihi obvenere, exemplis, nullum ante vitiosae constitutionis indicium, multo minus morbi aliqua causa ab extus suberat. Qua occasione fallax fortuna declaratur obstetricii. Medicus quippe, si levissimum instrumentum illatum, aut simpliciter insinuata manus foret, vix ipse a facinore tanquam sua opera confecto, insontem credidisset sese.

Cujus morbi rarior indoles quum jam nunc sit patefacta, data occasione vitium quidem expeditius cognoscetur; at illud praevenire, in quo utique rei supremum est, ultra labor erit.

Quodsi morante etiamnum in pelvi foetu evenit, ut sanguis per rupta vasa vel in contiguam cellulosam intus et sursum vel in ipsam pelvis cavitatem cum modico, vel nullo extus effluvio manet; jam ex ipsa tamen successione passionum, atque parientis tota valitudine, sanguinem ad interna fundi, suspicio oritur, ut ob istam ferme necessitatem properandus partus sit, in quaecunque caeterum loca confluat humor.

Perscriptam hic novam haemorrhagiam, quae quidem rarius multo, quam vulgare profluvium ex foeminali infestat, quum adesse medicus sciverit; ut in reliquis prima intentio de substringendo sanguine est. Attamen pro tractatione in ulterius plura invenies, quae huic afflictioni omnino peculiaria sunt.

Fluxus nempe sanguinis, sicut similibus in aliis vitiis, remediorum recto usu atque inprimis exercita per manum in laesas partes pressione sistitur. Quodsi neque hoc modo, neque ferendis alioqui in ruptam venam stypticis coërceri potest; id saltem curato, ne sanguis prorsum in cellulosam dispellatur, ac praecipue intus et in superius migret. Imo rerum collisu boni consules, fluido, facta incisione, potius viam extus pandere, quam cum socordia indulgere, ut impetu et copia in corpus ruat.

Frequentissime autem malum non prius, quam profusione dudum consummata noscitur. Sanguine interea non immodice prolabente, et echymoseos more suffuso, natura, cummaxime

per industriam adjuta, aliquamdiu moliri resolutionem valet. Id vero ab experientia asserere de illis modo tumoribus possum, quae infimam praecipue vaginam occupant, seu alterutrum labium modo. Ubi vero sanguis, magna alicubi mole collectus, in distenta et exesa cellulosa focum excavat sibi, eoque ex corruptione solutus, vel actus in coagula degit; tum nullo conatu naturae amplius in vasa revertitur.

Hac rerum angustia alieno cruori exitum para, scite tamen, et cunctando; ne ex eadem vena novi metus profluvii sit: haud prius nempe, quam parte jam quicquam inflammari coepta. Si tandem noxa graviter et altius residet, sin ob destructionis spatia, sive ob pravum et multiformem passionum conventum nulla suppurationis bonae spes manet; tum quoque inutilis, quidquod accelerans mortem omnis operatio esset. Quapropter lethalem noxam modo delinire juvat.

In casu prius memorato neque natura neque ars medetur: hac nimirum calamitate insanabile malum est.

Nunc vero pauca exempla habeo, similis equidem, sed minus periculosi morbi, in quibus sanatio effecta ab arte est; eaque perscribam.

In aegrarum una, ex vena in internis vaginae, non procul ab illius orificio rupta, tantum sanguinis in vaginam et dextrum labium influxerat, ut tumor magnitudine infantis caput, scirrhum duritia aequaret, illaesa cute.

Morbus primum fomento discutiente tractatus; neque tamen praeter suppurationem, nisi, quod tumorem maximam partem forte gangraena subiret, quidquam sperabatur. Verum citra omnem exspectationem inter quatuordecim dies, sine ullo incommodo, sequuta resolutio erat.

In alia puerpera, foetu per naturam brevi expulso, confestim copia sanguinis effluit. Facta indagatione recte noscitur, cruorem ex sauciata vagina provenire, ac dextrum labium vulvae una cum vagina ex eodem latere, quatuor circiter super orificium pollices, in amplum lividumque tumorem surrexisse. Sanguinis extra genitale fluxus, et illius in interiora diffusio procuratis extus et intus remediis constitit. Aegra ad extremum infirmata, et tenuissima corporatura, primo facili ad stomachum cibo, et diluto aqua vino alita, thorace, quantum poterat, atque ventre elevato cubuit, foto interea aquis tepidis tumore.

Ne profluvium recrudesceret, non ocyus, quam quarta die, novum examen feci. Per indicatam aperturam, quae dextrorsum in vagina super ejus orificium erat, haud difficulter immisso indice impletum sanguine et grumis cavum exploratum habui, quod mediocrem pugnum facile reciperet. Fundum illius versus intestinum rectum digitus haud attigit. Hinc instrumenti applicandi necessitas; quumque necessaria ad operationem jam in promptu essent, illico sulcatum specillum delegi, quo mox

perspectum, vastam ulcerationem infra, ad cutem usque, anum inter et ischii processum descendere. Ab hinc in vaginam usque, eodem super specillo, omnem sacci anticam parietem, partem insuper vaginae, una cum dextro labio in totum dissecui.

Aperta hoc modo, atque obiter solum a cruore repurgata cavitas, primum nunc, uti et in successu curationis, ad aequandum in planitiem ulcus, pro re nata, carpto linteo explebatur. Prima siccaque *scapulari fascia* peracta deligatio per biduum relicta; post usque ad perfectam, vix ultra viginti dies protractam curam, temperata ulceratio unguento *digestivo* est. Neque in lochiis, aut in alia quacunque functione per totum tempus aliqua offensa, neque vaginae partiumque formae aut ipsius compagis vitiata nota restitit.

Postremo adjungimus, in nostris exemplis periculum vaginae semper in dextra pariete fuisse congestum. Forsitan, quod error frequentissime hunc locum occupet, juxta alia inde derivatur, quia scilicet infantis plurimum supremus vertex cum fronte itentidem in dextrum matris conversus est; dehinc subsequens capitis solita evolutio ortui indignationis in hoc ipso latere faveat potissimum?

APHORISMI.

Illa tamen moderatius subjiciam: Conjecturalem artem esse medicinam, rationemque conjecturae talem esse, ut cum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat.

CELS.

I.

In arte obstetricia non secus ac in omni medicina falsae opiniones quamplurimae et paradoxa hucusque crebuerunt; quae vero reperta sunt pauciora et saniora praecepta artis, ea inepto et pravo plerumque usu pervertuntur. Unde matres et infantes, quas natura, sibi soli commendatas, incolumes praestitisset, ipso artis studio morbis implicantur, et intereunt nonnunquam.

II.

Os matricis aperire et dilatare digito ad promovendum partum naturalem, inutile prorsus, perniciosum et nefas ducito. Partes enim teneriores affrictu lacessitae inardescunt, parturitio retardatur, et intensius dolens fit. Dein ad gravissimas offensiones praebetur occasio, post partum etiam.

III.

Fas est aliquando et necesse, secundas ex cavo uteri blanda manu evolvere; sed istud ra-

rius usuvenit, ac multis videtur. Qui vero curiosi artis sunt, quemadmodum placenta, ad lubidinem, ex utero forcipe igniaria expediatur, G*** eant. Sunt quoque, qui eam cochleari excipiunt.

IV.

Contractus brevi post partum uterus nonnunquam fatiscere et relaxari, idque iterato potest. Unde haemorrhagia oritur; quod maxime in puerperis extenuatis, partu inprimis segni et anomalo, solet evenire.

V.

Uti foetus, qui prono capite proveniunt, plerumque ad dexterum matris latus conversam et sublatam faciem habent; ita, qui in utero transversim sunt compositi, membra sinistri lateris proferunt, cubitum praecipue vel brachium; idque, ut verisimile est, notata ex positione sequitur, quam caput habet.

VI.

Puerperas sanas et valentes parcior victus, quem diaetam vocant, extenuans identidem purgatio, aegras et infirmas reddit.

VII.

Emulsiones et potiones tepidae, aquosae, primas in puerperis vias labefactant, easque aegrotare faciunt. Ni praesens malum aliter jubet, victu solito et potu ultra utuntor, cum prudentia et moderamine.

VIII.

Ubi puerperae, antea valentes et sanae, diutius, quam fieri interdum sine discrimine post

partum consuevit, et sine apparente occasione febriunt; causa valitudinis plurimum in genitali aut circum assidet; tum injuriam aptis praecipue externis subsidiis curato.

IX.

Nihil est in omni medicina tantum utile, quod in damnum aegrotantis non usurparet imprudentia. Quod etiam dicimus de confrictu ventris recens puerperarum. Complures hac rusticitate, praesertim ubi supervacua est tractatio, in profluvium aguntur, alias insontes mansurae. Magna certe in ista re moderatione usuque opus est. Uterus enim ubicunque sine occasione, utque fit, impetuose contrectatur, abest, ut praevertatur haemorrhagia, ut multo magis excitetur.

X.

Permultae foeminae difficulter, atque aliae in omni vita sua a puerperio non recreantur amplius, propterea, quod intra illud, tempore praesertim brumali, haud satis diu, neque omnino obtemperaverint.

XI.

Infantium ex ubere nutritio, retardata post partum plures horas imo dies, tot matres forma, bona valitudine, etiamque vita privavit, ut non miremur, puerperas paene omnes dulce et salubre munus perhorrescere. Atqui tamen officii hujus praetermissio totidem etiam ac simillima inducit mala; cujus adversitatis omnis culpa ex utroque errore in ignorantia obstetricum et in callositate magistrorum residet, qui

utinam aliquando tandem, quamvis sero, resipiscant!

XII.

Mos est alicubi et furor, infantes a matribus abstractos parvis familiis ad nutriendum elocare, minore dispensa, quam catulos alunt. Sed cordatissime dolent, innocentium tam horribilem stragem esse.

XIII.

Cunctos vix in lucem editos alvum moventibus potiunculis irrigant. Sin succi et eclegmata illa, paucis interjectis horis, vitra, quibus continentur, fermentatione disrumpunt; quidni mollicula pusionis viscera inflando, prae dolore cieant convulsiones, nauseamque adversus nectar moveant, quod e materno ubere debuisset gustare prae omnibus?

XIV.

Pessimum pro omni neo-nato alimenti genus est, dum promiscue ac vicissim mox juscula ex carne, mox potatio ac pultes ex lacte ingeruntur.

XV.

Matres et recens nati plurimum in morbos incidunt, non tam ex causa, quae ex natura venit; sed quod sinisterius et praepostere curentur.

XVI.

Pauci neo-natorum et lactentium morbi arte sanabiles sunt; permulti autem usu prudentis consilii, et vitando ineptias praevertuntur.

XVII.

Prima in educandis liberis cura de sano et robusto habitu esto. Ubi firmior aetas usum rationis et exercitium aliquod in unoquoque elicuerit; tum denique, pro singuli fato et indole, adhibita mentis animique cultura ad humanitatem informetur. Praematurior, nec opportuna in liberis excolendis sollicitudo eos neque robore corporis ad animalia, neque humanitate et virtute pertinere ad homines sinet.

XVIII.

Neque vero cognitione matheseos careat homo doctus et intelligens; igitur nec medicus obstetricius. Ipsa autem parturitio, et quibus movetur, potentiae ac facultates, totiusque ejus miraculi effectio regulis geometriae explanari et definiri nequit; ut nec actio respirationis, nec sanguinis in corpore permeatio. Satis est, mathematice nos scire, hac in re sciri nihil posse mathematice. Atqui tamen doctae et eruditae hujus inscientiae quaesita diligenter cognitio una solaque est, quae prudentem et probum obstetricium ab inepto et ignorante discernit. Sed lineas pingere, pollices recitare, ossa metiri circino, axin dicere, ubi nihil est; id hebetes pro sublimitate geometrica habent.

XIX.

Qui in adjuvando partu instrumenta posse omnino negligi credunt, mente laborant; attamen ipso tempore rerumque periculo ad saniora revertuntur. E diverso, alii sine opportunitate et necessitudine eadem adjicientes,

certe ex gloriatione vel ex cupiditate pecuniae, vel ex ignorantia passim, audacter faciunt, suoque more matres et infantes mactant. Hosque puerperis ad internecionem inimicissimos corrigere frustra est.

XX.

Si quis inter septem et quadraginta ex serie consequentes partus, quinque et viginti per forcipem extulerit; nomen is ferat harpagonis, non medici obstetricii. Dum insuper alios, qui humanius versantur, obtrectat, prudentium miseratione punitum et contemtum caput abito.

XXI.

Suturae, praesertim in capite foetus molliore, exploranti digito interdum adeo denticulatae et inaequales obveniunt, ut totidem quasi *fonticuli* videantur esse. Idque ad doctrinam de Exploratione pertinet.

XXII.

Conjugatam in gravidis sola manu accuratius et facilius definies, quam artefacto quolibet pelvimetro. Nec alio quoque instrumento, quod cognitum sit hactenus, inclinationem orae pelvis certe determinabis. Comparatae enim vero complures inter se pelves oculos ipsamque rationem convincunt, cur inter propensionem conjugatae ad horizontem et inclinationem lineae ab apice coccygis infra ad marginem pubis directae, haud necessario recta intercedat ratio quaedam.

XXIII.

Foetus, dum capite per orificium agitur,

partu etiam naturali nec multum difficili, fissuras nonnunquam in uteri collo efficit, nulla plerumque consequente notabili noxa. Interdum tamen, altiore praesertim laesione, dolores in lumbis et circa inquina, vel in pube cientur; item tenesmi et offensiones in locis urinalibus.

XXIV.

Quin etiam erosiones in utero, in vagina, in labiis et perinaeo, ex morbosa aliqua secretione, vel aliter ante partum contractae, iisdem illis malis non raro causam praebent. Ipso etiam parturitionis nisu hujusmodi sauciationes exsistunt, si grandius caput et siccior et solito violentior partus fuit.

XXV.

Intus etiam in utero certae plagae, eaeque praesertim, quibus insederat placenta, speciem illam erosionis assumunt prope, ad tempus quoddam a partu saltem.

XXVI.

Ad has sive fortuitas, sive naturales indignationes ubi alia accesserint incommoda: epidemia, tempestas humida longe, aut frigida; immunditia, pravus vel tenuis victus; animi aegritudines; si gracilis et cachectes puerpera est; tum enimvero affectiones illae pondus acquirunt, membra corrumpunt, et malignitatem contrahunt, unde mors sequitur.

XXVII.

Alios natura morbos sola, alios non sola sanat. Verum multis nec natura medetur,

neque ars. Res simplicissima utique, sed parum intellecta considerataque!

XXVIII.

Ars sine naturae consentientis efficientia, vel saltem patientia, ad morborum curationem nihil recte facit.

XXIX.

Vis est fusa per omnem naturam animalem, idque certissimum est, qua corpora, certo limite et pacto mutatis aut rejectis, quae noxia sunt, sive digestis reparatisque, quae deficiunt sibi, aut quacunque ratione alia, ex morbo ad sanitatem sponte migrant. Quae vis salutaris naturae, quocunque eam nomine voces, licet intrinsecus nobis incognita sit, benefica tamen ac clara sua efficientia apertissime evincitur.

XXX.

Topica corporis vitia et iniquitates persaepe ars tollit, qua sine natura non raro succumberet. Atque eatenus ars medetur. Sed corporis opportunitas, ad artis haec auxilia recipienda, ipsaque convalescentia solius opus naturae est; quae non solum morbo resistit, sed saepe etiam peccata et injurias medentium expiat.

XXXI.

Aliud est curari, aliud sanari. Multi sanantur, non curati.

XXXII.

Neque vero rarissime ars medentis cum salutifera vi naturae adversa fronte pugnat; conjecto aegro inter malleum et incudem.

XXXIII.

XXXIII.

Vis ea, qua corpora sanantur, non secus ac aliae naturae vires intellectum humanum exsuperat, et immutabilis est, velut natura ipsa.

XXXIV.

In curatione morborum et cultu vestium haud dissimilis ritus est. Variant citius, quam per decennia, mosque novissimus ad contrarium prioris semper sese potiorem praedicat. Interea valent, et aegrescunt, et convalescunt, et moriuntur homines pecudesque, semper itidem ferme, ac ubique, sine discrimine.

XXXV.

Ex communi rerum lege alii morbi in sanitatem, alii in mortem desinunt; atque hi lethales, illi sanabiles ipsa natura declarantur. Quodsi igitur in his non semper artem laudaveris, in illis certe insontem dices.

XXXVI.

In corpore animali non mortuo putredini perfectae et absolutae locus esse non potest; verum qua ratione vis vitalis in eo decidit, eadem ratione funesta putrescentia necessario ingruit.

XXXVII.

Aliud quidquam est, in corpore animali vim putredini resistentem conservare, aliudque impedire, ne in putridum abeat corpus. Igitur, quae carnem et nervos a corruptione muniunt, exinde non satis idonea se ad sanandas febres nervosas, putridasve probant.

XXXVIII.

In morborum curatione praecipuum est, vim

vitalem, quibus ea causis, quoque deperit modo, adacquata ad id ratione tueri et fovere, propensionemque ad putridum, remediis illi indicationi consentaneis, retardare ac depellere. Atqui hoc respectu decoctum ex althaea interdum inter antiseptica eminet, ac pro aliis affectubus potus ex cortice Peruviano.

XXXIX.

Sunt, qui lectis morborum historiis, instituta deinceps ratiocinatione, saepius etiam praetermissa, curam nonnihil cavillantur, aegrumque potuisse servari arguunt; facilius nimirum est, praeterita exaudire, quam prospexisse in futura.

XL.

Ne ulla partus est conditio, nec respectu parientis matris, neque gignendi foetus, vel utriusque, quae cum simili conditione in alio foetu vel puerpera omnino conveniat. Naturae autem sunt partes, nisum et actum cujusvis parturitionis in singula foetura ita adcommodare et exsequi, ut in hac ipsa functione res cedere et potest et debet. Eaque vis naturae cuncta regens et dirimens in omni partu manifeste declaratur. Quae vero aberrationes et vicissitudines incidunt, partim intellectae nobis, partim non intellectae, nec unquam, quatenus in ipsa efficientia parturitionis resident, plane intelligendae; eae utique exceptionem aliquando ab norma possunt constituere. Quae exceptio si quando existit, atque ex ipsa re vel ex consequenti effectu agnita erit; tum vero legem

definit promovendi partus admota exterius ope, leni et quam maxime opportuna. Quaecunque praeter hanc legem arte suscipiuntur, inepta sunt, matrique et foetui acerba exitiosaque.

XLI.

In doctrina obstetricia omnis hucusque norma sumpta de trivio est, mancaque, et in ipsis principiis vitiosa. Quae tametsi ad extremas lineas recte fortassis sit descripta, aliter tamen ac nos fingimus et opinamur, ipsa procreans natura munus suum absolvit. Unde et medici obstetricii et obstetrices, iique ignorantissimi legum naturae, quae minutissimis quidem varietatibus, at gravibus tamen, nec satis unquam percipiendis, omnem partum distinguit et moderatur, in ipso excludendi labore dicaces maxime, et molestissimi ardeliones sunt.

XLII.

Postquam in partu infantis caput pelvim jam evasit, corpore non succedente protenus, uti solet plerumque; cave, ne foetum capite utraque manu prehendas, atque, ut vulgo adhuc et ubique gentium fit, confestim extrahas; sed capite blande fulcito exspecta, usque dum sequens forte nisus alius reliquum corpus suapte exprimat. Neque enim ob hanc moram deficiet infans, sed securius vivit, quam si caput haereret in pelvi. Quodsi vero nisus alius alterve longe cessat, ventrem parientis infra umbilicum manu leniter confricato, altera caput infantis sustinens, haud impeditis ore et naribus. Hoc modo, qui plerumque sequitur do-

lor, infantem ultro pellit. Secus primos digitos duos ad prominentem quam opportunissime axillam molliter applicato, ac foetum leniter, quemadmodum natura monstrat viam et in opere adjuvat, sine tractu capitis, ad lucem promove.

Atque ita infantem *suscipi* proprie dices, quum alterum arripere ex capite illum et cum violentia abstrahere sit. Nos enim per experimenta docti sumus, quanto clementior minusque periculosa cum pro matre tum pro foetu demonstrata methodus sit. Hac lenitate haemorrhagias praeverti, animi deliquia, tormina post partum et permultas alias offensiones, facile liquet. Ne tamen spes est, fore, ut tam simplex et ab ipsa natura hausta commoditas aliquando in communem usum vertatur. Sed spreta salubri monitione frustra auxilium est.

XLIII.

Foetus non recta, sed quodammodo curva et ad pelvis flexum continuata linea e matre suscipiatur, quod facilius praemonstrare manubus, quam exprimere verbis est.

XLIV

Exclusus matre foetus etiamsi vivere se prodat, ne tamen statim secernatur ab umbilico; sed linque eum, quatenus nihil aliud convenit, cubare prae sinu matris obtecto, usque saltem, dum pulsus ex toto fune evanuerit; tum solvito ex more, reliqua opperiturus. Verum saepe cum placenta excidet, priusquam secueris. Hic ritus ad perfectissimam vitalitatem foetus et

salubritatem genitricis non modo opportunus, sed necessarius est. Scriptum hoc ex millenis exemplis ad lectos studio observatis.

XLV.

Natura limites et tempus ponit, quo funis ab umbilico decidat. Sunt vero a natura etiam exstantes umbilici, ne confundendi ex hac parte cum specie herniae.

XLVI.

Inter foeminas gibbas multo sunt plures, quarum pelvis sine vitio est, quam quibus ob deformitatem partus inde molestus fiat.

XLVII.

Quae foeminae in sella, ut fit, sedendo pariunt, omnino contra naturam, nec unquam bene pariunt.

XLVIII.

Lucinae sacrarium verisimiliter templum Noctis est, quoniam, qui in illo se scriptitasse gloriantur, plerique ex obscuro viderunt.

ANIMADVERSIONES

DE DELIGANDO

FUNICULO UMBILICARI;

TUM QUATENUS

ABSQUE RECENS.-NATI NOXA OMITTI DELIGATIO NEQUIT.

Fortunae quidem improvidos casus a nobis ignorari fatemur.

L. Apul.

Olim equidem vulgata fides stetit, omnem recens natum sanguinis fluxu perimi, nisi accisa, et substricta chorda umbilici praepediretur haemorrhagia. Millenae naturales matres infenso judicio cecidere victimae; ac quamquam vix esse e re videatur, crudelitates illas rimari, nec tamen excordes sumus, ut tot miserarum violenta funera, quo tardius, eo profundius lugeamus.

Si quidem vero neglectus funis olim citra justum, omnique sine clementia in culpa mortis ponebatur; nostris contra temporibus procuratio illius praeter aequum spernitur, quum absque discordia ligaturam extra metum, imo omitti sine quopiam periculo asserant. Prior opinio imputationis, altera infelicitatis ex proviso obiter fune, creberrima causa fuit.

Neminem alioqui latet, substricto etiam fune, ex haemorrhagia perisse infantes. Sed qui fit, ut ligatura licet posita casu sanguinis possint extingui, siquidem substrictio citra discrimen omnino praetermittatur? Quam pro re veram seu visam contradictionem componamus primo, quo aperiatur, quid constans sit.

Animalia utique chordam umbilicarem non stringunt, pullis nihilosecius perstantibus. Atque ob paritatem verisimile est, ipsaque experientia probat, et evicit jamjam, hominum quoque in natis deligare chordam, haud esse necessario opus, pactione scilicet, ut homines in hac re et universim, (si dicere fas est) tam prudenter quam animantia agitent.

Sed est in communissimis vitae officiis quaedam nobis confusio, ut ex parte ad ritus animantium sint concinna; verum enim maxime humanis ineptiis tantum irretiantur, ut vocem vix invenias dementiae. Unde fit, ut in omni sanitate nostra vitaque in hoc orbe pejus habeamus, quam ab innocentia et finibus naturae non tam digressa proxima nobis quadrupeda.

Quandoquidem novum animal (sermo de brutis est, aliisque nobilibus animantibus) ex utero emersit; habet nihilominus pauca adhuc momenta, intermediis secundis et chorda, aliquod cum matre commercium; nisi illae etiam, (quod fieri rarius solet) una exciderint protenus cum genito. Atque hoc etiam in casu editus pullus aliquamdiu adhuc communicare sal-

tem cum secundis videtur. Quantumcunque enim tempus breve sit, quo hac conversione similiter, atque ante in utero, vitam ducit; est tamen in utroque specimine, ut foetus, nisi omnino sit extinctus, a norma hauriendi vitam per funiculum, ad morem agitandae illius in aëre, saepissime non repente, sed sensim per momenta transeat, citius tardius.

Non est, ut infantum plurima pars ipso temporis puncto, quo a vulva excidunt, animum capiant; sed creberrime aliqua sunt momenta, priusquam vitam ex aura trahunt. Eorum quippe primus vagitus primum plerumque suum suspirium est. Interea dum natus in aëre vivescit, perstat etiamnum in chorda pulsus, itidem sensim vanescens, ut animalis nova vita paullatim accenditur et exsurgit.

Nunc assumamus vasorum omnem in fune umbilicari percussum recta a foetu esse! Superstite igitur illius aliqua specie, foetus, jamque enixus, more reclusorum vivit, neque habendus pro demortuo est, tametsi aëriae vitae nihil prodat ferme. Quando autem pulsare funiculus desiit; foetu nondum in animalem vitam transgresso, illiusve nexu vitali cum matre alias cessante; tum periculosa est occasio. Nunc protinus moliendum, ut infans aptis remediis variaque industria exstimuletur. Deque tali infante probe dicimus, inter criticum istud tempus animali ritu neque vivere eum, neque vivere desiisse. Verum, quam longa haec in ancipiti mora sit, quamque sero post ultimum

in vasis motum foetus queat resuscitari, nulla saltem in nobili viscere illata prius nece, id definiri non potest. Permultos infantes continuato auxilio in vitam revocavi, licet inchoari conatubus haud prius posset, quam motu venarum plura momenta jam oppresso. Contra in aliis ad speciem similibus exemplis, pulsu in umbilico vix fatiscente nec extincto, nihil succedit.

Quas collectas a natura observationes praemisimus, ut in solvendo foetu sciatur, quonam pacto ligatura funiculi, male peracta, vel omissa foetui noceat, vel lethalis fiat.

Bruta funiculum, nisi per casum cedit, communiter mordendo lacerant, sicque foetum distringunt. Neque in hoc agitant, ut pullus novae assuescendi vitae abunde moram habeat. Ac quoniam disparatio vel demorsus sine tritu fieri et quadam contorsione nequit, naturalis operatio haec ita finitur plerumque, ut sanguis parum vel nihil decidat. Postea, umbilico aëri exposito, nihil superest, unde novum sanguini per pulmones iter, ejusque meatus in recenti animali praepediatur. Hinc nihil cruoris ultra effluit.

Quae mitissima in observatione secundarum praebita nobis exempla dum prudentius coleremus modo, certe etiam hominum pullis ex fune umbilici, substricto liberove, nunquam discrimen haemorrhagiae foret.

Propterea funiculus haud debet praescindi, priusquam foetus ante sinum matris primam hausit animam, satisque animalis vitae prodit.

Si vero minus a spiritu valescit, oportet, eo cum matre etiamnum conjuncto, vulgares incitationes tentare: comprimendo alternatim pectus, inflando in pulmones, corpus aspergendo frigida aqua, dumque turgor ac livor oris non dissuadent, irritando volatilibus et palatum et nares; item applicando opportune clysma.

Verum delitescente aut prorsus cessante motu, quodsi ex corpore foetus, ex cunctatione, ex galeati tumoris tensione ac colore, conjectatio fit, guttas sanguinis ex chorda demi posse; nunc etiamnum satis ad id tempestiva occasio est, eaque utilissima. Temerarium enim foret crudelissimumque, primas nato radices abscindere vitae, quin novis posse sustineri, probabilitas adsit. Sed irritis ad excitandum primis conatis chordam aliquando stringere oportet. Tum communibus, jam alibi narratis experimentis, impigre insistendum est.

Sed antequam chorda scinditur, (si sanguinem excipere nihil propositum) ad quatuor circa ab umbilico pollices, inter digitos terito illam; tum hac plaga obtusa forcipe scindito, ut verius pressu rumpantur, quam praecidantur vasa. Tum constrictio fiat. Deinceps si natus velato corpore ad aërem asservatur, nullum subest discrimen, fune licet non constricto.

Verum quia in communi vita alio utuntur more, eoque, ut infantem a matre celeriter solutum confestim repurgent, immittant balneo, fasciisque linteisque vinciant; hac certe tumultuaria agitatione substringi ex foetu chordam

necesse est. Nec fila circumduxisse sufficit, sed oportet etiam, inter primas praesertim horas, respicere aliquando, utrum arceantur vasa, nec sanguis excidat. Quum enim fascia umbilicari atque omni foetus vestitu, telis praesertim ad thoracem, ventrem, artusque humane constrictis, novus circulus vehementer impeditur; sanguis in vasa umbilici recidit, neque raro sunt exempla, prolem vix exclusam linteis vaporibusque elegantissime exceptam e ligato fune extinctam haemorrhagia esse: filo scilicet primum negligenter acto, seu funis liquore subtus exstillato, vasisque haud longius affatim compressis. Quapropter expedit, antequam foetus involvatur, vel ubicunque primo a partu tempore opus videtur, iterata adstrictione praecavere.

Unde prona est scientia, quî fit, foetum, umbilicari chorda licet non provisa, nihil tamen jactura pati; contra alias, neque omisso filo, haemorrhagiae lethiferae esse obnoxium.

DE PARTUBUS

PROLAPSA CHORDA UMBILICARI.

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
PHAED.

Aliquando, foetu etiamnum latente in utero, funiculus umbilicaris procidit. Dum quia intra os uteri et in genitali saepius premitur, necessarium prolis cum matre commercium ante tempus cessat.

Propterea obstetricantes ejusmodi foeturas semper horruere. Pro foetu quippe maximam partem infelices sunt, idque ex necessitate naturae, quocunque observato studio. Sed etiam pro matre saepe detrimentum habent, quin necesse sit: nimirum citra culpam naturae, sed ex perversa tractatione, qua non raro et genitrix et genitus simul destruitur, irrito proposito illum reservandi, ubi ex fortuna rei nullatenus potest.

Copia amnios, foetu inprimis infra modicum gracili, illiusve capite super oram leviter imposito, nec explente satis; dum foetus erroneum situm habet, et praelonga chorda est; si praeterea in ampla pelvi major vesica sistitur, forteque sub intempesta motione matris,

nec opportuno actu et positione rumpitur; haec atque similia funi occasionem descensus praebent. Interdum tamen prolapsio fit sine aperta causa. Sed undecunque venerit, ambigua semper et plena periculi res est; quae, ut optime tractetur, curatius in noxae naturam et conditiones inquirendum, quam plerique docent, ac in usu fieri consuevit.

Casu funiculi, quoad infanti non periculo est, aut nequit esse, hoc quippe jam demortuo, genus parturae, quaeque inde prodit indicatio auxilii, nihil mutatur. Dum funis igitur ex vita nihil veget, nec manifeste pulsat, demens ac ineptissimum est, partum propterea modo, quia decidit chorda, moleste per artem cumque discrimine genitricis finire.

Quoniam itaque, ut nos actuosos praestemus, in simili casu unum propositum est, idque, ut infans sospes servetur; oportet, omnem auxiliationem propemodo instituere, ut ille non solum cum securitate ferme immunis maneat, sed ne mater durius offendatur, nec in discrimen vitae, nec longinquae aegrotationis aut futurae sterilitatis agitetur.

Quibus pactionibus, quum nemo quispiam humano animo illas injustas neque indecoras dicet, confidenter superstruo, quae nunc perscripturus sum, quaeque ita reputo, ut in omni praecipitatione, quatenus poterat, a me actum ad illa utiliter fuisse et opportunissime credam.

Id quidem vulgo asseritur: ubi funiculus praecidit, ante omnia moliendum, ut remit-

tatur, tum retineatur. Ex concione certe perfacilis, sed ad usum rustica et indefinita postulatio! Non raro enim vero labente furtim aqua, nec mediocriter etiamnum aperto utero, funis descendit; dum inter oris labia adeo stringitur, ut communicatio inter foetum et genitricem videatur obstructa. In qua re, quum accipimus, parvam modo portionem funis intra os detineri, quin in vaginam, minusque ad exteriora procidat; id forte impetramus aliquando, ut particula admotis digitis in uterum recedat, ibique latitet, donec acta in pelvim nixubus foetus pars funem longius impediat. Fateor autem, insons velut prolapsionis genus hoc rarissime obvenisse. Persaepe funis ex longo in vagina reperitur, sed quî illum referre, quin conatu ipso rudius opprimas, quam ex natura dudum contingit? Quantum porro simili periclitatione corpus parientis affligatur, nemo nescit. Unde alioqui patet, tali casu in salutem infantis nihil converti, ne tum quidem, si parcere neque matri volumus.

Nec tamen ubique tam funeste praejacet chorda. Interdum enim ore uteri propemodum aperto, sub praetensis velamentis tractatur; feriunt aliquando arteriae digitum, ductoque ultra indice foetus recte fortassis in partum procedens quadam parte attingitur. Qua positione ante omnia prospicito, quid matri simul foetuique verisimiliter prosit, optimeque cedat. Quapropter rei complexus, ac ratio praesertim inter caput infantis et pelvim, tum incessus

etiam naturaque nixuum, quisque parturitionis usque fuerit, ultraque probabiliter futurus sit tenor; item et partes et regio, quas inter continetur funis, illiusque vigor denique ac prolapsionis totius altitudo recte perpensa habeantur, computando una, quam fragilis incertaque omnis tentatio sit, qua foetus ex conversione in pedes ducitur, tunc imo etiam, quando artem mitiori agimus auspicio; atque illud est, postquam calamitati partus novum ac triste augmentum ex prolapsa chorda accessit. Sed nihil, re caeterum pari, foetui majus portendit, quam dum supra in margine pelvis ac subtus pubem procidit chorda. Haud tantum noxae habet, quodsi ad alterutrum latus sive, quod minus officit, retro ex quodam angulo ilei prominet; ibi namque saepius duplicata offenditur, velut inaequalis tuber.

Cave etiam, ne ex intempesta curiositate contrectando, funem profundius agas, quam alioqui haeret; inprimis, ubi conquiescit in alterutro angulo. Postquam enim tuto ibi et salubriter latens erat, atque foret ultra; mox in apertum agitur exitium, simul ac insana pernicitate eum ab emolumento expellis.

Sane, funiculum retro ex latere pelvis deciduum, nec profundius lapsum, persaepe caput foetus supergreditur sine noxa. Ego certe tales partus percommode evenire vidi; id quod plurimum accidit, dum res modo, licet ambigua sit, praepostera agitatione nihil in pejus vertitur. Oportet potius, puerperam leniter

hortari, ut quiete et congruenter incumbat. Nec tamen necesse est, ut occasio monitionis ipsi aperiatur. De reliquo inutiles contrectationes et ineptam omnem curae speciem sollicite vitato.

Sed nihil in tali re irritum magis, et damnosius novi, stolido incepto, funem revehendi nimirum. Nemo quisquam prolapsam ex utero chordam cum commodo matris ita removere in loca potest, ut intus contineatur. Danaidum istuc opus est; simul enim atque particulam reducis, pars major alia praecidit juxta.

Idque difficillimum esse, nec fieri ad salutem unquam, ex eo confirmatur, quia certi obstetricantes ad efficientiam inanis consilii varia machinamenta effinxerunt. Verum cunctis futilitatibus, (ut nominarem, nisi ad perniciem genitricum tractarentur) hoc dedecus inest, ut intentum non modo non impetrari, sed ne quidem sine summo discrimine, affligendi in necem uteri, institui pro experimento possit. Attamen etiam nonnisi crassiores et inepti ejusmodi tristitias fabricavere, iisque gloriantur, ingloriosissima licet illarum fabrica, et ad lectos nunquam sine vituperatione praelaudato usu.

Quoniam igitur chorda altius praelapsa duci in uterum nequit, vacua alioqui retinendi eam est sollicitudo. Quapropter cuncta in hunc finem consilia confidenter et festive spernimus. Innumera videlicet absurda valent, quae quamvis ob implicationem et pondus dementiae a ratione inviolabilia sint, apertissima tamen falsitate feriunt sensus.

Sin

Sin vero motus arteriarum brevi ante percipiebatur in chorda, eoque magis, ubi perstat, vel vigere quidquam aliunde videtur; dum illa capiti foetus adjacet, idque in pelvim opportune descendit, ut eximi queat per forcipem; hujus ope absolvendus partus est, quandoquidem artificium ita potest exigi, ne foetui gravius eo discrimen accedat, quam quo dudum premitur.

Re ita constituta, ut ex memoratis pactis operari prudens sit; statim instituenda versio, quam primum difficultas siverit. In qua curatione, si quidem chorda alte in pelvi descendit, nec tamen extus propendet, inutile atque durum est, primo referre in uterum eam, posteaque manum denuo ad pedes ducere. Sed oportet fune, quin tangas, uticunque in locis relicto, ad operandum eadem tractare manu, cujus admissione in vaginam funiculo a pressione multo maxime parcitur.

Interdum vero excidit funis, reliquis rebus ita positis, ut versio instituatur, vel quod necessarium sit, vel certe consultum maxime. Qua pactione, quantum chordae extus est, manu antea removetur in pelvim; post eadem manu tute ac molliter in uterum pergitur, idque sine cunctatione, ut infans accipiatur ex pedibus. Namque alias, quod ad exteriora decidit, inter genitale et operati brachium longe nimis et cum pernicie opprimetur.

Demum si funis juxta caput praejacet, rerumque complexio partum maturari desiderat;

prae reliquis adhibenda forceps est, capite saltem ita composito, ut queat comprehendi. Foetus enim caput infra oram pelvis prope, vel amplius demissum jam, causa faciundae versionis ex pelvi retorquere in uterum, idem perinde ac extinguere genitrici animam ex proposito est. Nihilominus vulgatissimum crimen istud in libris scholasticis oppido fovetur. Quod miraremur forte, si quid etiamnum esset, quod sit mirabile. Neque enim exspectamus poscimusve, ut quis saniora profiteatur, perscribatque, quam ipse sapit. Sed tamen difficiles sumus in approbando, quod cuipiam fas putetur, regulas mandare et usus, quae in perniciem humani generis tendunt, quorumque tandem infensa vi nemo immunis stabit. Utique si de optionibus, et cogitatis tractaretur, nae, vix venia censurae est?

Caeterum in appositione forcipis funem extra illius laminas relinquendum, porro in omni opera esse providendum, ne pars citra modum prematur, nihil opus monitore est.

In quavis ex prolapsu chordae ancipiti quidem, at in reliquis naturali foetura in hoc intendas praecipue, quatenus vita scilicet sub nixubus impune perstet. Donec enim caput, pedes, atque clunes etiam recte procedunt, pulsus inque demissa parte propemodo viget, tamdiu per artem facere nihil necesse est. Posteaquam vero motus in arteriis sensim evanescens funiculum alicubi esse in angustiis prodit, tum enim vero eam procurationem deligamus, quae

contra adversitatem, item ad finiendum opus prae aliis congruet.

Non equidem dicimus, eo temporis puncto, quo motus in vasis cessat, simul etiam in foetu extinctum penitus esse principium vitae; attamen, quamprimum communicatio inter matrem et infantem haud longius manifestat se, nihil morae, quin foetus ad animalem vitam traducatur. Quod saepe succedit, donec funi propria vitalis temperies et naturalis calor ac vigor inest. Ne tamen cum hisce dotibus congestum illius ex longa substrictione, et turgorem et adventitium calorem a matre confundas. Accidit etiam interdum, ut minus exercitati in contrectatione curiose fallantur: pulsum quippe ex proprio digito in funem transferunt. Isque non ignobilis error est, quia recte, qui minime sunt habiles, ipsos sibi quoque minime obnoxios habet.

Deinceps longa aliquando portione funis ex genitali pendet; sed reliqua partus ita se habent, ut, quod praejacet, in pelvim, qua sospes sit, referri nequeat. Quibus in rebus boni consules, partem deforis, tametsi ambigue valeat, madefactis linteis calida aqua vel decocto molliente leviter involvere, utque fieri potest, ita prohibere, ne frigescat et exsiccetur.

NOTITIAE
EX SCHOLA OBSTETRICIA.

Ex adjunctis tabulis haud exiguum mortalitatis discrimen prodit, ut mortes anno 1793 earum, quae reliquis annis simul sumptis contigere, omnium numerum superent. Hyeme illius anni, id notissimum est, Viennae, ut alibi inter puerperas epidemia regnabat; quam simillimam ei, quae anno 1795 observabatur, in tertio libro diligentius perscripsi. Memorata ibi etiam in sporadicis morbis hucusque in comperto habentur; quadraginta et amplius ad lectos annotatae historiae morborum, tot postea tam in schola, quam in reliquo nosocomio mortuarum, coram multis medicis, maxime ab egregio D. *Schultes* institutae et pone anatomicam tabulam consignatae sectiones de pernicie illius febris haud longius sinunt disceptari. Ubique et quocunque curata modo, eadem tempestate iisque sub tegulis, lethalis erat.

Maxima puerperarum pars autumno ac hieme tentabantur, non omnes quidem pari discrimine; suberat vero aliqua in passionibus insolentia. Inprimis versabantur cum periculo, quas in partus doloribus, aut jamjam enixas impor-

tabant. Hasque morbi fomitem in nosocomia primo adtulisse probabile est. Complures advectae; multae pedites cum molestia adrepebant; febrientes, tumido flavescente vultu, lanquidae, exhaustae.

Puerperis illis extus non solum in corpore sed etiam in genitali, quoad calidum aliasque proprietates, quidquam suspecti inerat, ut ipsa sub parturitione, vel brevi post, propinquam mortem praediceres ad diem ferme.

Intra breve labes in contagium abiit: qua tristitia epidemicus omnis morbus, praesertim in valetudinariis solet aggravari. Prius turpissimae vexationes in domo convenere, morbo ipso ferociores. Numerus cum extranei tum inquilini testes foeda exempla perviderunt, quae dicere locus et decor vetat.

Dum puerperarum pessima haec febris supervenit. Cujus excitantes causae latent; necque scitur, quid ex aëre in epidemiam fuerit influxus. Ac quamquam indicatis ante vitiis morbus mox in contagium et endemiam increbuerit; erat tamen ex origine et natura epidemici generis. Remisit etiam se per intervalla, constante licet in reliquis nequitia.

Uti vero rebus adsciscere rationem, aut saltem subdere speciem consuevimus; ita prorsus hic. Patuit extemplo obtrectationi et amentiae lata provincia. Alii incusare instrumenta; alii, foeminas implicari morbis ob partus naturae commissos, neglectis ferramentis; alii oriri febrem a frequenti contrectatione. Aliis

tandem verissima causa ex primis viis obvenit, haud purgari puerperas. Quippe ne id sapiunt, in tam misere adventantibus, ante domi perquam expurgatis foeminis, nihil, quod purgetur, remansisse.

Rebus tam confusis aliquoties, haud quidem approbante animo, sed alienis raptus consiliis, in absurda conscendi; ne quid, quoniam certi viri arrogantissime commendant, inexpertum maneret. Ast nova mox accedit confirmatio, tales afflictiones sale mirabili, aut aliquot unciis mannae nec praeverti posse, neque sanari. Magni tales medici eadem facundia *electuario* purgante juventam contra variolas, et adultos contra febres etiamque pestem tutabunt. Videlicet, morbos ad commenta tractare et pugnare in aërem, par dementia est.

In universum, donec occasiones morborum cum generales, tum speciales latitant, illis tuto antevertere, quam cum constantia mederi haud facilius erit. Quid enim quaeso de ortu et indole epidemiarum aliud noscimus, quam praesto esse, dum grassantur, item passionum ficta nomina tristesque mores, queis trucidant. Nec parum etiam habet miraculi, quo jam correpta gravida advenit, istunc in ipsa praepedire morbum.

Nemo caeterum nescit, epidemicorum indolem nonnisi post aliquot observata apertius explicari. Illi quoque morbi primo ne quid videbantur portendere; tam subdole ex conspicuo incedebant. Quapropter duabus, tribusve pri-

mis febrientibus, solitis remediis frustra porrectis, aliqua confisione antimonii praeparata dedimus, sed incassum itidem.

Profecto, instituta coram discipulis ac medicis aliis corporum apertura mox commonstravit, hisce in febribus tam parum salutis spem concipi, ac in inflammatione pulmonum, postquam ad tertiam partem consumsit eos sphacelus. Quare ultro medicamen misimus, certi quippe, eodem perinde atque subsidiis aliis in ista calamitate nihil juvari. Idque in omni aestimando pharmaco maximopere convenit. Nemo nisi mente perplexus, firmata mortis causa, medicinam per experimentum offert, dicens postea graviter: *Tentavi equidem.* Caeterum, quod procul ego ab omni clamosa commendatione distem, contra, quam pronus in addubitandum, et aequabilis experiundo factus in omnes medicinas fuerim; id milleni nunc et medici et chirurgi ex praelectionibus meis, et parientium puerperarumque curatione, optime perspectum habent.

Idque ingenue et palam profiteor, credere me atque convictum esse, ad usum in medicina, quaecunque sit nostrae sapientiae gloriatio, *a priori* nec sciri, nec pernosci quidquam, sed totam scientiam reapse praeter expolitam varia arte, studioque acceptam empiriam esse nihil. Ubinam igitur homo ille magnus et magnificus, qui expertus cuncta solus, cunctaque tentavit, et delibatam vix artem longo gutture hausit? Quid ita? Nonne nunc

etiamnum *astragali exscapi* et *terrae ponderosae*, multorumque aliorum exclamatissima prodigia medio die accensa lucerna quaerunt? Nonne omnicuique, quotquot medici sunt, (ne quid tamen reliqui ab arte et merito cuipiam derogatum velim) in scientia jus ratioque par est? Alii namque, quod esse verum et utile affirmant, idem illud aliis ea veri specie asserere noxium esse falsumque licet. Cunctis quippe demonstrationis fundamentum et principium deest, ne quidem ex factis et eventubus comparandum.

Qualis demum ars sit, istud vel mortuorum quotidie consignatio divulgat. Quodsi enim etiam fortuitas, vel ex membrorum pernicie inevitabiles caedes excipis; nihilominus inter centenos exanimatos vix unum reperies, qui mortem obiverit ex naturali senio. Quidni? Vaga nunc ubique et omniscia medicina reliquos nonaginta et ultra vix genitos et infantes et juvenes et vigentes constanti aetate et senescentes parum servavit? At fuit tamen, qui tot ante naturales fines a vita eripuit, cognitus morbus? Verum non? Quodsi igitur cognitio haec cadere in mortales non potest; uterque certe pariter male habet, aeger ex morbo, medicus ex doctrina. Tunc etiam ne de medicamentis scietur, utrum congruerint, nec ne. Quia enim morbus, vel perspectus quidem, in mortem desiit, nonne est necesse, ut vel medicina defecerit, vel error in illius delectu, vel in medendi universa norma fuerit? Quapropter stul-

tissimum est, in aliis dementiam dicere, quod laboriose et caute experiundo supplere arti student. Vel enim pro honesto, nec ludicro ad medendum periti navatam operam cum probitate habeas, vel fallax, vana et praestigiosa omnis medicina est.

Profecto, vix in alio quopiam morborum genere valens medicamen anxius desideratur, quam in ipso hoc, qui aliquamdiu epidemice, atque in populosis praesertim urbibus magis, quam ruri, puerperas tollit. Puerperarum malignam febrem puta, febrem nempe, quae ex affecto pessime putridoque utero infertur, vel eam etiam, quae demum corrumpi et putrescere uterum ipsa efficit. Attamen seu idiopathica sit febris, seu deuteropathica; id ubique constans est, sanari nullatenus posse, nisi occursetur vitio loci, quidve in utero et propinquis partibus dudum ex corruptione inest, propemodo removeatur. Ecce technica bina argumenta, quae natura proponit, ars quae resolvat!

Utinam medici, quibus morbi aspectus iste medendique modus parum placet, servata tametsi una eo alteraque aegra, meliora impertiantur. Id saltem accipitur, soluto et putrefacto utero, diversimode affectis aut corruptis ovariis, ligamentis, aliisque partibus, nec decoctam althaeam, nec *arcanum duplicatum*, neque camphoram mederi neque corticem, *inflammatoriam*, vel *biliosam*, nervosam denique vel putridam praedicaveris febrem; vel sola ea

stet, vel proximarum partium cum affectione; proinde etiam, adsit exanthema, nec ne. Atque hic ipse morbus est, qui ubicunque grassabatur, grassatus ubicunque lethaliter est.

Student equidem in nosocomiis certi obstetricantes et medici, gloriose occulere, quot puerperas hac ex febre amiserint. Id vero damnum est, quod non etiam sepelire ipsis contingat; ita enim scitur, in quot cadaveribus detrimenta publice sint conspecta. Nos saltem morbum istum tantopere exitiosum reputamus, ut, si forte unquam evadit puerpera, id potius portentum esse naturae, quam meritum artis videatur; atque tum quidem necesse est, plurima ad sanationem propitius infuisse corpori. Quisquis haec nimium extolli autumat, nae, nunquam morbum ipse vidit? vel levem quamlibet in puerpera febrem, modicum omnem ventris dolorem, turbata quidquam lochia, pro febre maligna puerperarum probat, eamque sese prae aliis callidissime vicisse gestitat.

* * *

Ultima, quae in Libro tertio consignatio est, usque ad 15. Septembris 1792 pertingit. Quare, ut inposterum commodius discernatur, illum defectum hîc subjungimus.

A 17. Septembris usque ad ultimam Decembris 1792 nati sunt pueri 186; puellae 190. Inter illos decem cum abortus, tum praematurius nati demortui pueri, ac septem puellae fuere. Calendis Decembris mortuae duae puerperae

sunt. Nunc videsis praecedentium annorum historias, quales ex cancellariae libris et scholae notis descriptae ad verbum sunt.

A. 1793	partus	erant	1191.	Demort.	puerperae	32.
— 1794	—	—	1117.	—	—	6.
— 1795	—	—	1059.	—	—	31.
— 1796	—	—	1093.	—	—	16.
— 1797	—	—	1142.	—	—	4.
— 1798	—	—	1107.	—	—	5.
— 1799	—	—	1188.	—	—	17.
— 1800	—	—	1156.	—	—	32.

* * *

Inter omnes illos partus acephalon unus fuit, et unus trigeminorum. Qui faciem praeferebant foetus, eorum exitus omnes, cum optimo pro matre ac infante successu committebantur naturae; inter ducentos ferme unicum modo instrumento tractavi. Reliqui omnes infantes, tribus exceptis *) vivi nascebantur, neque citius, quam alii solito more geniti vivere desierunt, necque illis retrorsus magis reclinatum caput erat. Neve cuipiam matri gravis in locis offensa contigit.

Quum itaque longius nequeunt praetexere, praeverso ore foetus, relictos sibi, ex partu necessario emori, mox in alias miserias nobilis intendebatur cura. Sed uti anus sapiunt, pari-

*) Ex his jam demortui duo fuere, priusquam in partum decederent.

terque narrant, quia nihil observaverunt unquam, ne viderunt quidem. Sed ad quid inanes tot cavillationes, impeditiones, privataque odia? Ego pro parte mea cunctos anteverso ore aliosque citra situm compositos foetus cum utriusque commodo mandare ad naturam consuevi. Id fieri perperam, alii exclamant, diversa molientes. Satin bene? Libet. Nec me, nec quas proximas habeo, cadere in tam operosas manus terrent. Vertat itaque, vertique curet, quiscunque velit. In nostro saltem instituto ex tam multis facie oblata proditis, cum pari, praemisso vertice enixorum, numero collatis infantibus, illorum certe pauciores in hunc diem, quam ex his obiisse sub partu, istud evertere nemo potest.

Nec taedeat repeti, cunctos etiam alios partus, praecedente coccyge, pedibus, genubusve, ni forte tardo capiti aliquando subveniatur, a quavis caeterum pernicitate immunes linqui. Quarum partium quodsi in suprema pelvi ea locatio est, ut infantis pectus et venter ad antica, ideoque dorsum illius dorso incumbat matris; tum enim vero omnium accommoda quam maxime et aptata est parturitio.

Propter obliquitatem oris vel capitis, ne digitus, ne manus, multo minus unquam aliquod instrumentum immittebatur. Alioqui infantilium verticum abunde salva et prospera quaelibet est positio: utinam obstetricantûm etiam minus in obliquo capita essent.

Inter puerperas, lactantes item, ac non la-

ctantes, ne unam in nosocomio phlegmone mammarum vel ulceratio afflixit. Paucas illas, quae cum vitio uberis jam adventaverant, simplicissima arte sanavimus.

Demortuarum pars maxima e foeminis fuit, quae febrientes jam, vel longinquo cum morbo ex urbe et suburbanis, vel ex valetudinario in scholam transportabantur; in iis vario, et a partu puerperioque omnimode diverso, ac per se exsistente morbo, mors inevitabilis erat. At complures morbus nervosus, ortus a topica putredine uteri, et alia ab 1799 usque 1800 epidemica, maxime puerperis, exitiosa febris scarlatina rapuit; systemate uteri haud quidem ad conspectum vehementer, seu ad mortem contaminato, neque tamen intacto penitus.

Verum varia et diversa maxime ab iis, quae in hac narratione aperio, figmenta et falsitates in alio schemate nuper promulgato legimus. Atqui tamen continuo repeto: *Quod verum, id optimum.* Nobis quippe non ea tanta est commoditas, ut aegras in quovis metu mortisque imo novissima hora ad cubilia disparis omnino notae relegemus, ibique dolorum alienas inter socias mori faciamus. Qua novitate fraudis paucae modo puerperae miserabili utuntur fortuna, ut, ubi peperere, ibidem sibi tranquillum etiam defungi sit. Sed moriuntur tamen, atque mortuae naviter pridem sunt. In qua pulcerrima constitutione id commodissimum accidit, exanimatos vulgo haud loqui amplius. Nihilominus multum illud, quod per errorem

fortassis? in designanda defunctarum copia deficit, saltem ex parte suppleri aliunde potest.

Numerus discipulorum cum ex provinciis austriacis, tum exteris per hos annos in instituto technico admissorum, assurgere ad millia circiter tria visus. Illorum hic nomina scribere supervacuum foret. Qui enim ex solitis instructionibus ac frequentissima partus opportunitate capere usum non neglexere, jam ipso exercitio monstrant, probaturique magis magisque sunt, bona fortuna, artem obstetriciam se doctos in liberali et utilissima Vindobonensi schola fuisse.

FINIS VOLUMINIS SECUNDI.

NATURALIS

MEDICINAE

OBSTETRICIAE

VOLUMEN TERTIUM.

PRAEFATIO.

In amplissimo Instituto, ubi partus partum excipit, obstetricandi artem ab ipsa ediscere natura expeditum est, dum aequabiliter modo, liberaque mente, ad facta aspiciendi voluntas, spectandi eaque facultas sit.

Similis vero instructa occasio obstetricantibus raro datur; unde scimus, quare in cumulo librorum de arte obstetricia quam plura indigesta, vaga, experientiae aliena, ipsique naturae adversa consilia et praecepta sint.

Eaque quanquam professa licentius, intimo tamen ex animo obtestor, nec a sciolo, ambitioso, neque homine novatore prodiisse. Inter omnes quippe, quae mortales nos divexant passiones, innovandi cupido, scientiaeque jactantia: his me prope insontem ex natura sentio. Nihilominus in ea sum opinione, artem nostram procul etiamnum abesse, ut magis prosit humano generi, quam noceat; siquidem permulti in illius exercitio

ita factitant, ut, quae ab aliis paullatim vel perficiuntur vel corriguntur, mox temeritate et vaniloquentia rejiciant, destruantque. Tametsi enim quilibet artem sub auspiciis suis indies efferri personet, conspicimus tamen ubique, tristibus nugis praeposteroque conatu non modo non promoveri eam, sed quo stetit, repelli potius.

In technica omni re argumentatio optima ab effectubus est. Atqui ego multa partuum millia continua serie offero, qui coram sexcentis medicis ac chirurgis non ad vulgatas scholae regulas, sed recte mea tractabantur methodo. Deinceps si partus vel ex natura molestos, vel artificiales, item puerperarum et infantum morbos obitusque in nostro instituto ad id comparamus, quod in aliis ejusmodi locis obtinet, haud ambigua longius in re judicatio est. Caeterum risum movet, ingentem in his institutis discrepantiam doctos aliquos felicitati in Austria muliebris corporaturae adscribere; quasi nesciant, aut nolint scire, parientes apud nos ultra dimidium esse extraneas. Aut fortasse etiam cavitates osseas his expandi a Viennensi climate credunt? Stomachum et alia prope quaepiam viscera saepius ampliari hîc non est novum; at pelves amplificari novissimum

est. Nec summatim epidemicorum causa, nec ortus endemiarum neque consequens inde fortemortalitas merito in tractationem conjicitur. Ex ipsa illa varietate potius manifestum fit, tales morbos, illorumque funestos exitus neutiquam imputandos arti esse; imo nihil fortassis in hac desiderari, praeterquam ut grassans omnis lues ex natura cominus expugnetur, inque rebus humanis cuncta in effectum ducantur, ut excogitare ad imaginationem fluxum est. Id enim vero vires nostrates superat; viderint, qui procul melius sapiunt.

Nemo praeterea non perspicit, raram aliquam in qualicunque provincia instituti obstetricii speciem a plenis, in populosis urbibus, *Viennae*, *Berolini*, *Lutet. Parisiorum* vel *Londini* Institutis puerperarum toto distare coelo. Ibi parientium pro libitu raro quidem, at scrupulose tamen habetur delectus, quidquod ad prostituendum se experimentis, mercede conducuntur; hic ingens et solutissimarum passim foeminarum ab urbe, suburbiis, oppidisque, ex Germania, atque omni fere Europa longiusque undique affluxus est. In nostra schola ne ullam, quae in utero habet, etsi ob formam corporis, aut alias scrupulositates minus placet, repudiare

nec, quae gratior sit, expromere aliam licet. Nobis brevis et simplicissima lex est, gravidas, quotquot in nosocomiis degunt, tametsi in ultimis vitae adferantur, uti sanas itidem, quotquot foris adveniunt, et praegnantes et puerperas sine dubitatione suscipere in curam, etiamsi ut fit, plures saepe dies domi jamjam ab obstetriciis medicis ante et obstetricibus perquam pertractatae fuerint. Nobis quippe adveniunt aqua et terra, omni diei noctisque hora, valentes perinde ac morbidae, defluxis non raro multas jam horas aquis, hieme totidem in cutem madidae, vel frigore rigescentes, ac aestivo tempore caloribus exustae et ad mortem elanguidae foeminae. Est tandem aliarum quoque copia, quae, postquam in tuguriis suis, seu quod persaepe fit, in plateis exclusere, portantes infantem una cum secundis in subligaculo, vix non exsangues accipiuntur.

Quam patens hic, amoenissimusque ad operandum campus! Ad *Memorabilia*, ad milleque extrahendos partus forcipe; ad sellarum novas copias; ad innumerasque erecto vel sedente, numnam et supino corpore? perpatrandas innocentium tractiones!

Nihilominus *Memorabilium* immemora-

bilis scriptor quidam ridicule superbit, inter aliquot paucissimos partus nunquam se exemisse cerebrum, omnemque nefande increpat, qui aliquando per necessitatem hac fungitur opera, ratus officii sui, infante alioquin conclamato, excussione illius cerebri, potius reservare genitricem saltem, quam gigantea vi, ac bruto instrumento, tractubus concussibusque, iterato insultu, novisque substitutis operariis quoque etiam conficere matrem.

Inter mille et ultra longe partus, ne aliquando necesse est scindere foetum; quapropter latitanti uspiam in deserto angulo *operatori* vix per omnem vitam talis tristitia accidit. Num vero, in parientium multitudine, sin ejuscemodi partus fataliter intervenit, propter ingratissimum munus arguendus quispiam crudelitatis? Heu sana mens! quam rarum es donum, si homines, quin doctores tam turpiter desipiunt.

Verum a tanto et intrudere ferrum semper promptissimo *obstetricatore* merito exspectamus, si forte in mentem sibi venerit, *perforatorium* ad suam artem emendare, propemodo, ac cum forcipe fecit, fore tandem, ut infantibus ex lubidine etiam cerebra tollat, uti nunc, quotquot fere obviam

sunt, omnipotenti forcipe sua violentus corpora trahit.

Profecto, juxta praepotentium ejusmodi efferata dicta, eximendo cerebro nunquam non supersedes tutissime. Magni tales homines neque habilitate, nec quadam agendi modestia indigent. Nisi enim eos monstrum sua forceps fallat, confidunt penitus, robore hoc qualecunque se frangere et per uteri collum et vaginam evellere caput. Neque etiam ullum unquam foetus cranium sat firmiter pelvis tenet, quod non strenuis brachiis repercutere in sinum matris valeant.

Tales certe dulcedines non ubique percipis! At vae humano generi, si ars obstetricia ad ferream hac vilitate barbariem inscitiamque reprimitur, unde vix discessit.

Silentio hasce mihi ipsi ingratas animadversiones praetermisissem, nisi quidam obstetricator, alioqui significatus, ne nominetur, contra traditum mihi institutum, contra nomen, quod immortalis Imperator JOSEPHUS, summus mihi benefactor, proprio motu imposuit, absque omni data culpa, quin in alienissima et longinqua terra ipse me, neque ipsum ego, unquam viderimus nos, perpetuus calumniator esset. Fallitur autem persuasus forte, me nunc, vel

inposterum affligi a se nonnihil. Istum hominem et consimiles satis sprevisse est.

Attamen probus et ingenuus omnis vir id mecum dolebit, a tali peste scientiae, illiusque finibus maximopere noceri. Neque ad veritatem rerumque utilium proferendas cognitiones id facit utiliter, quoniam res, quas vix ex parte norunt, vel omnino nesciunt, intemperanter undique vel collaudant vel vituperant homines. Qui magis in propinquo lustrarunt formas, admirantur, quemadmodum viri alias venerabiles praematura primi volatus talia pericula, tanquam doctas observationes, et digna exempla fide, adoptare suis scriptis, sicque descendere in humile velint.

Optandum profecto esset, in rerum extra se positarum omni dijudicatione id meminisse eruditos criticosque, diversitatem in locis esse, aliasque conversiones, ubi ipsi, atque alias, ubi alii degunt; nec, quae scimus omnia, aut cogitamus, etiam perscribi omnia posse. Verum ita agitur, ut res eo properantius dirimamus, quo magis a nobis distant. Unde fit, ut alterius sermones confundantur, quae non cogitavit, cogitata sibi supponantur, quaeque non gestivit, gesta factaque in se conferantur.

Nunc pauca adhuc de ipso opere, cujus quum primam partem typis committebam, ad lustri prioris finem id omne absolutum et auctoris simul emensum fore curriculum fidens credidi. At experimur experiundo, quibus rebus quo diutius occupamur, de iis eo perscribi difficilius. Porro insidiae quaedam etiam, et universim literis parum amicae tempestates opus retardavere. Adest tamen ad prosequendum materia, ut ex observatis et rerum delectu, istac commentationum forma, artis nova fortasse doctrina prodeat, quae, tametsi minus placet coëvis, haud tamen inaccepta erit posteris. Arti quippe, quam suggessit natura, itidem etiam atque ipsi naturae firmamentum, vis, et perennitas manet.

Ex Instituto technico obstetricio, M. Augusti 1806.

LIBER QUINTUS.

DE PARTU PRAETER NATURAM ET FOETUS VERSIONE.

Infantem manu dirigit medicus vel in caput, vel in pedes, si forte aliter compositus est.

Cels.

Posteaquam exploratione innotuit, maturum, seu praematurum foetum (noviores ex situ nihil moratur), ita locatum super pelvim esse, ut aliter quam capite, clunibus, pedibus, genubusve in partum procedat; vel si quidem recte adest, graves vero afflictus opus accelerare jubeant; si porro infans ita in margine incubet, ut venire ad illius pedes opportune liceat; quodsi tandem ea sit pelvis haud iniqua conformatio, quae partus probe expediendi spem prae se ferat; tum veniendum *ad Versionem* est. Manu videlicet per vaginam utero leniter insinuata, foetus pedes investigati prehensique caute in vaginam demittuntur, quo facto parturitionis actus cedere ultra possit.

Quilibet praegressis pedibus a natura foetus, tum omnis in pedes versio, gignenti molestias et majus infanti periculum intendit, quam idem partus, si capite praeverso fieret. Ubicunque enim caput praeest, ea, rebus paribus, omnium commodissima est paturitio.

Ne itaque, quin necesse sit, infantem vertas; tum vero minime, ubi non sat justa pelvis spatia habet. Vesano certe consilio capite praevio, ad praegrandi, vel quod ad idem redit, pelvi angusta atque ex hac molesto nixu, versio patratur. Facinus tale infanti ac matri nunquam non exitio est.

Sin partus lanquet vero, ut fieri sine auxilio artis nequeat, foetu interea ita composito, illiusque capite in pelvim satis demisso, ut forceps possit applicari; hanc procurationem, utpote matri ac proli minus infestam, versioni ubique anteponas.

Attamen versionis tota eruditio in quotidianis libris particulatim nimio, et ob id ipsum ad singulos eventus confuse traditur; quaedam enim inutilia et inefficacia ipsa subtilitas reddit. Infinita quippe in collocatione partuum aliisque rebus diversitas obtinet, ut quae in tanta casuum mobilitate, et ad incidentes vicissitudines ratio agendi recta et aptissima sit, quibusve modis infans tractari et moveri debeat, nonnisi generalibus praeceptis comprehendatur. Atque primum absit versio, nisi impellente necessitate, et pensitatis rebus omnibus, utrum foetus etiam illibata matre opportunus educi

sit; plurima enim, quae ex artificiali partu advenere unquam infortunia, initium ab inconsulta versione ducebant. Attamen necessitate intercessionis semel evicta, oportet, ut medicus adstantes ac puerperam de proposito decenter adhortetur, cunctaque ad finem necessaria nunc, ac ulterius, urbane disponat.

Praeter alia, quae in omni vulgari partu desiderantur, nisi enitens cubet ex latere, *transversum* ad versionem stratum convenit, quod parienti aeque ut obstetricanti accommodatum, artificiosae omni sellae aliisque machinamentis longe praestat.

Tum rebus curate adpositis, aegra inter suave colloquium ad lectum commissa, pro temperie modeste tegitur. Strato ita incumbat, ut nates liberae sint. Tum prolata crura, quietis pedibus super bina scabella, fulciuntur, pede genuque ab assidente, ad utrumque latus, foemina leniter sustentatis. Ita saltem mos est, dum versio, aut quaecunque opera alia, incumbente aegra in dorsum fit. Alias, atque commodius, cubare ex latere potest. Nos vero hoc loco particulatim ex priore ritu instituimus, non quod optimum sciamus, sed quoniam nostratibus usitatior est.

Truncus corporis modice elevatus, et paullo altius positum caput sit, quod stans retro ministra una cum brachiis molliter sustinet. Quaedam porro paucae aliae ad ministeria praesto sint mulieres. Prae lecto aegrae sub cruribus ponatur labrum, recipiens sanguen et

sorditias. Sit etiam inter scabella pulvinar, cui obstetricans incumbit genubus; hac enim positione labori longissime par erit.

Obstetricans, ad opus accingens se, deposita veste extima, subligaculum induit; sed oportet, ut coram pariente et adstantibus id cum specie excusationis fiat. Nec in conspectu aegrae succingat manicas. Pleraque ista incurie ac velut casu fiant; imo ex quo manus in vaginam cedit, manica sponte volvitur. Novi chirurgum ego, (isque obstetricantium sese exemplar credit) qui, disjecto capillamento, imposita mitra, nudatis brachiis, indutus subucula, nigro ante crura pendente linteo, parienti ad lectum ultra horam assidebat, antequam veniretur ad versionem. Putabam, ait nobilis matrona, partus aliquando narrans historiam, versari me in extremis, nec reum unquam supplicii, ut me anxietas mortis torsit.

Perinde porro est, qua manu convertatur foetus, dum vertitur bene modo. In peregrinationibus meis inter familiares obstetricantis fui, qui nonnisi una manu utebatur, altera defecta; non minus tamen habilitate, et successu percelebris. Felicior certe in utraque manu dexteritas est; tuncque illa inprimis adhibenda, qua pedes pro vario foetus situ facile prehendi, apte moveri et tutissime duci possunt. Ea porro ipsa manus, quae opus coepit, idem etiam, siquidem potest, perficiat. Fac tamen, ut in illud, quod et utile et commodum maxime pro matre et prole est, cordatius intendas, quam in ritus elegantiam.

Quo facilius manus in genitale pergat, ejus dorsum, et omnis cubitus modice ungatur. Posthac extensi digiti apponuntur sibi, imponunturque; tum manus, propemodo in rotundum acumen desinens, tarde et lenissime insinuatur.

Interdum foetus aliquod membrum, exempli causa, brachium, aut chorda umbilicaris, jam ante in vaginam descendit. Has partes in uterum haud reprime; sed manum tuam vergere juxta internam brachioli aut funis oram ita sinito, ne inclementi pressione noceas. At fune e vulva delapso ac pulsante, primo illum in cavum pelvis referto, tum prorsus permota eadem manu in uterum, confestim et suaviter orditor vertere.

Uteri ore omnino aperto, vel prono accedi, ingressa manus parum cautionis petit. Contra orificio minus etiamsi patulo, at explanato tamen, ut inductis primo digitis ac manu possit dilatari, (quod tentare modo licet, ubi exspectare ampliationem a natura discrimen est) opus hoc patientissime et prudenti cunctatione exequere. In hoc quippe etiam, ut in multis aliis rebus, saepe sum expertus, id, quod nunc effici nullatenus potest, proximo momento alioqui cedere.

Quando autem foetus capite, trunco, artubusve in marginem pelvis tantum gravitat, ut manus per os uteri non intrare in illius cavum, nec attingere et movere pedes possit, quin prope oram pelvis ad caput fortasse offensi et im-

pacti renitantur, quodque multo est pejus, protracti super dorsum foetus restitent; ante omnia pars praepediens leniter et tute removeatur, dumque licet, declinando eam ad alterutrum latus, primo ita modificandus situs infantis est, ac opus videtur, ut manus ad pedes possit moveri; nova cura ac cautione, ne nunc pedes, ex quo illos adducis, in ostio cum capite primo iterumve collidant.

Atque in hoc, quem jam exposui, modo, quo in molesta versione manum ad foetus pedes tendimus, ne vero, ut certi magistri male docent, caput foetus quantacunque vi ac perpetuo in fundum uteri retrudendo, apta versionis consistit *praeparatio.* Illo quippe cruciatu mater potius ad mortem, quam infans ad versionem paratur. Quousque tandem et puerperas et foetus pro machinis et spectris, item vivos uteros pro saccis ex corio habebunt!

Pergit autem manus ex facili plerumque ad infantis pedes, dum duci super pectus potest.

Posteaquam ad pedes ventum, sin ambos cum securitate simul trahis, id maxime expedire scito. In qua opera, ut in reliquo universo negotio, ita oportet versari, ut membra explicentur, reganturque, quemadmodum structura partium, et spatia, et naturalis juncturarum mobilitas sine periculo luxationis et fracturae, seu alio damno, aut jubet aut sinit.

Quodsi interea, ex quo pedes quaeruntur, aut manu per vaginam in uterum itur, ac universim, donec in eo manus agit, pariendi nixus,

vel alia impeditio incidit; confestim quiescere oportet, manu mox explanata et sine motu ibidem morante, donec dolor et contractio cessaverit.

Caeterum, quousque labor geritur, ars equidem necessaria vi in foetum se exserat; sed in uterum modo, quoad mollius fieri et rei natura et afflictio negat. Secundinis praesertim ex parte aliqua ab utero jam solutis attente parcito. Intactus etiam, quantum potest, funiculus maneat.

Ambo pedes ubi simul duci cum securitate nequeunt, praestat potiri alterutro. Qua quidem in re maxime congruit, illum potius prehendere, quo moto et deorsum ducto, infantis corpus ita circa axim volvitur, ut deinceps abdomen, pectus, tum facies quoque propius ad dorsum matris et os sacrum spectet.

Quae hucusque dicta sunt, ad omnem, inprimis ubi ex latere suo incumbit infans, versionis modum pertinent. Sin vero dudum ab initio venter vel pectus respicit pelvim, transversim ita foetus positi circa axim suam conversio interdum non necessaria, aliquando impossibilis, imo noxia erit. Interim etiam in hac positione, ex quo deorsum pedes moventur, ita dirigatur foetus, ut facillime, dum juxta longitudinem pelvim subit, et brevissima via, et ad naturalem maxime modum, quo potest circumagi, ventre et pectore adverso in os sacrum prodeat.

Pedes generatim eo loco ducantur, qui ob

spatium prae reliquis se commendat; sin alias ad tradita consilia opitulatio procedit. Aptissime illos ad utrum latus aperturae, vel in ilei alterutro angulo in vaginam diriges. Attamen impedita, aut diutius neglecta opera, et locum et agendi rationem necessitas indicit.

Ac primo quidem, alterutro dumtaxat promoto pede, manus secundum internam illius plagam denuo in loca fertur, alterum prehensum, sin absque metu ac singulari molestia potest cedere; aliter consultius foetum, pede uno super abdomen reclinato, sinas prodire.

Tunc aliquando, quae alterum obtineat pedem, manus referri nequit, nisi devoluto priore retruso quidquam.

In quo, nec levi saepe obstaculo, bombycea in hos usus texta fimbria, aut fascia quaedam, super malleolos demissi pedis in vaginam ponitur. Posthac, dum alterutram in genitale manum ducis, altera adstrictum pedem leniter sustineto. Si vero pedibus in pelvim delapsis reliquum corpus non insequitur, quia duplicatum forte aperturam occupat, trunco vel secundum naturam flexo, vel quod pessimum est, ex capite ad imum dorsum reflexo; necesse fit, singulum pedem cingere ansa, post alterutra manu eos moderate adducere, altera infantis pectus et caput prudenter, et lenissime levare. Ne vero fasciam cunctante opera nimium et diu stringere eodem loco sinas. Quapropter absumenda est, quamprimum non ultra expedit; alias oppressa plaga certissimam noxam habet.

Ple-

Pleraeque aliae ad versionem laudatae fimbriarum formae, et baculi, et alia hujus notae stolida genera, labore vere arduo, ex se inepta, tum facili, ne pejus dicam, supervacanea, sed utrinde in agresti manu et matri et infanti calamitosa semper ad perniciem sunt.

Pedibus in vaginam ductis id, quod natura merito ab arte exspectavit, ars quoque perfecit. Postea ni gravi vitio loci seu alia indignatione impedimentum fiat, ad reliqua saepius saluberrime sibi natura sufficit. Nuncque ad summum per occasiones modo intercedat industria, plerumque maxime proficiens, a praepostera agitatione abstinendo. Nonnunquam, ne intempesta et incongrua diligentia vehementer noceas, abunde sit, utrumque vel alterutrum pedem adduxisse ac caetera cum prospicientia opperiri. Permulti equidem hoc aevo obstetricantes ea pollent et doctrina et habilitate et audacia, ut arti suae ne minimum diffidant, licet haud tandem ignorare fas sit, foetum in partu naturali perinde ac in abnormi, motu progressivo simul gyroque, procedere. Hunc motum ipsa natura efficit, dirigitque, ut nulla ars sine nisu illum ac invitatione naturae similiter, eadem opportunitate mansuetudineque, producere vel imitari unquam potis sit.

Posteaquam infans ad coxas usque, et ultra prodiit; illas linteo molliter involvere, et decorum, et idoneum scito. Deinceps partem suscipere manu, ac propemodo sustinere oportet, donec corpus sponte sequitur, seu ubi necesse

est, caute et ad exemplum naturae permovetur. Antea vero umbilicaris funiculi habenda est observatio: num quidquam promoveri debeat. Tum funis duobus digitis super umbilicum tute prehensus, quantum sufficit, paullatim ac brevissime attrahitur. Verum cavesis, ne immisso inter ventrem et chordam digito vel pluribus, rudis eam extrahere tendas; hac duritia multi umbilici evulsi sunt.

Postquam demum foetus, thorace ac ventre prope ad os sacrum reclinato, ad omoplatas descendit; alterutrum saépe, subin etiam brachium utrumque prae pectore et ad latus vi nixuum in vaginam et extus truditur. Qandoque tamen caput et sursum protensa a latere brachia simul prodeunt, ubi nempe pelvis spatiosa, nec caput praegrande, et efficax satis nisus fuerit. Hîc nihil est, quod brachium evolvi jubeat; namque, quo caput liberius cedat, et quadam cum securitate reservetur infans, praestat, ut vel utroque vel altero certe, ad buccam sublato brachio, per os uteri ac pelvim pergat.

Ubi autem vere constat, brachia transituro capiti sursum obstare; primo explicandum illud est, quod cedit facilius; idque frequentissime prae alio ad sacrum matris spectat. Postea, quando quidem sequi caput potest, alterum brachium intactum linquito. Sin vero ex illius situ, aliisque notis aperitur, relictum membrum descensui prorsus obesse, confestim, uti cum priore, etiam hujus curetur expeditio. Index

nempe digitus et medius in externa et superiore cubiti facie ad ulnae juncturam interius, et si fieri potest, ad humerum duci debet, ut apex indicis ab initio, donec motus in junctura incipit, ipso ulnae in articulo conquiescat; tum brachium moderatissime ad infantis pectus infra et extrorsum regitur. Qua occasione vix satis admonemus, ut in hoc motu ad compaginem partium et juncturas observetur diligenter, et evolutio partis sensim fiat et cordatissime. Obstetrix, ex quo alterutra manu tenue brachium demittit, alteram, fulciendo pectori et trunco foetus, supponit. Nunc vero primum adest subtillissimum multoque maxime formidolosum omni in pedes converso foetui commune punctum: capitis nempe egressus. Pedes scilicet item et clunes sequaces esse admodum consueverunt, ut negotiosi obstetricantes arti suae manubusque saepe tribuant, quod artem nullatenus attinet; donec ventum ad transitum capitis est, quod in tali partu, praesertim si praecox, rudis et demens, ut fit, tractatio irruit, corpus suum raro vivens sequitur. Propterea exhorresco heroes magistros illos, qui toti et perpetui in versione sunt.

Ante omnia profitendum, in quovis partu, inprimis, ubi pedes intrant, necesse esse, ut plurima imo cuncta per naturam fiant; illius quippe absque tempestiva et actuosa ope infans, nisi modico corpore et in ampla pelvi est, provenire cum vita nequit. Quibus in angustiis praesertim ad nixus attendito, quos etiam

pro necessitate et congruenter aliquando excire per industriam competit. Postea, si caput eo pervenit, ut abducta forsan leniter inferiore maxilla, ad superiorem apponi bini digiti, alteriusque manus index digitus et medius niti in occiput possint; dum interea reliquis utriusque digitis foetus thorax ex sterno et retro molliter comprehenditur, ventre ac pedibus super obstetricantis brachio dispositis; tum ad tempus et varias opportunitates, quin festinando et temeraria vi in molli corpore trahatur ex jugulo, in hoc potius curatio et efficientia sit, quo caput aptissimo et ad singulam dimenso offensionem motu, ita super perinaeum vergat, ut, quantum potest, caro ista immunis est illaesa conservetur. Verum tamen, nisi exiguum caput et perquam recte constitutum genitale fuerit, interveniam cutem tractavisse sine indignatione rarum est.

Sin neque parturitionis ipso nisu neque extraneis subsidiis caput sat tempestive et benigne exit, aptissimum applicare forcipem est. Ex quo medicus in artificio partus occupatur, opportune interdum explorare debet, numnam, quaque vi pulset funiculus; inde enim efficitur, quatenus properare oporteat. Sed evanido etiam chordae pulsu, ac quamquam in foetu, nondum omnino progresso, motum vitae esse nihil sentiatur, haud tamen protinus crudeliter aggredi et indice medioque, furcae instar, cervici injectis, reliquisque ungularum more collo infixis digitis extrahere pullum et

conquassare fas est. Simili ferocia asphycticus etiamnum infans ab obstetricantis officiosa manu enim vero recte feritur, ut nunc jamjam actum de vita sit.

Neque tamen celamus, omni licet adhibita operati moderatione, providentia et dexteritate, nihilominus permultos foetus emori, seu naturae in negotio ministres, seu infante ad pedes devoluto, agere eam paene solam sinas. Id autem ex re fluit, neque hac curatione cedere optatius potest: propterea, quod in simili partu, quemadmodum infans ex pelvi movetur, pars ultima caput sit.

Natus hac arte, proditis manifeste vitae signis, a placenta solutus summatim tractatur, ac si provenisset naturaliter. E diverso, ubi vita illius nondum recte est conspicua et firmata, ut saepe fit; mox ad excitantia confugiendum, iisque, quantum casus expetit, quadam pertinacia insistendum est.

Mater, nisi quidquam obsit, ex artificiali strato in alium juxta positum, temperate calefactum, lectum transfertur, modice tegitur, et curata fovetur. Atque etiam secundinae, si foetum non protinus aut brevi post sponte insequuntur, nec anceps profluvium vel alia adversitas urget, intactae remanent, donec, ut alioqui assolet, illas expellere natura tendit.

Sin, reclusis utero plus uno infantibus, necessitas incidit versionis, amnio secundi foetus nondum effuso, ne hujus velamenta rumpas, antequam prior satis descenderit, soler-

ter caveto. Infante autem, qui sequitur, alioqui non innatante amplius, procul absit, ut pedem ab utroque foetu unum, at potius utrius ambo pedes simul ducas. Ubi igitur scientia quidquam in incerto est, praestat alterutrum infantem duntaxat uno movere pede, illumque, si nihil aliter jubet, primo demittere, cujus proximum caput ad marginem pelvis erit.

Multa quidem adhuc aliae conversionem aliquamdiu morantur, et implicant. At particulatim cuique noxae legem et medicinam scribere, haud datum est. Obstetricans sana mente, et versatili ingenio, primis monitis in agendo apprime gubernatur; sine illa fortuna multis et complicatis praeceptis alioqui perplexatus operae suae multo ineptior redditur. Ita interdum plures, eaeque variae maxime passiones partus hoc genus aggravant. Ante omnia interest, quae sit uteri illiusque oris situs et conditio; quonam modo naturalia se habeant; quaeque puerperae constitutio, sensilitas molestiarumque tolerantia sit; quae foetus magnitudo et compositio; utrum, quaque parte prematur in pelvim, vel liber supra marginem ac mobilis, item ne orificio uteri propinquior cum capite sit, an cum pedibus; num restagnet liquor*),

*) In hoc exemplo, praesertim uteri ore satis ampliato, exquirere pedes et ambos ducere in vaginam simul, facile est. Verum tamen nonnisi insinuata in uterum, ibique

vel dudum, quamque diu effluxerit; an demum efficientes, ubi quandoque oportet, nisus sint, et similia plura. Siquidem nunc harum rerum relationumque quaedam singulae, aut illarum complures simul, durius infestant; conversio sine manifesta pernicie locum non habet.

Quodsi tamen hasce difficultates satis levari confidentia est, ut postea forte experiri versionem competat, protinus paranda auxilia sunt, quae indignationis modus, partusque caeterum ratio vel desiderat, vel concedit.

At restante etiamnum consultae versionis obstaculo, praestat eadem abstinere, et opperiri ex tempore et occasione, qualis demum futura indicatio sit. Idque potissimum est, ne foetum vesana manu visceratim evellendo, matrem crudeliter trucides. Quo quidem maleficio omnis certe, sine interventu forcipis, foetus matrisque a se discessus subito procuratur.

Caeterum ex proviso apteque institutam versionem rebus in extremis beneficam opem censeas; dumque ea in matris simul ac prolis salutem cesserit, est sane, quod obstetricans de sospitatis nonnisi sua peritia duobus morta-

---

juxta tunicas morante manu, disrumpi amnium debet. Residentibus enim aquis, expedita quaquavorsum manus mobilitas est. Quapropter ex locis manum haud retrahito, antequam apte comprehensos pedes una trahere deorsum possis; ne uterus post effluxum humidum contrahatur, ac quamlibet investigandi foetus operam obstinaciter praepediat.

libus in animo gaudeat; pulcerrima certe dulcisque peracti operis memoria. Nec alius doctorum quiscunque ne de uno homine ea sinceritate potest laetari: hominem servavi sine me in natura abolitum.

Sed nostro aevo inter exempla est, infantes, qui ab initio partus brachium in vaginam demissum habebant, post faciente natura, absque ulla intercessione artis, conversis in partum clunibus, adeoque exclusos sponte fuisse. Ac profecto, si comminiscere, haud rarissime foetum in matris sinu cubare ex transverso, huicque errori naturales insularum foeminas non minus esse obnoxias, quam mollitas et luxu fluentes in urbibus Europae conjuges; putare fas est, animalem naturam, opitulandi sibimet in magna penu, hac quoque gaudere potentia, ut transversam foetus, ejusque exitum morantem compositionem propemodo demutet corrigatque, ut dein sequi partus per se possit. Verum siquidem natura talem sibi vim habet deputatam, colligitur tamen ex ipsa, quae id affirment, exemplorum insolentia, solatii genus istud concessum sibi modo incertis pactis esse, quae evenire, aut incidere conjunctim, rarissime consueverunt; quarum insuper tam parum perspecta nobis ratio est, ut nullatenus in rem incertam confidere, nec juxta quidquam moliri liceat. Praeterea in quodam Londinensium instituto, circa aliquas praeverso brachio parturitiones, factis a cunctatione experimentis, clare compertum est, *Spon-*

taneam Evolutionem foetus pertinere nonnisi ad phaenomena; unde id unum summumque pro arte emergit, ut discamus, foetu transversim posito, tum versione diu omissa, vel aliter impedita, non protinus de secando, et reliquis extremis tractationibus arripiendum esse consilium. Quare igitur res in antiquo manet: in omni quippe partus situ abnormi, quamprimum caetera sinunt, tentare conversionem. Hoc pacto etiamnum ultra sospitandae in hac miseria et matris et prolis meritum ad artem redit.

Utut vero mater et infans artificio hoc, siquidem in tempore, apte, ac clementer instituitur, interdum asservantur; sic ipsum illud, perperam et sine causa inductum, certissimo exitio est. Nec tamen ex re injuria provenit, sed eorum ex culpa, qui versionem falso statuunt, inepte exercent, imprudenter docent. Quodsi hercle! certi homines in vita tota sua gerentem summa uterum foetura unquam conspexissent, minori longe praecipitatione et ausu in illa opera versarentur, humaniusque, quam passim faciunt, sese essent gesturi. Quae enim vero in re qualibet momenta sunt, illorum recta scientia et aestimatio tantum a vanitate metus, quantum a praepostera audentia continet. Atqui illi plurimum in negotioso tumultu multo maxime heroes et circulatores factitant, qui incepti discrimina nesciunt, vel siquidem suspiciunt, socordes pessime pericula propria reformidant, aliorum damna excordes nihil curant.

GENERALIA ADDITAMENTA in artificialem partum.

Quando naturalia resiccata, et vexationis intolerantia sunt, mucilaginis humore tepide ea mollitor, priusquam manum aut ferramentum inferas.

Alvus, nisi periculum festinet, proinde ac in naturali partu, purganda clystere est.

Ubi urina non satis evacuata, si mingere aegra nequit, excerni per artem debet; in obstinata difficultate tenuem fistulam, ex gummi elastico, qua in viris utuntur, adhibeto; me certe nunquam fefellit.

Si pelvis cavum propemodo amplum et vacivum reperitur, praesente licet aut inchoante nixu, manum insinuare, quin etiam ferramentum nihil vetat; quidquod nunc optima saepe occasio est.

Pendens nimium in genua venter sub ipsa operatione fulciri attollique debet; satius utique, si obstetricans alterutra manu id ipse nititur.

Chordam umbilicarem forte circumvolutam, quamprimum res ipsaque foetus emissio patitur, explicato.

Siquidem iniquus situs convertere infantem jubet, verum veniri ad pedes sine matris periculo nequit; dum, si caput forsan movendi facile et tutius ad introitum copia est, id omnino moliri oportet, ac circumspicere, quid natura deinceps faciat, renuatve, ut agendi porro modus et ratio sciatur.

In non paucis molestis partubus capitis in pelvim ingressus non tam a vera *conjugata*, quam aliunde a curvata vitiose ac intus prominente vertebra ultima penultimaque lumborum aggravatur, quidquod impeditur. Num et hîc metiri pelvim circino, et forcipe excipere caput trans supremam oram?

COMMENTATIO
DE
LACTATIONE ET MAMMARUM
IN
PUERPERIO CURA.

In hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem tanquam Deum sequimur, eique paremus.

Cic.

Paucissimae familiae per experientiam non compertum habent, quibus saepe mammarum offensis et doloribus divexentur puerperae.

Ecquid, forsan natura muliebria membra haecce erronee, et ad functionem, cui praesunt, tam inepta effinxit? Procul abest, ut rerum mater in hoc reprehendatur, ut potius indulgentiam illius, quaque stratas sibi contra sapientissimos fines a nobis injurias praevertit, tollit, imo patitur, benignam vim, curam, et aequabilem velut in vindictas longanimitatem admiremur.

Generales hae animadversiones ad rem, de qua hîc instituo, proxime spectant: ad lactationis nempe organa, ipsiusque muneris occupationem.

Atqui homo quoque, sicut pleraque animalia, dum in matre fit, ab illius sanguine incrementum habet. Postea genitus in lucem, utens facultate vivendi, a primo suo in aërem ingressu, novum genus existendi ducit, ampliusque maturatur ad perfectionem. Sed etiam infantem non ex puro aëre vivere vulgatum est.

Alimenta, atque si eadem ad recens natos referas, cruda quidem et adultorum potius sustentationi congrua, nutrire infantem nequeunt, concoctu scilicet assimilatuque sibi inepta. Indiget ergo ad continuandam vitam, materno, quo mox ante alebatur, humori simillimo pabulo, etiamnum ex ipsa traducendo genitrice: lacte nempe, quod ex matris ubere ipse sugat.

In quo firmo eoque communissimo statuto naturae nec mutari aliquid, neque demi potest, sine certa cum matris tum infantis noxa; nisi in utrove mutuo quidquam in hunc finem obsit.

Hacque naturae constanti manifestissimaque lege homines unquam abscessisse vix capimus: sed quid est, quod non solum in semetipsis, sed etiam in aliis non perpetuo conturbent? Dum vesana mente et elato supercilio simplicitatem naturae aspernantur, quin illis etiam sese detrectant beneficiis, quibus caetera instinctui parentia animalia cum felicitate vigent, laetantur, et prosperant. Quod praecipue ex ritubus, qui in eleganti mundo, ut vocant, matrem inter et prolem intercedunt, illorumque ex effectis cernitur. Is enim, quo nostro aevo ad se invicem se habent, modus, ab

eo prorsus abhorret, quo esse juxta se sibique ac secum deberent, mater natusque.

Veri tamen haud simile videtur, mortales ita lubenter a recto bonoque discessisse, nisi diu ad id impulsi forinsecus forent. Quantum in hoc culpae, ut reliqua praetermittamus, partim in medentes recidat, id operibus suis ipsi docent: *Ex ore eorum judicabitis eos.* Quippe id certissimum est, lactationem, matris hoc dulcissimum munus, per sophismata, saepiusque ex cupidine lucri, damno genitricis et infantis, imo totius humanae speciei cum pernicie in contemptus venisse. Atqui tamen, quaecunque foetum plures menses in corpore gessisse, et nutrivisse satis mater valet; illa, postquam peperit, natum etiam aliquamdiu nutrire per ubera potest.

Simul proditus est infans, sin satis viget, matris avere pectora, dumque non invenit, quodvis proximum captitare osculo, sugere in proprio suo pugillo, in quovis alieno praebito digito. Cujus brutum matrem pudet, id exuta naturam homo mater aspicit, nec sentit tamen corde, cupita proli porrigenda ubera esse. Tum frigidi scientes, et aniles matronae novam genitricem iisdem cruciatubus, ac olim se vexari laetae, haud sugere infantem in sapientia sua laudatissimum habent. Interea dives ante lactis mamma flaccescit, et miserabilis proles inter *laxantes syrupos* et aquam amplius prosperare impedita, priusquam vitam vivere gaudet, fusa alvo extinguitur.

Plerumque jam ante partum, aut certe mox postea quidquam lactis mammae tenent. Elapsis circiter tribus quatuorve a partu horis, seu verius, quam primum potest fieri, si nato praebentur ubera, ipse sugendo laticem in se suscipit, seu allicit magis, adeoque titillatione suctus lac moderate molliterque advenit, ut sponte etiam effluat paullatim, significatione ubertatis. Ita in lactatione modus obtinet, ut nunquam ferme humoris in mamma nocens abundantia, vel inopia fiat; ita nec tensio oritur, nec dolor, neque alius morbus.

Hac provisione lactea etiam febris rarissime incidit; quare stolide ceu necessaria in omni puerperio comes probatur. Illa perversi cummaxime regiminis, aliarumque causarum deforis consequentia est, praetereaque nihil.

Quotiescunque infans sitit, seu verius appetit, clara monstratione cupire papillas significat. Quod facile cernitur, dum pone genitricis pectus in lecto accubans, materna aura et tepore fovetur. Hisce enim beneficiis, velut exclusus pullus alis maternis tutari ac calefieri indiget, carere sine noxa non potest. Optime subitoque sugit infans, dum matre in latus sibi accumbente, leviter ad calorem obtectus modo, membrisque liber est. Propterea supervacuus eruditae dissertationis labor, de aptissimo ad praebendum genitis tempore. Pol, erudient tandem etiam de nutriendo pullos suos bruta non solum, sed etiam corvos et picas et passeres. O mirabilissimum inter animalia, et ad perniciem tuam sapientissimum genus hominum!

Omnis infans, si valet, nec vitium habet ex ore vel palato, osculo excipit papillas, easque opportunissime sibimet ipse parat; dum nec impositis modo pileolis, nec malo unguine in nauseam vertantur, ingestis insuper (ut vere in genitorum pestem ubique consuevit) aliquot intra nycthemerum mannae unciis. Nec ulla matri, ubi primos praesertim lactatus praestat, alia observatio, praeterquam imbuto propria saliva digito leviter confricare sibi papillas; quo facto infans facilius osculatur eas, lacque ipsum expeditius affluit.

Quidcunque papillas emollit, illarumque sensum auget, turbat quoque etiam lactatum, quod infans sugendo promptius rodat. Cures igitur, ut papillae sensus obtundatur quidquam, uti esset propemodo, nisi jam inde ab infantia varietas indumenti ad munera vitiaret. Unde optimum est, sub exitu graviditatis saepe ad aërem detegere illas, gratoque tractare tactu, vel aliquamdiu vino rubro aut frigida aqua linire, admixto modice spiritu vini aut liquore *Coloniensi*.

Haec pauca quidem sunt, ac simplicia cummaxime momenta, quae in omni lactandi observatione natura jubet. Quaenam vero praecepta in nostros usque dies ars dictitat? Ea partim ex subjuncta epistola intelliges. Nec fictum esse argumentum; id innumerabiles diversissimique linqua et forma libri docent. Deinceps nec primum istud, neque ultimum reputamus, in quod difficile sit, *satyram non scribere.*

En

En Epistolam *Obscuri Viri!*

[„Optime fecit excellentissima Domina, quod dignata sit a tali viro, qualis ego sum, consilium petere, quia omnes, Deo sint laudes, perillustres Dominas et spectabiles foeminas in tota urbe tractandas habeo, et celebritas mea in hoc puncto fixa est. Nulli mearum Dominarum foeminarumque permitto, ut infantes suos lactent, et sic semper admodum bene me expedivi. Quodsi etiam mammae primis diebus aliquam confusionem faciunt, nihil tamen hoc est, in comparatione cum illis molestiis, quae ab infante infliguntur, quem ipsimet lactamus. Ego certe pro nullo pretio mundi lactare aliquem infantem vellem. Etiam Excellentia Vestra per dies et noctes nullam quietem habebit; et, ut nihil de sanitate dicam, pulchritudo Sua maximum detrimentum patietur. Itaque etiam atque etiam miror, quod illustrissimus Dominus maritus tantum optet, ut Excellentia Vestra molestum istud opus suscipiat. Quod Dominus Doctor N. ad illud suadeat, hoc naturale est, quia perbene scio, quod unus ex nova schola sit. Per Deum immortalem, quot quantaque infortunia in hoc et altero mundo isti homines prorsus facturi sunt!"

„Postquam autem *pleno titulo* Dominus Maritus id libenter videt, et etiam Excellentia Vestra ipsa magnum desiderium lactandi habet, mea pace! Verum si res malas sequelas inducet, ut mihi postea nihil inculpetur!"

„Nam in numerosa mea praxi jam plures

ejusmodi tristes casus vidi; ita praeterita modo septimana spectabili Dominae B. S. ter mammam cum cultro aperire debui. Illustrissima Domina mater et Domina amita Excellentiae Vestrae etiam maxime attonitae et plane inconsolabiles sunt, ob propositum ita sese exponendi, quia ab hominum memoria nullum exemplum fuerit, aliquam Natam B. V. unquam prolem suam lactavisse, et quia ab immemorabili tempore huic antiquissimae familiae ista particularitas haereditaria sit, omnes Dominas de V. parvas papillas, et nullam plane complexionem ad lactandum habere."

„Eo minus suadeo, ut Excellentia Vestra periculosae rei se immisceat. Si tamen nullo modo ab ea dignetur desistere, hortari saltem volo, ut propter mox laudatam haereditariam specialitatem papillas sibi praeparet, aut praeparari faciat. Hinc Excellentiae Vestrae cum proxima occasione sex pileolos, et ad necessitatem desuper duos siphones, et totidem etiam vitra et trahentes antlias transmittam."

„Quomodo istae machinae tractandae sint, et quod pileoli ante applicationem semper oleo amygdalarum aut aliquo unguento illiniri debeant, has res Domina *Kiliana* optime intelligit. Excellentia Vestra tam in partu, quam in omnibus aliis negotiolis in eam audacter confidere potest. Certe egregia obstetrix ista Kiliana est; per tres integros menses apud me collegia privata audiebat."

„Ad istud vero Excellentia Vestra praeser-

tim debet respicere, ut non nimis mature, vel sero infantem ad mammas ponat. Nam si statim post partum fiat; infans nihil lactis accipit, irritat mammillas, et matrem gratis vexat, ex quo pessimae sequelae oriuntur.“

„Verum si lactatio tardius incipitur, etiam magnae incommoditates sunt. Secundum meam experientiam optimum est, ut illustrissimus infans post partum secundo vel tertio die adponatur; tunc videlicet febris lactea jam invasit, quidquod finita est, et mammae sufficienter repletae sunt. Inter hoc tempus decoctum althaeae, vel infusum verbasci cum lacte et saccharo, et omni bihorio duo parva cochlearia *syrupi laxativi* dantur, ut tenerae primae viae a meconio *lege artis* expurgentur, et ad assumptionem et digestionem materni lactis praeparentur.“

„Si vero papillae non ita praeparari possint, ut infans, qui Dei gratia generis masculini sit, illas facile capiat, statim ad vitra, ad cucurbitulas, quidquod etiam ad syphones confugiendum est. Quodsi vero etiam haec non juvent; tunc Excellentia Vestra mammas sibi a suctrice exsugi faciat, quae, quo magis edentula est, eo melior est. Si vero tale annosum flagitium non detur, parum refert: duo catelli opus tam bene atque melius absolvunt, uti de hoc in longissima mea praxi saepissime edoctus sum. *Diana* B. D. nunc ad amussim etiam plena est, et fortunate cum Excellentia Vestra in tempore conveniet. Dominus Liber

Baro Excellentiae Vestrae manum exosculatur, et in casu necessitatis ex hac mordentissima prosapia nobile par ad obsequia paratos tenet, et cum maximo gaudio ad primum mandatum per *Estaffetales* transportari jubebit."

„Si nihilominus, quod saepius videmus, praeceptis his licet strictissime observatis lactatio aliquam difficultatem facit; sincere consulo, ut Excellentia Vestra statim desinat, et illustrissimam prolem cum aqua et lacte dignetur educare. Ego saltem isti innocenti nutritioni magis amicus sum, quam nutricibus; nam bonae rarae sunt, et malae nihil juvant. Et si etiam nutrix sana sit, saltem de morali suo charactere semper habemus suspicionem, ad quem tamen respici debet. Hinc jam olim celeberrimus *Virgilius* doctissime dixit:

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus author
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, hyrcanaeque admorunt ubera tygres.

„Quidnam vero sunt istae tygres nisi nutrices nostrae? Hinc educatio aquosa securior, et si recte tractatur, ob multas peculiares dotes prae omnibus laudem meretur, praesertim pro hominibus illustris prosapiae: mens per aquam sagax et ad perfectionem capacior, quidquod vultus etiam pulchrior fit. Cor ipsum mire ex aqua nobilitatur, et totum corpus in genere teneriorem complexionem accipit."

„Ut autem febris lactea mitigetur, et per Excellentiae Vestrae s. v. tractum intestinalem scybala et aliae sordes, quae plane natu-

raliter sub graviditate ibi sese accumulant, sensim sine sensu expellantur, ne Excellentia Vestra omittat, gratiosissime ordinare, ut inclusa formula in pharmacopolio accurate paretur, qua alvi quotidie quatuor, aut sex vicibus proba dejectio fiat. Medicina gratissimi saporis est, et egregios effectus edit; optimum etiam contra quoscunque morbos in puerperio prophylacticum sistit."

„Tenelli infantes omnibus rebus assuefiunt, atque, ut semel assuefacti sunt, ita postmodum habentur. Quodsi igitur Excellentia Vestra lactat, satis et abunde est, si de die et noctu quater porrigit mammas. Alias Excellentia Vestra nimis exhauriretur, et tenerae fibrae ventriculi infantis sub quantitate potus succumberent. Praeter has vices alternatim jusculum pullinaceum et aqua oryzae propinanda sunt, quibus lac maternum in stomacho egregie diluitur. Id certe pro tenellis ejusmodi creaturis melius est, quam si perpetuo matri adhaereant. Post aliquot dies clara panatella datur. Deinde suadeo etiam sincerissime, ut infans, quamprimum possibile est, in separatum cubile transponatur, et diligenti et devotae foeminae in curam detur; alias matri et ejus lecto terribiliter assuefiet, et postea in nullo alio loco quietem dabit, uti hoc in amplissima mea praxi centies centiesque expertus sum."

„Si tamen lac copiose in mammas fluat, in promptu sunt Excellentiae Vestrae uterum repurgans potiuncula mea, cucurbitulae atque

syphones. Posito autem casu, quod lactatio Excellentiam incommodet, de quo plane non dubito, aut si ex alia causa fortassis ab ea desistendum sit; tunc mammae statim debent fasciari, ne nimis repleantur, et naturaliter inflammentur, et suppurent. Sed etiam in hoc ultimo casu laxans uterum potiuncula mea frequentius sumi et diutius continuari debet, ut abundans lac ex pectore Excellentiae Vestrae recta via per anum in sellam perforatam proficiscatur, quocum me Excellentiae Vestrae devotissime recommendans, felicem partum et caetera alia jucunda humillime apprecor.“]

Quamquam laudatus hic curandi modus, nisi ex toto ubique, attamen ad partes adhiberi solitus, et matri et infanti maxime sit exitiosus, nec tamen aptius ad naturam initum consilium est. Lactandi quippe munus, unde mater veram et suavissimam voluptatem capiat, illi in cruciatus cedit, ut integerrimum saepe uber, novo homini aptissimae aliturae fons, in sedem dolorum, saepiusque in plenissimum focum puris et saniei abeat. Rebus ita perversis, infans alimento proprio sibi, nec primis gustato labris, orbatur, et naturalis, quae ipsum inter et matrem amoris copulatio est, primo nunc, atque hercle satis mature solvitur, postea nunquam forte ad sympathiam reficienda.

In schola technica a multis retro annis lactatus, et recens natorum omnis tractatio aliter instituitur. Cuncta nimirum moderat et regit natura; atque inter tot millia puerperarum

ne una unquam ex communi testimonio inflammatum, multoque minus suppuratum uber habuit. Quare certus sum, inter multa centena puerperarum mammis infesta vitia vix occurrere unum, quod aliunde, nisi ab erronea cura, a malo regimine, vel ab iniqua consuetudine inter matrem et infantem venerit.

Atque simplicissima illa procuratione non lactantes modo, sed etiam, quae non lactitant, illibatae ab omni molestia manent; quippe in tota re secus obtinet, ac vulgo a medicis, chirurgis et obstetricantibus, a doctis matronis, anubusque solet commendari, multaque auctoritate ubique ferme in usu perstat.

Puerperae primis diebus foventur lecto. Quo degunt, cubile 15 — 17 grad. Reaum. temperaturam habet. Insolens est, ulli earum medicinam exhiberi, quae deorsum purgat. Ubera ab omni gravi tegmento et constrictione immunia, modice solum calefactis nonnihil tutantur linteis. Mater per vices, utque libet, alterutro latere incumbit, papillasque saliva digito molliter, ac velut liniendo confricat. Tum lactis facilior fit exitus. Interea uda lintea absumere mox, ac diligenter submittere nova oportere, vix necessarium commonefieri est.

Lac quamdiu copiose influit, quadam puerperae in victu moderatione est utendum. Ad sitim, quoad urget, aquosus, vino quidquam mutatus potus sufficit. Alvo adstricta clysma ponitur. Hacque simplicitate cedit lactationis totum negotium procul febre et inquie; nisi quis

tam ineptus sit, ut ignoret, in puerpera et lactante matre venam moveri haud ea tarditate, ac in avunculo vel avia posse, ne confestim et morbum et febrem arguat. Est tamen vulgaris haec doctrina.

Ambigebam aliquamdiu, simplicissimam hancce curam praescribere, veritus, ne ipsa se a lacte sine metu et poena expediendi facilitas matres etiamnum complures ad defectionem a summo officio illiciat. Interim, quia medicus sum, attinet, foeminae potius corpus curare, quam animum. Deinceps bonae etiamnum matres sunt, quae per ipsum id, quod lactent, vel avide gestiant, vel ex inscitia et importunitate aliorum, vel ex propria in officio sinisteritate vel quacunque inevitabili offensa deforis, in afflictus mammarum incidunt. Quis non illarum mulcere dolores, dumque datur, adversus tutari vellet? Caeterum monuisse sufficit, ad salubritatem corporis foeminei omnino necesse esse, ut mater, siquidem valet, proles suas lactitet. Unde etiam consequens est, officium hoc non solum proceritati uberum, formaeque pulchritudini non nocere, sed eam maximopere intendere ac procurare; nulla enim est sine sanitate formositas. Praeterea frequens probatio oculorum monstrat, ipsissimas eas, quae lactationi pertinacissime obstrepuerant, ante aetatem longe, imo in juventa, ab natura ipsa pendulis et exsuccis mammis notari, morbisque foedis plecti, citra eam culpam a se omnimodo alienis.

Haud quidem dubitatio est, puerperas lactantes, similiter atque eas, quae non praebent, sub aptissima caeterum temperatione affectari in mammis posse. Tum vero primum malum plerumque alio ac majore oneratur: inepta scilicet tractatione, morbum durius exasperante, quam factum unquam ex natura foret, si dementia curationis non supervenisset.

Nonnunquam mammarum papillae minus eminent; isque, qui placere orbicularis turgor solet, adeo deficit, ut contra planae sint, imo depressae. Molliori affrictu, et aliquamdiu digitis suaviter tentata expressione, ad prominentiam incitantur.

Juvat etiam prudens interdum elasticae antliae, seu vulgaris, aëre per calorem ante satis expulso, cucurbitae vitreae impositus, qua paullum post absumta, illico admovendus natus est. Hae tentationes aliquoties debent repeti, donec papillae aptatae sunt, ut infans eas capere valeat.

Est quidem etiam, ubi suctione mamma affligitur, nec tamen ideo lactare cessandum; quamvis enim arrosa papilla haud expers dolorum sit, vincit tamen maternus amor, ipsiusque prolis insons saliva intra aliquot dies lenit, persanatque. Creberrime levis simul circa papillam et aream inflammatio occupat, quae, ut mitescere erosio coepit, sponte cessat. Praeterea nihil in hac re magis idoneum, quam morbidas plagas saepius subfrigida aqua vel rubro vino attrectare, dumque primo appetit, mox adponere prolem.

Inter lactatus libera spatia afflictae partes conduplicato linteolo teguntur, aqua madefacto, ac saepius, ne tenaciter adhaerescat, renovando; quod, si forte agglutinatur, ante quam removeris, paullatim emollito.

Inter alia linimenta, (si quidem pinguia posuisse fas est) maxime *unguentum de uvis*, aut si deest, recens butyrum mollit. Ubi dolorum ferocia est, vel aegrae sensilis nimium corporatura, ut nec incumbens in afflictas partes exile indusium ferat, apto pileolo tegi papilla potest. Attamen quo rarius breviusque hoc tutamen, eo erit melius. Obtecta enim papilla mollescit, et citius roditur.

Quamvis equidem haud vera semper mammas phlogosis tenet, solent saltem intumescere aliquando. Tum nec fomentis humidis nec emplastris confestim utitor. Nocet etiam, puerperae lac intempeste et cum molestia per cucurbitulas et antlias trahere; quia tumor ita potissimum incenditur, et modica offensio gravius augmentum capit. Sub apta dolentis loci observatione et repetito, quoad licet, infantis suctu, mammae turgor, et propinqua exesae papillae levis inflammatio sponte cedunt.

Sin erosio, ortaque ex ea phlogosis et tumiditas increscunt, atrocissimo dolore, ut lactatus usque ad discrimen molestus fiat, seponendus ferme infans est. Quo facto morbus descripta curatione intra breve tempus ad sanitatem ducitur.

Verum aliquando ingens inflammatio repente

irruit, cum validissima febre, tumidis simul et dolentibus glandulis sub axilla, vel immunibus. Saepissime malum etiam originem ab exteris habet; inprimis a suscepto frigore, ab violento animi motu, ab omisso, vel erronee vel segniter observato lactatu. Tum nullum, seu paucissimum ex ubere lac fluit.

Quibus in rebus ante omnia prospiciendum, ut lactis stillatio pergat, procuretur; idque aptissime impetratur, ex quo in alterutrum latus cubat puerpera. Ubi vero juxta alia memorata subsidia simplicitas haec non respondet, nec in papillis quidquam renuit, cucurbita vel lagena elastica aliquantum exsugere lactis decet; quod siquidem impetrari commode nequit, a vacua periclitatione mox abstineto.

Extus ad partem leves, infuso florum sambuci, aut simili alii liquido immersi, dein expressi fortiter pulvilli imponuntur, perpetua cautione, ne mammae adveniat frigus. Verum tamen, quia fomentorum calida applicatio impigre et constanter debet tractari, illis citra summam necessitatem haud facile utitor; quum imbuta suffimigiis ex saccharo et resinis lintea, vel impleti sacculi aromaticis herbis, similiter congruant. Universim vel ob imaginationes vulgi in admovendis fluidis moderatus esto. Inter caetera valentissime molliens cataplasma juvat; quod etiam principio inflammationis, leve praesertim, ne opprimat, et tenax aliquanto potius, quam molle et aquosum, utile est. Pultes enim vero stillicidium revocant, et in-

terdum phlogoseos aeque resolutionem, ac alia mutabilitate, suppurationem movent.

Vix in tali offensa aegram monere circa victum opus est. Ciborum scilicet appetitus in hoc, ut in similibus aliis morbis parum angit. Nec ad fructus, ut solet, ubique obligatio sit; poma nimirum, armenia, cerasa, hujusque alia generis, cruda coctaque, permultis puerperis male praebentur; conducunt multo magis dulcia jusculo carnis concocta olera. Pro potu, non quidem ex ordinatione et magna copia sumendo, sed ad sitis modo desiderium, mixta quidquam ex vino aqua, cum vel sine saccharo, concedi opportune potest.

Neque substricta sit alvus. Quando igitur intra nycthemerum nihil movetur, duci per molliens clysma debet. Febris vero ubi multum accenditur; si tumens valde et dolens et rubra mamma est, nec universa valitudo obstat; nitrum cum saccharo, aqua simplici, vel alio competente vehiculo porrigi ad VIII vel X grana potest. Dum demum febris atrocius instat, modice sanguinem ex vena trahere, idque fortassis iterare decet.

Aegra continenter aequabili ac justa degat temperie, ne arida cutis fiat; quaeque vertere in damna possint, sollicite evitet. Hancque simplicissimam curam benigna saepe resolutio sequitur. Quae quidem si cum nutatione trahitur, haud insistas pertinaciter. Neque enim satis est, cedere ruborem, sed simul, atque intra breve tempus, partem quoque emollescere

et subsidere oportet. Secus expedit pus, quam citissime potest fieri, solerter et ad intentionem maturare. Namque alias suppuratio languens, dolens magis, ac diutina fit cum vicissitudine; et periculum est, ne tubercula maneant.

Interdum itaque gravis inflammatio renititur et tristem exitum habet, ut afflictum uber suppuretur; quod in procinctu esse, sequentia indicant: dolores in punctum convergere, lancinantes, et subito ictu quasi penetrantes fieri; usquam in mamma splendens et mollis locus eminet; subtus crudescere, pungere, tandem pulsare dolor. Postquam ista omnia, aut pleraque ad certos pervenere gradus, nihil longius impedit, quin locus suppuret, et abscessus fiat. Quidquod saepissime suppuratio jam coepta est.

Qua sub difficultate dolens opus inchoanda nunc, aut continuata calidorum impositione oportet maturare; quod ut citius procedat, pulti, ad molliendum, majus, quam hucusque habuit, remanere humidi debet. Deinceps, si loca ad maturitionem et abscessum maxime sunt profecta, cataplasmati ad properandam eruptionem puris emplastrum gummosum supponitur, cui passim, ubi proxime pus latitat, incisa rima sit. Sed cave ab omni emplastri miraculo, ex cujus irritamine dolor et suppuratio citra modum increscit, ac modicum malum in pejus mutatur. Simplicia, absque singulari stimulo mollientia cataplasmata rem apprime absolvunt; imo nonnunquam, ubi

vix sperares, tumor ex resolutione cessat. In aegris dumtaxat sine omni paene ministratione suppurans uber simplici, super papillam exciso, emplastro et superposito pulvillo tegitur; in quo quidem quiescere casus jubet.

De reliquo omnis seu morbo seu aliunde praeter modum tumida mamma devoluto ex adversa axilla linteo molliter fulcienda est.

Nulla, quae pus continet, mammarum plaga, cultro aut alio instrumento cum prudentia scinditur. Ne quidem imponendi *caustici* unquam mihi necessitas erat. Interea ad operandum licet ineptissimi, sed celebritate increbescere avidi chirurgi in simplici ac mollissima parte ostentare suam dexteritatem properanter gestiunt. Magnificum inceptum! miserabili et afflictae foeminae mammam pertundere lanciola. Dementiae multo magis vel socordiae exemplar dicimus, dum sine gravi causa facinus patratur, unde offensa per factitios dolores necessario augescit, et in perniciem cogitur. Quot mulierum formosissima et uberrima pectora ab ejusmodi magistris evastata, sed nunquam percurata amplius sunt, ut miserae, qua tandem convalescant, misso spurio chirurgo, apud alium tractatorem vel proximam quamque vetulam solatium quaererent?

Simplex admodum mammae suppurantis cura est. Tumorem cataplasmate foves, donec rumpitur. Tum pus, et lactescens humor varie effluit. Impeditum fluxum situs et moderata expressio movet; qua tamen caute ver-

sandum, ne novus dolor fiat. Et si angustior forsan initio est apertura, succedit tamen illius sponte ampliatio; ut itaque frivolum sit atque crudele, vi dilatare, aut spongias intorquere et turundas velut clavos; ut scilicet abscessus apertus servetur aut obturetur?

Super patens ulcus, quo illud adversus fomenti asperitatem munias, congruens et variis incisum locis emplastrum ponito. Atqui usus etiam pultis continuetur, donec, quae suppurantur, aperta sponte et persanata loca sint. Pro lactis caeterum et puris copia commutanda crebro cataplasmata et pulvillos esse, alioqui intelligitur. Maximum quippe in tota curatione momentum habet munditia.

Aliquando morbida plaga serpere in latum ulcus; tum illud ex superficie modo et leviter simplici, vitello ovi temperato, *unguento digestivo* illitis carptis filis, quodque profunde rosum est, similiter paratis ex linteo floccis obiter tegere, atque ita, quatenus suppurat, semel vel bis intra nycthemerum tractare, et mulcere amplius partem per cataplasma juvat.

Cui procurationi insistitur, donec suppuratae omnes plagae sese aperiant, dein mundatae, et partem maximam solidatae in cicatrices sint. Post, omisso cataplasmate, ulcerata quidquam adhuc loca intra quatuor et viginti horas semel deligari, et tepido tegi linteo satis est.

Perfecta sanatione aliqua plerumque indurata loca remanent, successu temporis sensim

disparitura. Sed celerius evanescunt, superposito spermate ceti, aut emplastro cicutae, vel simili alias. Aliquando indurationes illae nunquam ex toto dispelluntur, quin tamen sero in pejus ruant; id quod plerumque fit, nisi peculiaris in morbos pronitas subest, neque ulcus incisum cultro, nec tota perperam acta curatio fuerit.

Plurimi profecto mammarum acuti affectus hoc modo et facile, et perfecte sanantur. Interim aliquando contra obvenit. Inter plures indignationes unicus modo in memoria mihi casus est, ubi duos in dextra mamma sinus, ob contractas in iis ex mala labe callositates, dilatare cultro et in unum scindere hiatum opus habui. Sed rarissima sunt ejusmodi vitia, ut tanquam exceptiones genus curationis minime infringant.

Morbida aut ulcerosa mamma, haud semper impedit lactare; hoc potius ad mitigandas passiones et ad sanationem ipsam saepissime confert.

Ejusmodi mammarum afflictus, praesertim ab initio, quum dolor saevit, aegrotantes damnose infirmant; quaeque assectatur febris, ambiguam plurimum habet naturam, ut prudens in ea moderanda medicus sit, ne foemina viribus, praeterquam quod morbus demit, ipsa etiamnum medicatione spolietur.

Satis alioqui diu in opprobria chirurgorum medicorumque unguentarii et matronarum vulgus ulceratas mammas facile et celeriter consolida-

lidarunt, quae siquidem haud semper norma artis ante destructae fuerint, nec tamen ex arte unquam sunt persanatae. Ars omnis posita in simplicitate est. Et rationalis medicina, si quondam monstratam hanc a natura viam sagacius prosequetur, in tractandis his morbis eodem gaudebit successu, quem sana mens hucusque et empiria habuerunt.

APHORISMI.

Haec sit propositi nostri summa: quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus.

SENEC.

I.

Pertinet ad luxum et perversum temporis nostri morem, ut, quo delicatiores et locupletiores sunt puerperae earumque familiae, eo obscurius quoque cubile sit, quo decumbunt. Stulta ostentatio noctes etiam conduplicat, ut medicus, obstetrix et famulae a sole ad puerperam concedentes, in caligine caecutiant, utque in tenebris accessere, in tenebris pariterque recedant.

II.

Atqui necesse omnino est, ut lucis nitor, aër intempestus, omnisque turba et tumultus a puerpera et genito arceantur. Plena autem meridie jacere in atrata crypta et sepulchrali quasi, seque ipsum illecebra lucis defraudare; id enim vero muris alpini, non hominis est.

III.

Nonne flores aëri et luci exponimus, ut crescant? Poenam carcerum obscuratione lex asperat; igitur scilicet etiam novellas matres ea-

rumque infantes industriosa nocte occulimus, ne aegrescant? O stolidam et insanam artem! Atqui infirmis puerperis saluberrima mollior et umbrosior lux est, quae grato vel necessario etiam irritamento, quidcunque animatum est, permulcet et recreat.

IV.

Non omnis ubique omnia profert natura, neque eadem copia aut perfectione; variante coeli terraeque tractu, aliisque causis.

V.

Sed in procreationibus suis rerum mater pedetentim et gradatim sese limat perficitque, tam in omni re singulari, quam in rerum similium infinita serie. Ea quippe in generandis perficiendisque suis operibus intra hos principales fines omnia moderat regitque: ut quid vel simpliciter sit, vel ex omni perfectione sit. In quibus terminis velut conclusa aeternum progreditur, retrogreditur. Unde cernimus, a valentissimis parentibus haud semper exire validas proles, patreque vel ingeniosissimo hebetem aliquando omnisque curae et institutionis incapacem filium gigni.

VI.

Uti rerum naturae certam perfectionem attingunt, necque procedunt ultra, ita eaedem conversa ratione descendere in pejus nec tamen altius possunt. Atque ita morbi innati et haereditariae labes cum tempore evanescunt, infirmique et caduci parentes tandem aliquando vividiores proles edunt.

VII.

Utinam contra prosperitatem et praerogativas hominum tanto saltem minus actuosi essemus officiosique, quanto magis diligentes et anxios praestamus nos in excolendis brutis et bestiis.

VIII.

Climata, terrae, aquae, et incognitae aliae causae naturis uniuscujusque plagae patrium quendam et domesticum caracterem necessario et tantopere indunt, ut naturae alienigenae, ejusdem recte speciei, in illam plagam tanquam in coloniam deductae, ibique vigentes, post aliquod tempus eandem indolem ita assumant, ut aborigines videantur.

IX.

Itaque diversitas quaedam et varietas, in aptis ad procreationem modis et materiis, summopere valet ad cujusvis generati robur virtutemque perfectam. Vitiantur enim et emarcescunt valentissimae animalium propagines, ubi potentiae procreatrices et efficientes naturae vires inter animalia et in hominibus ex una eaque serie longo tractu exercentur.

X.

Ad foetus futuri perfectionem summum momentum vigor et validus habitus est coëuntium.

XI.

Labes matrum et morbi, et in hominibus et in brutis, nec tam facile, nec tam frequenter in foetus traducuntur, quam vitia constitutionis ex generante mare.

XII.

Animalium propagines, quibus nec ex

Arabia neque ex Hispania suffici et restitui mares generosi possunt, necessario exolescere, habituque et vigore et virtutibus labi ad ultimum debent, si ad generandum nonnisi maribus enervatis et vilissimis parcitur.

XIII.

Qua ratione germen futuri foetus natura severit, quomodo in ipso procreandi actu eliciatur et pullulet, ipsa sibi seposuit, nobis occuluit. Atqui, si notiones partium anatomicas, quaeque in graviditate fiunt, quarundam mutationum scientiam excipis, amplius nihil hac de re novimus, quam quod a primo generis satu probatum erat.

XIV.

Quid dicam, esse adhuc homines tam stolide credulos, qui fidem adhibeant circumforaneis istis ardelionibus, pendere ex arbitrio generantis, marem ne femellam procreet? An circulatrix sapientia ista planum jam fecit docuitque, qua ratione res certo succedat, nulla habita ad genus cura? Dum similes nugae apud Germanos ventilantur, certo indicio, quo ratio stet; ecce tibi in Galliis vanus alter ex tripode, qui curiosissimam, generosas nonnisi gignendi et ingeniosas proles, scientiam tradit. Fortene jam pater istius sophistae pridem calluit mirabilem artem?

XV.

Scribimus indocti doctique; indocti pronius effusiusque de rebus nec intellectis, nec perceptis. Quare numerosissimi t . . . orum libri

sunt. Verum etiam ex centenis auctoribus de re obstetricia vix unum videris habilem obstetricium, qui usui esse et partus adjutor possit.

XVI.

A situ obliquo capitis foetus, dum intactum modo manet, nequaquam tantae nec parienti neque foetui adversitates accidunt, quantae ab insanabilibus tot obstetricantium et obstetricum craniis, qui in omni ferme opere gestiunt et agitant, rudes et miserabiliter negotiosi.

XVII.

Quocunque modo infantis caput, utpote collo naturaliter junctum, pelvim intrat, eadem ratione, sed aliter quidem, ac in libris confusi doctores tradunt, per ipsam naturam illud et sine magno labore proferri in lucem potest; dummodo aequum modice inter pelvim et caput discrimen sit, nisusque ea dumtaxat polleant vi, ac etiamnum oportet, ut permoveatur ex natura foetus, capite locato quam aptissime.

XVIII.

In quacunque obstetricia, non secus ac in omni therapeutica cura, primum est: non obesse; secundum: prodesse.

XIX.

Vagina hactenus in parturitionis actu simpliciter ceu pars aestimabatur, quae patiens sit expandi; caeterum ad ipsam functionem ignava et inefficax. Attamen in multis partus momentis et in secundarum secessu, ut in aliis opportunitatibus, organum istud in expellendo foetu proprie ac revera actuosum est, ad par-

tumque, imo ipsam ad uteri integritatem et exertionem necessario ac uno quasi tenore pertinet.

XX.

Morbosae quaedam sunt offensiones, quarum insultu certas corporis partes paucis horis fatiscere et emori cernimus; uti a primo accessu febris nonnunquam tota confestim constitutio vitalis ad necem afficitur, dissolvitur.

XXI.

Talia pleraque damna medici sub typo febrium malignarum comprehendunt; verum malignitatis ipsius quale principium sit, qualisque fomes, id neque significatur, neque colligitur.

XXII.

Necesse tamen est, materiei aliquid esse, aut illius certe aliquam singularem formam et modum; ut, si corpus inde afficitur, quacunque ratione, seu positiva seu negativa, mutationes in eo contingant, quibus persistere longius vita nequit.

XXIII.

Atqui vix unquam erit, ut malignitatem ipsam, quatenus haud tractabilis sensubus est, recte aggrediamur, aut illius saltem retundamus vim; quemadmodum acidum salis addita creta elidit, aut vis soporifera opii aceto stringitur.

XXIV.

Quapropter in percurandis malignis ejus notae morbis hactenus acquiescere in eo oportet: ut afflictum corpus, et partes inprimis offensioni maxime obnoxiae contra destruentem vim

sive recta, sive intermedia arte muniantur, seu curentur ferme, ut exitio minus sint patibilia; deinceps, ut morbum in universo, aut ex viru enatas offensiones loci mitigemus, amoveamusve; denique, ut omne nocens, aut quidcunque ad recipiendam, vel ad generandam, vel augendam propagandamque pestem idoneum est, pro re nata per vias secretionis, aliterque studeamus educere, idque propemodo, ut naturae congruit, ne in sanationis ad tempus et modum opportuno processu suo (sin tandem absolvi feliciter potest) ex toto praeoccupetur, neque ex parte quidem, neve sua ipsi abstrahantur praesidia viresque, neve omnino adversus convalescentiam ponantur impedimenta.

XXV.

Ad omnem curationem morbi summopere pertinet, ut potissimum id, quod in alienitate ipsa est alienum, vel tollatur, vel corrigatur.

XXVI.

Systema, quod omnem medendi summam binis contrariis verbis, oppositas solum significantibus modificationes, continet explanatque, licet diversissima necessario in tam variis affectionibus et ratio remediorum et usus et opportunitas sit, tam parum ad usus absolutum et ex universo commodum est aptumque, ac aliud quodpiam, quod nihil nisi saburram odit, in bilem pugnat, et faeces rimatur per intestina.

XXVII.

Quae hucusque in medicina fabricata systemata fuere, cuncta imperfecta sunt, neque, ut

videtur, perfectum ullum unquam est futurum. Quid, si e singulis illud, quod usui possit esse, decerpas, novamque structuram retexas, meliorem singulo quoquo, cujus e ruderibus desumseris? At vero id emolumentum non modo ad pluteum quidem!

XXVIII.

Non omne est, matrem ex subactione naturae peperisse; sed oportet etiam, postquam exclusa proles est, ad praescriptum naturae alere eam. Atqui in hoc unica, et planissima ratio est: alitura nempe ex ubere materno, quae, si non suppetat, ex mamma valentis nutricis.

XXIX.

Quilibet alius natos nutriendi mos naturae contrarius, damnosus et delens homines est. At aniculae, et nescio quis hinc inde fungus et excors, infantes tibi laudant formosissimos, ac mirifice ex aqua prosperos, Bacchum vincentes. Sed tot millium genitorum, qui citra duos ejusmodi inflatos et mucosos pueros ex fatuo potu misere perierunt, coeci obliviscuntur; neque occurrit, fieri haud posse, ut proles, matris fraudata ubere vel nutricis, tam pleno ac valente corpore succrescat habituque, quam si lactuisset. Nempe catulos poni ad rumina jubemus. Post inter binos agnos, alterum matris nutritum lacte, alterum ope limpida hominis, si optio sit, videsis, quem eligant ac seponant sibi, aquoso mucore educandae sobolis humanae, sagacissimi praecones.

XXX.

Pulchrum videlicet est, sed rarissimum, intercluso spiritu asphycticos adultos reducere ad vitam. Ast quotidie infantum formosissimorum sanissimorumque numerus pereunt, quorum ad conservationem nec tanto labore, nec fortuna opus est. Quisnam modus foret praemiorum, si tot innocentium millia a morte redimere aliqua voluntas et observatio esset?

XXXI.

Multa sunt in Europa corotrophia et infantum receptacula. Quodsi vero talis institutio diris erroribus nocet, intusque vitiis; tum quippe, ubicunque exsistit, publica est internecio, horribilis et damnosior, perpetua peste.

XXXII.

Nimirum ad corrigenda talia instituta, et ad minuendam mortalitatem natorum utile praedicant, ad exemplum nostratis corotrophii, matres expositorum, domui ipsi minus necessarias, in urbem atque etiam rus elocare pro nutricibus, adeoque cum instituto corotrophico publicum simul nutricum velut conjungere seminarium. Qua vero ratione matres naturales, quarum alioquin, si per quinas numeres, vix duae lactescunt, ad alendum in publica domo, ut nunc agitur, unquam non videri necessariae possint, id enimvero in diariis *Cancellariae* clarius luce monstrant.

XXXIII.

Perductio partus manu et instrumentis a qualicunque alia chirurgorum operatione omni-

no differt, quoniam in hac intra ipsum opus natura, nihil ferme actuosa, medentis manui patiendo nonnisi obsequatur. Verum in obstetricia opera necesse et perpetuum est, ut una cum arte etiam natura velut agendo moveat, efficiat.

XXXIV.

Atque permagni interest, cum in naturali partu, tum in omni artificiali, utrum a natura an extrinseca vi distendatur os uteri. Haec enim simul atque cessat, os protenus ad idem, quo ante fuerat, contrahitur spatium; idque etiam observamus, dum illud supra impetratos ex nisu naturae limites, mechanica pressione amnii, vel prominente quopiam membro foetus panditur. Alia admodum atque diversa ratio explicationis orificii a natura est: quod haec ampliatio ab inquilina veniat facultate, recteque computata ad scopum et tempus sit; illa vero deforis profecta dilatatio cum desinente vi subito evanescat, tendente quippe constanter orificio, redire in orbitam, qua violenter fuerat exturbatum.

XXXV.

Itaque in omni partu, atque artificiali quidem etiam, non minimum refert, os uteri ne natura cogat, an manus et instrumentum; proinde, utrum lita ea *unguento opii* sint, vel non sint.

XXXVI.

Arduam adhuc in Germania docti quidam obstetricantes dirimere litem habent; ne vide-

licet ars obstetricia ars vere, an scientia sit? Ne suae patrumque nostrorum antiquitus sibi longius obstetrices placent, quas nitidiuscule nominari *Adjutrices partus* optant. Ohe, in verbis et formis multi et gravissimi sumus.

XXXVII.

Aliquando aqua inflata adhuc, etiamque deducta, foetus nihil curioso digito obvenit. Ne tamen inde praecipitanter inferas, illum transverso situ esse. Namque uno alterove nisu post rupta velamenta non raro plaga quadam tum primum allidit, ut pertingas digito; si forte partem illata omni manu non ante senseris.

XXXVIII.

Hercule, id nostro aevo creberríme occurit, quoad generationem: In hoc optime sibi ingeniosam providisse naturam, quod vulgo mortalibus mentem segniorem et mutabilem dederit; contra sensus et affectus fortes, igneos, et temerarios quandoque.

XXXIX.

Nihil communius est, quam foeminas ob varios fluxus ex genitali, et alia circum vitia, in balinea et thermas relegari, pessimo consilio: quia tristius plurimum revertuntur, quam advenerant.

XL.

Frustra est scribere ad salutem mortalium, inprimis mulierum.

NOTITIAE

EX SCHOLA OBSTETRICIA.

Inter 2234 in schola technica biennio, a 1. Jan. 1801 ad 31. Decembris 1802 exclusos, et proxime consignatos partus fuere gemellorum triginta tres, facie praeversa viginti cum tribus, quinquaginta octo natibus, et viginti quinque pedibus praeviis. In tredecim labor versione finiebatur, in octonis forcipe. Semel apertum cranium.

Summa natorum 2234.

Ex his praematuri et maturi, sed languide vivi; emortui, ac plerumque jam ex putredine lividi; item foetus immaturi et abortus, 116.

Puerperae obierunt 10.

Inter has defunctas una, effluxo diu amnio, allata ex plateis erat; in ea mors a febre post gravem versionem sequebatur. Duae, ex haemorrhagia uteri morientes importatae, brevi post convulsae periere. Quatuor alias, partu caeterum naturaliter soluto, secunda aut tertia die syphilitica phthisis confecit. Tres reliquae ex febre scarlatina moriebantur.

Praeterea in cunctis puerperis vix aliquid memorabile accidit, ni forte id ipsum, quod alibi in aedibus publicis, licet paucissimae adsint gravidae, enormiter multum, contra penes nos, inter numerosissimas foeminas nihil miraculi fiat. Nec tamen silendum, quid aliquando sub conversione intentius mihi sciverit mentem. Res enim vero, licet haud primo similis ferme sub manu erat, nunquam tamen ante tam notabiliter sese ad percipiendum praestitit: *Spontanea foetus Evolutio* est; de qua breviter enarrabo. Ex sinceritate historiae elucebit etiam, rem vere in natura esse, adeoque evenire, ut nihil amplius, quo in principio affusa exiit, speciem portenti ferat.

Facile profecto *evolutionis spontaneae* voce in id adducimur, ut significatione ista non tam naturalem nisum, quam ab natura velut extra ordinem conquisitam aliquam, a communique pariendi modo et vi discretam et peculiariter accensam facultatem fingamus. Cujus siquidem efficientem causam simul esse in utero ponimus, id ipsum, resque tota hucusque quam maxime complicata captuque difficilis videbatur. Verum, ex quo similis, caeterum rarissima varietas se in manum obtulit mihi, eam simplicissimam sum complexus, ut nunc penitus existimem, sicut ad omnes alias, quamquam raro obtingentes modificationes, nil aliud naturae in hoc afflictu moliendum et concitandum esse, quam quod alioqui omnem ad parturitionem in se habet ac possidet.

Ineunte aestate anni 1801 praegnans aliqua in parientium cubile concessit. Ruptis in itinere velamentis ne hora ferme ante ejus adventum, facta mox exploratione, foetus sinistrum brachium in pelvi detectum est. Vocatus confestim, membrum jam usque descendisse scivi, ut cerni digiti possent. Exercitationis causa tiro illa die assistens, a me examinare jussus, rem propemodum renuntiat, ut postea ipsemet reperi: turgere brachium, nec satis jam apertum orificium esse. Incubuit transversim foetus, obverso in dorsum matris ventre. Uteri inferius segmentum, pelvis ora superior atque cavitas, vacua paene et libera tactui erant.

Injecto jam ante clysmate, ob tensam valde vesicam, etiam de urina monebatur aegra. Interea, dum aliae in parando lecto occupantur, cum discipulis ex ordine ad visendas puerperas cessi. Elapsa media hora reventum. Multa per clysterem ducta excrementa, sed tantillum urinae; missa igitur ex cathetere est. Post clysma dolores vehementer et magna efficacia incesserant, ut versionem non prolatandam ratus, aegram ad eam exhilararem. Ingruente dolore, insinuans digitos sensim vaginae, haud parum mirabar, altius, quam brevi ante erat, manum infantis recessisse nunc; quumque nisus duraret, imo augeretur, digitis in planum positis, et inertibus, in cavo pelvis manu morabar ignavus. Perstitit sine laxamento dolor, infantis simul brachio, non absque quadam mea admiratione, retro sinistrae manus meae dor-

sum, in latere vaginae dextro, manifeste revertente in uterum. Sed maxime attentionem id moverat: eodem quippe momento infans subito totum pelvis cavum clunibus explet, ita quidem, ut manus mea inter illius aliquatenus adhuc delapsum brachium et podicem, seu sinistram potius illius coxam, pressa in angustiis esset. Neque desivit dolor, ut itaque vix aliud superaret, praeterquam una cum foetus continuo protruso podice, bona fortuna, et protrudi manum sinere. Quo autem foetus demissum primo brachium vaderet: ne prope pectore ad latus capitis supinum illud fuerit, pergente interim per exitum utroque clune; an processerit manu porrecta ad corpus, in celerrima re non prodam. Truncus nempe vivi foetus ipsumque caput subito aeque per infimum pelvis adigebatur, ac mox ante ab sinistro ileo super oram in cavum cogebantur clunes.

Certe, sin aliquot minuta prius, ore praesertim uteri non tam patefacto, vertere paravissem, majore molestia infeliciusque etiam forte, in pedes compositus infans foret, quem tardius aliquanto, sed satius, praemittendo podicem, natura ipsa expedivit. Quid ergo hac in re contigit? Uteri videlicet ad normam contractio, dolorumque confluxus, partem foetus aperturae pelvis nondum magnopere appressam, podicem nempe, revulsis super ventrem pedibus, atque porro, secundum articulorum naturales flexuras, inferius dorsum ac abdomen complicavit, et compressit, et in latere

am-

amplioris nec tam occupatae supremae aperturae permovit. Mobiliores illae partesque molliores ab osse ilei ad inferius pelvis protruduntur, capite, quod multis id ipsum ex latere opposito punctis insistat et cohibeatur, minus cedente, ac impedito quidquam aut immobili ferme, donec, depressis in cavum pelvis clunibus, partus naturali via ultro perficitur.

Quae fortuna ut in parturitione incidat, necesse inprimis est, ut praeter pelvis larga spatia foetus quoque haud sit praegrandis, eumque situm ex transverso habeat, ne caput prope intrudatur cum brachio, nec fortiter nimis compactum suprema ora sit; dein, ut effusis aquis actuosi mox adsint dolores, debiteque durent; postremo, ut os uteri festinanter dehiscat, lubrico etiamnum et rite adtemperato genitali. Caeterum in describenda historia modum tenui, ut res oblata et percepta est. Unde intelligitur saltem, parientem naturam, ubicunque nec vires nimium, neque spatia desunt, ut potentissima est in instituendo opera sua, ita simplicem, planam, et unam quoque esse in remediis ad illa exequendum. Oportet vero, ut obstetricans curate in inventione navet, quibusnam modis natura foetui aliqua extricatione evolvendo par sit; haecque monitio proxime hanc ipsam attinet parturam, quam fieri evolutione spontanea prope per metaphoram dicunt.

Quae res profecto observatione dignissima est. Quisquis enim cum versione saepius tractat, non expertum non habet, quam difficile,

discriminosum, atque etiam impossibile aliquando reperire et adducere pedes sit, podice praesertim dolorum vi intempeste et vehementer infra margines acto. Postquam igitur circa modum, quem ipsa submovendo oneri commodissimum sibi, et sufficientem habet, natura distincte monuit, miranda nostra in has significationes incuria est. In asperrimis certe partubus, ubi ob imminens discrimen labor industria, si tamen valet, haud subito potest finiri, nec alia forte subsit indignatio, deductis vel arte, vel suapte natura clunibus, partui obtemperare oportet; id quod ego pridem jam et ubique securum et consultius probavi, quam lacerando uterum, ac foetus internecione, matrem et infantem, quod ajunt, a se invicem removere. Removere certe!

LIBER SEXTUS.

PRAEFATIO.

Atqui intellectuali mundo certae etiam, quae procreant, atque aliae, quae destruant, vires insunt. Vix namque ratio, ex observatis naturae res earumque eventus meditata, nova aliqua et utilia pervidit; dum mox infestat socordia vulgique mens, valida continuo, quidquid verum ac probum est, revolvere in obscura.

Quae si quidem oppositarum virium perennis actio et renisus suprema lex est; silere sapientem decet. Ita enim est, ut diem nox computet.

Enim vero in arte etiam obstetricia haud unquam clari et humani viri defuerunt, qui asperam puerperarum tractationem reprobantes in adversa valitudine sortem earum conarentur mollire. Sed quid, ubi veritas sine praesidio auctoritatis et derelicta sibi ratio est? Tum quidem tarde, illis etiam in rebus, quarum ad cognitionem sana mente utimur et modico sensu solum, ad meliora itur. Quod vel ex more fit manifestum, quem ubique ferme in-

eunte hoc saeculo decimo et nono ars obstetricia retinet.

Satis per saecula parturitio, praeter dolores, quos ipsa injunxit natura, omni foeminae versa in genus miseriae fuerat. Nulla coarctatio, nulla vinctura, nec pressio quaepiam et percussio, neve injuria corporis quaecunque, neque magicum ullum cogitari amplius nugamentum poterat, quod inexhaustum superstitio et inscitia reliquissent. Machinarum et tormentorum vis omnis: et digiti et manus et brachia; forcipes et terebrae; vectes et harpagones et unci, mox in matrem saevierant, mox in foetum saepissimeque in utrosque. Quot miseris sine necessitate venter cum utero perscindebatur? Nonne pro ultima atrocitate ipsas pelves ex nexubus disruperant, imprudente facto aureis signis laureaque magnificato? Tum apparuit tandem Optimus hominum, cui bene facere gratissima sua primaque indigentia erat, quique ex immensa sublimitate munerum suorum toties in singulas mortalium sollicitudines descendit, et quasi Deus impertitus solatia est.

In tot latis a se beneficiis hoc quoque, cui par haud aliud est, Institutum excellit, pauperum gravidarum partubus, artisque obstetriciae incremento sacrum, ubi pariens natura in antiqua sua primum restituta jura est; ubi, dum extranea ope indiget, artem paratam ad auxilium invenit, qua, si quidem non potest sustineri semper, saltem nec pejus afflictari debet. Hocque ritu, his praeceptis inter triginta et plus

mille, nec quidquam interrupta serie, et diligenter spectatos partus:

a) *Nunquam infantis quocunque modo instanti capiti ad commutandum situm apponebatur digitus.*

b) *Nec ori uterino quorsumcunque verso, ad reducendum id, aut dilatandum, admotus index est.*

c) *Cuncti partus anteversa facie,*

d) *natibus,*

e) *pedibus genubusve, qualicunque more pelvim ab exordio obsident, soli relictae naturae sunt.*

f) *Nullus infans enixo capite, mox extractus, sed rite moratum, donec agitante aliquo dolore reliquum corpus expelleretur a natura.*

g) *Haud ulla unquam placenta utero exempta manu est, nisi urgente gravi periculo.*

h) *Parientes, nunquam ad peculiarem quemdam obligatae situm, per totam parturitionem ex lubitu in utrumque latus, vel in dorsum incubuere.*

i) *Ne ullus in sella tractatus partus.*

k) *Puerperis genitisque, quoad nullus manifeste morbus institit, ne medicamenti granum exhibebatur.*

l) *Ne ullum in instituto exemplum est, puerperam, lactaverit, nec ne, offensa acriter papilla, multoque minus ulcerato ubere laborasse.*

Haec nostra differentia artis est; hic usus noster manu et visendo praecontrectatus, non fictus egressa mente vel luxuria ingenii. Hanc

artem primo liberiori animo ex ipsa natura intelleximus, postea ad scientiae fundamenta reduximus. Hanc artem et rationem agendi, indictam hîc partim modo, cum theoreticorum comparamus regulis et communissimo exercitio, ut appareat nil aliud tantum esse dispar sibi.

Quid vero ritus novior prae antiquo et vulgari ad commoditates, et clementiam curae in puerperis et foetubus, et universim ad salubritatem omnium faciat, (quod sane in re summum est et unicum) hoc palam experientia constat. Milleni, eorumque pars magna jam exculti medici, a multis retro annis, rerum, quas narravimus, adstiterunt testes, ut mox, si falsa diximus, a millenis possint confutari.

Neque vani in humanam progeniem tam insignes fuere eventus; eatenus etiam ab instituto ad benevolas magni Fundatoris spes responsum quidquam; ultimum, quod sacrificari Divi manibus a nobis poterat. Habiles tot gratique tirones, in hac schola monitis manuque ducti, illiusque, quem addiscendae arti praestat, nobilissimi fructus compotes facti, molliores inde medicationes foeminei sexus explicando ampliandoque, unitis ultro viribus, disciplinam ad eam bonitatem mansuetudinemque perducent, ut, circumscripta licet juvandi facultate, nihilominus humano generi haud aliter tandem, quam amicam sese ac salutiferam sit praebitura.

Talis ut arti, vel nostro vel alio more, sors contingat, magnopere desidero; idque prae-

sertim ob illos ipsos, quorum interest inprimis; memet enim quod attinet, orbum utpote, queis et supra mortem relinqui solet animus, non tam post dicta et monita angit, mulieres ne nunc et in futura in lecto gignant vel in sedili.

Ex Instituto technico obstetricio. M. Martii 1804.

DE
CAPITIS DIFFICILI TRANSITU
ET
USU FORCIPIS.

Vim temperatam Dî quoque provehunt.

HORAT.

CAPUT PRIMUM.

Commentationis argumentum.

Quamquam parturitio id plerumque naturae opus est, quod ipsa ea commodissime traducit, ni quidquam in via obnitatur, vel inconcinna, ut solet, ministratio incidat; est tamen inter centenos aliquot subinde partus, qui moveri forcipe debet.

Causarum, quae auxilium hoc imperitent, vel certe in matris prolisque salutem summopere suadeant, magna est varietas; ut vel singulae quaeque ob intensitatem, vel multae ex conjunctione illud expetant.

Frequentissimam admittendae forcipis occasionem iniqua proportio inter foetum et matris genitale praebet; interea deformitas nativa pelvis in matre crebrius, quam foetus magnitudo capitis in culpa est.

Pelvis, si demum infans ex natura prodeat, satis ad minimum ampliata structaque esse ex ordine debet, ut hujus propemodo grande, caeterum juste efformatum, caput trans illam sola vi naturae possit expediri, praesentibus inprimis et prosperis etiamnum ad facilitatem motus subsidiis: ut nempe caput cranii postica parte non tam ad antica matris ferme, quam ad latus spectante, fronte autem vultuque magis minusve ad latus aliud superiusque conversa, partui adsit; ut idem caput nixubus ac pelvis renisu, ossiumque bregmatis praecipue mollitie, mobilitate, eorumque reciproca susceptione, in acumen desinat, atque, ut in omni pelvis regione oportet fieri, ab una ad aliam plagam in formam cogatur minorem, aliaque extenuetur in majus; ut naturalia rite constituta, mollia et lubrica, tum dolorum ritus et intensio ita sint temperata, ut illorum in partus varia periodo recta vi infans accommode progrediatur.

Verum aliquando ea pelvis est angustia, ut integris licet illis commodis caput permeare haud queat, eoque minus, si praeter pelvis capitisve vitium aliae accedant molestiae: morbi universae corporaturae, nisuum inertia, anomalia, aut omnis defectus, vel aliae hujus generis adversitates, quibus summopere trahitur vel omnino impeditur partus.

Nec tamen semper, ubi pelvis ex angustia peccat, forcipi locus est; id enim, ut aliae res, certos limites habet et arctius cingitur,

quam vulgo putant. Quarum conditionum ratio varia et incertissima, paupertas item maturatae cognitionis, fluxaque et instabilis principiorum indoles id efficiunt, ut de forcipis separatim adhibendae indicio tam diverse judicetur, et frequentissimus ea fiat abusus.

Est tamen etiam, ubi nullo errore in locis, justaque foetus ad pelvim portione et vigente nixu, partum per forcipem nitimur; quando scilicet matri, vel foetui, vel utrisque instat discrimen, ut festinandum sit.

Experientia enim, etsi haud tam crebro ac permulti imaginantur, passim tamen nec rarissime ostendit, satis protrahi premique partus, ut officium medici jubeat aliquando, afflictionem extus aptissima ope, ac quandoquidem manus sola deficit, quodam ferramento sublevare, quo caput facile comprehenditur, sustinetur, justoque modo, per naturales vias, paullatim et mollissime traducitur. Propterea, qui primus ad hanc artem meditatus, illique efficiundae utilissimum una excogitavit inventum, de humano genere optime meruit, tot viris celebratissimis alias, ob fusa in mortales beneficia, longe praestans. Nec tamen pro Auctoris memoria positus lapis. Sed ipsa ingenii sui mitissima inventio perennius aere durat.

Quanquam de reliquo certissimum sit, saepius ex vanitudine ac perniciose applicari forcipem, quidquod matrem plurimum ac prolem facilius evadere sine ferramento; nullatenus tamen error in instrumento est, vel ex inventore, sed in illis, qui stolide utuntur.

Quot profecto matres, et geniti vitam ei ferramento, illiusque rectori debent? Quapropter medicorum subin certorumque obstetricantûm hebetudinem vix capimus, qui vanum esse illud, eoque facile careri, verba fundunt. Estne tam arduum sapere, inter infinitas, quae in potentiis partus matri foetuique adveniunt vicissitudines, etiam necessario tales esse, ut natura sola sine accedente vi extranea foetum, capite anteverso, justo tempore, vel unquam pellere ex pelvi nequeat. Atqui haec ipsa forinseca vis omnium optime maximaque propemodo securitate, imo unice, per forcipem additur. Namque in vere molestis, ac propterea huic subsidio idoneis partubus, infans, quin trucidetur, et rupturae uteri metus fiat, haud facilius ex vulva per manum trahitur, quam excerni a natura intus pharmacis potest.

Verum tamen ex altera parte coërceamus abusus etiam. Videlicet, qua vivimus aetate, aliqui obstetricantes forcipem in singulo ferme tertiove foetu exercent, quasi feroces induxissent animum sibi, naturam illa ab omni suo in partum imperio cominus expellere.

Praestrenui quippe magistri ad liniendam dementiam hoc ridicule gestiunt: quod alias vix intelligant, quo fine superi tam eximium donum sibi in manus dederint; ob quid aliud namque sint obstetricantes ipsi, et nomen habeant? Nullam fieri neque matri, nec proli hoc ferro noxam posse.

Cui quidem fatuitati si reponere pretium es-

set, id responderem: Habetis ex eodem dono cultros quoque, propterea forsan, ut brachia et crura tollatis, ubi amputare non est opus? Sed attingamus potiora. Atqui primo falsum est, neque matri portendi a forcipe, neque proli. Mater certe et conjunx et propinqui expavescunt, vel intellecto proposito inferendi ferri. Quapropter, ubi nihil urget, neve probabilissime conjecturatur, prodesse forcipem, ab omni instrumento cautus abstine, ne afflicta alioquin familia vel ex injecto metu frustra offensam habeat.

Deinceps alienissimum quoque a vero est, forcipis applicationem et usum, primamque ad opus ipsam parationem, sine molestia et aspero sensu fieri, praecipue, si robur instrumentum est, idque agresti manu adpellitur, tenetur ducitúrque, ut vulgares mechanici consueverunt.

Neque injurias istas praetextu accelerandi partus compensari credas; magis contra obstetricans properando, quam idonea tarditate nocet. Virium quippe cuique sua partui mensura inest, quarum ope, dum foetus et secundae stato tempore a genitali secernuntur, viscus illud atque aliae deinceps partes sic modificantur, ut decet, ne partu excluso organa a salubritate desciscant. Quodsi etiam in arte esset, primo nixuum incursu omnem parturitionem subito absolvere; tametsi velut magica virtute eximendi foetus protinus copia esset; omitti tamen deberet, quia, etiamsi non semper inde,

saepissime saltem, mors certa matri foret. Sic noxium, atque exitiosum est non raro, sine recta causa citra naturam incitare modo vel praepostere finire partum; namque foetus per pelvim bonus progressus exitusque, sine dolorum ad tempus et spatia probe respectata et commensa simul ratione, ne cogitari potest. At nesciunt hoc, uti cernitur, mechanicorum vulgus, quibus praeter pedes manusque et forcipes nihil est in arte. Isti utique parum sentiunt, adjecto contra indicationem ferro, omni vix inchoato homini vitae insidias strui.

Namque licet eam machina formam habeat, ut certa cognitio, quod foetus vivus insit, illius usum neque excludat, nec insequi eo etiam infantis mors debeat; non tamen ideo conjectabitur quispiam, ferramenti genus hoc esse lethale non posse. Horret animus, pensitando, quot infantes hac fatalitate feriti et sine animo pertracti sunt, quos paullo tardius sospites in lucem prodidisset natura sola. Nonne ex simplicissimo, quemque ferme animantia habent, sensu communi percipitur, tenellum in matre foetum, vi nullatenus computanda et repetita, qua mite caput comprimitur, haud ita clementer et molliter traduci in locis posse, ac alias, etsi re et occasione minus benigna, et suaviter, tutoque nasci suapte natura consuevit. Verumtamen rudis et ad simplicitatem nondum nobilitata ars hasce clarissimas ipsique naturae sancitas leges parum respicit, ut pridem jam verissime saperent, qui ex toto ab

instrumentis plus damni ferme redundare, quam utilitatis asserunt in mortales.

Quidam obstetricantes artisque doctores una, temere ac frustra assumptae toties excusationem forcipis ex commodo discentium simulant. Pol! Dolemus sane tam officiosis viris non etiam secandum in calculos esse; indere scilicet eadem modestia vivis hominibus lapides eosque super sese exercitare et discipulos possent. Inutilis stultaque partus ita tractandi jactatio tirones obstetricantes perplexatur et confundit. In omni quippe et in hominibus et brutis, curandi manu et instrumento, eruditione id primum maximumque est, ut sciatur indicatio: forcipis applicandae modus ipse alioquin expeditus habetur, ut communissima propemodum satis habilitas sit, nec unquam trahere tanto impendio competat, quantum exprimere ac desudare paratissimi solitum habent Turpe caeterum, turpe atque vile, miseram genitricem cum prole sua adeo despicere et violare, ut in utrisque cum discrimine sanitatis ac vitae, velut in obstetriciis ex corio ferroque compacturis, quispiam ipse furat, vel furere pro mercede alios sinat. Talia exempla prostant et turgent; quae si neque ex humanitate, neque stimulo honoris resipiscant, petulans et arbitraria pernicies stringenda aliquando lege erit.

Quotquot a prima inventione aliae ab editoribus suis studio nominatae et obtrusae nobis forcipes advenere; illarum quamlibet ferme deterius modo primi exemplaris simulacrum

aestima, nec facilitate usus, neque applicationis promtitudine praestans. Verum absterrere potentius, matrem ac infantem magis infestari, ineptius ingeri claudique, prudentia praesertim manus parum gubernante, haec fere omnium infamia est.

Idoneae omni obstetriciae forcipi talis propemodo fabrica sit: ut, vi per ipsam exercendae non solum congruat, sed etiam in naturale ad foetusque caput expedite duci, idque, provisa matre ac prole, molliter prehendi et contineri et permoveri possit. Quidquid ad proposita haec deest, superatve, vel mole officit, vel quovis alio errore, incongruens et supervacuum ducito.

Instituta ad illas pactiones in variis instrumentis comparatione, verisimile fit, illorum quodvis ad bonitatem et aptitudinem probari ex vetustate, nec unquam antecelluisse multum nova. Neque celebratam, uti vocant, novissimamque curvationem multum extollimus. Mihi certe per experimenta constat, forcipe ex toto recta foetum affatim benigne, imo, quam curvata, aliquando expeditius regi. Nec tamen ideo machinam ad os sacrum intus modice incurvam haud convenire, aut obstare dicimus. Ast quae hoc tempore praelongae, graves turpiter et sine modo inflexae forcipes prodiere, inhabilia, incongrua et horrida machinamenta jam aspectu sunt.

Qua quidem ego forcipe utor, cujus etiam ope cunctos difficiles, simili quadam arte sal-

tem superabiles partus, magno spectantium numero, expedite semper et leniter ad finem duxi, illius ferme constructio talis est: Duodecim Vienn. pollices longa est, ut a junctura $4\frac{1}{5}$ pollic. ad manubria, et $7\frac{4}{5}$ ad laminas pertineant. Maxima laminarum a se invicem distantia cum inferiorum, tum fere et superiorum ramorum $2\frac{1}{2}$ pollic. aequat. Proxime super juncturam utraque curva lamina admodum in latus flectitur, quam prope curvationem etiam in fine superiori habet. Manubria a junctura in suos exitus continuo latius excurrunt, adeo, ut sibi adposita infra super $1\frac{6}{8}$ pollic. lata, caeterum satis crassa et solida sint. Infra sulcus circa manubria ad continendam fimbriam est, si forte stringere competit. Superior lamina inferiori nonnisi incumbit; et nova ramorum curvatura perexigua est.

Quod descriptum a me instrumentum, si ob brevitatem displicet fortassis, nihil facilius erit, quam, servata in singula parte ad longitudinem portione, aliud aliquot pollicis spatia longius curare confici. Ultra omnis forceps inutili mole peccat.

Sinus atque distantia laminarum summa sunt in quavis obstetricia forcipe momenta; iis enim scite procuratis, rebus caeterum paribus, capiti prolis a ferramento cummaxime temperatur.

Prosunt exscissae laminae. Si quidem plenae singulo cuique foetui possent circumfundi, distributa sic per caput totum pressione aequabili,

bili, minus utique ferri vis in aliquas paucas casura partes esset. Quod autem quum nequit, abest, ut plena lamina expediat, ut multo magis caput, quin firmiter amplectatur, in quibusdam punctis, quam reticulata, durius et periculosius opprimat. Altitudo cujusvis laminae in antica parte ad $1\frac{5}{8}$ pollic. excurrit; et illius uterque ramus latitudine circiter pollicis $\frac{1}{8}$, altitudine $\frac{2}{8}$ tenet; ut itaque, praeter pollicis $\frac{5}{8}$ latos ramos; reliquum laminae pateat.

Tum commoda etiam sit manubria inter et laminas proportio longitudinis; illa enim, ubi citra morem longa sunt, caput eadem vi nimis premitur; praecisis contra, virium opus aucto impendio est, ad id, ne elabatur, satis retinendum. Ligno insita manubria corio vel sint tecta, vel non sint, parum refert. Cui caeterum, si forte munditia exigit, novandi indumenti commoditas est, is obducta nudis vel ob temperandum sonitum ex metallo praeferat.

Simplex porro juncturae modus, pari caeterum machinae constantia et securitate, reliquis antecellit, quod facilior inde et expeditior applicatio cedat. Propterea quaelibet commissura cum clavis aut repagulis, qua instrumentum jungi se super infantem renuit, donec aliud alii, singulo ad amussim puncto, respondeat, nullius usus scito. Unde, quam in forcipum prima *Anglica* miraris, simplicissima junctio perpetuo optima erit, in qua, simul ac superior lamina cum angulo suo inferiori strenue inhaeret, brachia nullo modo divelluntur. In-

flecti, disrumpi quidem forceps, aut ea conquassari foetui vertex poterit; at nihil est, quod amplexum dirimat. Miseremur igitur foecundissima tot in struendis novis forcipibus et repagulis capita, quorum ex inventis non fabri adeo industriam, quam jubentis contortum ingenium obstupescimus.

Laminae forcipis ita sint incurvatae oportet, ut conjuncto instrumento in suprema parte duas circa lineas distent a se. Demum, quo mollius ex rotundo in planitiem margines ramorum exeunt, eo perfectius caeteroqui fabricata forceps est.

Atque omnis a dotibus istis haud vehementer abhorrens, caeterum quocunque famosa forceps nomine trahi in usus potest. Nihilominus multi obstetricantes hoc sibi ridicule simulant, nulla inter cunctas, quae a sua nonnihil deflectat, profici; sed undenam sodes! foeminis salus viginti retro annis erat? ante novam forcipem, illiusque auctorem?

Verum non facile quis enodabit casus et conditiones, qui genus adjumenti hoc expetunt, suadentque. Idque ponimus, duo ferme esse in pariendo notissima extrema, ubi artem succurrere protinus et generaliter definitum est, ut nec circa modum auxilii aliqua dissensio sit. Primum nempe, si inique infans ad partum jacet; alterum, si talis naturalium angustia, aliave erronea constitutio nocet, ut foetum ex toto nasci nullus modus sit. Verum inter innumeras alterutrius erroris species et fluxas vicis-

situdines, procul dubio, aliquae intercurrunt, ubi partus aut omnino non, aut certe opportuno tempore non aliter cedit, quam adveniente forinsecus additamento virium, quale pro multiformi positione ad efficiendum munus absolute requiritur, eatenusque opportunum modo erit, quatenus debitam naturae vim ad partum aliquando seu recto tempore solvendum supplet, seu in iis organis, per quae transmoveri pars debet, aut in movenda parte ipsa, impeditiones et obstacula superat. Quod vero ut impetrare recte confidas, oportet, ambigua res illos certe limites teneat, quos intra, per naturales meatus et adjecta simpliciter vi deforis, opem ferre ars possit etiamnum.

His praemissis, miramur, tot medicos ex harum rerum quaque singula prorsus immittendae forcipis necessitatem velut praestituere, tametsi pleraque, quae illius subsidium aliquando expetunt, nonnisi sub parturitionis ipso actu cognoscantur et maturescant.

Namque non satis est scire, pollicis aliquas partes angustam pelvim esse; sed foetus caput etiam, illius mollitiem situmque, matris porro habitum et valitudinem, nixus deinceps, eorumque qualis sit efficacia, tum perennitas forte, computare decet. Verum cuncta haec in lanquida parturitione (ut crebrius fit) non alias, quam ex laboris ipso progressu, in notitiam cadunt.

Ut igitur forcipis applicandae necessitudo, seu certe opportunitas, et rectum momentum

comperta et intellecta habeantur, mechanice modo agere artificium nihil complet. Plurimos novos in eo reprehendimus, quod multa nece saepius properanter et sine ratione utantur forcipe. Rarius multo in mora peccant. Nec infitiamur tamen, quosdam alios vel ob sinisteritatem in adhibendo, vel propter vituperabiles alias causas matrem et prolem negligere aliquando, quae eadem potuissent servari. Circulatorum stulta jactantia, omnia se complanare digitis, omnique in partu impune instrumento carere, despicienda silentio est.

Sunt quin imo casus etiam, ubi ad ferramenti usum compellimur, spe licet successus pleni cummaxime ambigua. Infante quippe, dum forceps admovebatur, etiamnum vivo, dein, quo traducitur, intra tempus emortuo, mancum quodammodo cessit opus. Integra nimirum felicitas potissimum exspectanda ab pelvi haud nimis constricta; capite non alte insidente, neque grandi neque praeduro, sed propemodo in pelvim depresso: ubi universim partus insolentia a vitio in potentiis vel earum defectu, vel, quae naturale opus accelerari exigant, aliis ex causis potius, quam mendosa proportione inter foetum et pelvim oritur.

Id praeterea tenendum, eam esse instrumento structuram, ut infantis, etsi haud vivum, semper tamen integrum caput, eodem et possit et debeat eximi. Qui dedita opera illud per forcipem conquassat, postea extrahit, foeda et hominis indigna patrat; namque ap-

tius et humaniter partus membra divellimus, cum mitiori etiam tractatione genitricis, et quam minimo periculo.

Postquam tandem artificialis foetus, item adhibendae forcipis justa causa evidens et perspecta habetur; adstantibus, tum ipsa etiam aegra, prudenter monitis, stratum ex transverso, juxta alia ad rem necessaria, silentio et placide paratur, quemadmodum in tractatu de versione clarius edisseratum est.

Verum tamen, ut communia curationis hujus principia ad singulum quemque eventum queant referri, et impendi rectissime, exordium ab historia est ducendum, quo potissimum modo caput in parturitione a natura evolvitur; namque traductio illius per forcipem nihil aliud esto, quam naturae ex arte affectatio, quatenus datur, illaque sola operi ad suos ritus perficiendo impar erit.

CAPUT SECUNDUM.

Brevis descriptio naturalis capitis per pelvim transitus, habita ratione ad ejus evolutionem, ope forcipis.

Quoquo demum modo infantis integrum, junctum truncoque caput, ponere super pelvim natura suevit, ita etiam idem ipsum caput transmovere per pelvim et potest et solet; proviso, quod necessitatum ea modo conditio sit, ut neque in spatio, nec in compagine partium

et nisuum vigore durationeque quidquam nimis peccet, aut quod necesse sit, omnino deficiat.

Ad paucas sane pactiones in evolvendis productis suis adstricta natura est; quae, ubi satis suppetunt, continua ea totaque in procreando versatur, ut opera sua, etsi nullum itidem recte atque aliud producat, illorum tamen omne singulum ad genus suum regat et perficiat: tardius, citius, facile, difficile. Sed in hoc aestimando sensus nostri et ratio quam maxime fallunt. Nihil namque in natura facile aut difficile fit; sed quidquid fit, simpliciter fit.

Quae amplissima animadversio maxime ad foeturas animalium atque hominum spectat. Donec enim summa ad quamque parturitionem momenta praesto sunt, cuncti fluunt partus, quamquam ne ullus, quoad tempus et modum, omnis cum alio congruat.

Partus breve tempus et sine notabili molestia incedentes, vocari faciles, id capitur quidem; partus manifestis propemodo notis instantes, ut natura plerumque commode expediat, omnium haberi optissimos, nemo miratur; at ex innumeris rationibus, quae momenta illa conditionesque perpetuo mutant, aliquas modo ad arbitrium seposuisse homines, tum rebus male intellectis erroneum effinxisse exemplar sibi, ad quod naturam, sin unquam ipsa agere suum opus audeat, possitque, dementer constringunt, adeoque incredibili stoliditate arctissime et citra sui ipsius aeternos ritus coër-

cisse; id tandem alienissimum videretur, si arrogantia et prona mens in opinationes mortalibus haud communissima essent.

Ad puerperii nempe commoditatem genitale eam habet amplitudinem, ut plenus foetus, seu maturitati proximus, ex longitudine sua tute eo possit emergere. Haecque in materno sinu infantis positio, ut illo more in partum procedat, inter omnes frequentissima est. Foetus quippe transversa tota locatio contingit perraro. Neque fieri tunc ex natura partus potest, nisi iniquus situs vi extrinseca internave fuerit digestus, ut postea infans clunibus aut pedibus, capiteve forsan, in pelvim deorsum agatur.

Dimidio praegnationis vix emenso, foetus ut plurimum capite ad portam pelvis adest. Attamen constans ista perfectioribus animantibus positio (alia enim a lege solum aberrat) haud mechanicam, ut aliqui opinantur, explicationem agnoscit. Ad nostrum interea scopum satis est, ut sciamus, prorsus evenire talia.

Tum demum partus uti appropinquat, amnion imminuitur, foetus augescit, et paullatim in utero continetur strictius. Atque rerum mora et incremento, item aliarum virium nova exsurrectione et accessu evenit, ut infans initio, pro reciproca gravitate, forma, et junctura capitis cum collo, illiusque mobilitate, in alterutrum certis legibus commensum organicum situm cogatur, uterique interea patefacto ore ita prodeat: Capitis nempe capillata, quodve raro contingit, non capillata plaga, plus mi-

nusve recta in pelvim cubat. Quoque perfectius prior adest situs, eo pressius nititur mentum sterno, eo propius instat occiput, eo promtior tota parturitio est. Quanto plenius altera positio occupat; tanto magis infra adpressum occiput dorso est, tanto enixius prominet mentum; eo tolerabilius etiam hac positione exsolvit natura, dummodo id spatium et robur virium sit, quale etiam pro partu esse generis prioris debet.

In utroque partus modo infantis frons super pelvim, et in illius apertura ita residet, ut ex priori specimine vultus, in altero eminentius capillata regio, utravis conversa sursum fere, alterutrum latus matris aspiciat, recta propemodo. Idque vel ob reciprocam conformationem partium, et consistentiam reliquasque conditiones, foetu pleno aut maturato prope, item laudabiliter figurata pelvi, vix alias potest. Nec facile, re ita comparata, caput secus, quam designata plaga alterutra, unquam proprie et totum in partum vergit; ut mirabile sit, obstetricantes in *auriculari partu*, quo caput alterutro latere in pelvim componunt, adeo desudare. Hosque foetus ex illorum sapientia tam frequentes ferme credas, quam praemissos vertice. Convertunt nempe infantum capita ad cardinales plagas quatuor, quibus in globo terrarum tempestates coeli numerant. Exilis disparitas! Talem collocationem foetus nisi capitis jam cum collo modus juncturae refutaret, quidnam si dicerem, tot inter partuum millia haud unquam unum advenisse praeversa aure.

Interdum vero infans per pelvim ita transit, ut praebitis primo ad pelvim clunibus, genubus pedibusve, omnium ultimum caput sequatur. Atque in hoc etiam parturitionis genere, ut praeverso capite solet, maxilla inferior tandem adprimitur sterno; sed differentia quadam, ut infimus vertex, et occiput passim formari hîc in obtusum conum non possit. Quapropter ad functionem quaedam insignis commoditas deficit. Verum in ista quoque foetura capitis ad truncum singularis innixus et positus, quo aptissime, minimoque cum periculo, hac directione enitatur, summum pondus habet. Parum nihilominus in gravissimam rem respectavere periti; quî enim fieri posset tam in naturali partu, quam in artificiali, ut, quam primum in propinquo pedes sunt, protinus foetum arripiant, iisque, donec valent, sine modo deorsum trahant. Qua ruditate pectus vel a mento dimovent, vel, ne unquam attingi sterno possit, inepte praevertunt? Unde infantes, proni ad partum pedibus, ex quo nascuntur, moriuntur. Ita fit ex re ipsa; sed persaepe in pejus mutat inconsulta properatio.

Caput infantis, sive primum prodeat, ultimumve, perinde ac truncus, ejusque singulatim pars omnis, non quidem simplici, sed progressivo motu, simulque in gyro, per naturalia meat. Interim, quam mente fingito, *spiralis* linea in quovis puncto alia atque alia erit; circuli quippe majus minusve, si summum infimumque illius punctum in eadem esse planitie

ponimus, descriptura segmentum. Sed ne ista imago infantem, uti per spatia pelvis migrat, describit omnimode; ipsa namque spiralis insuper, ceu variis ex longitudine curvata flexubus, comprehendi animo debet, quum etiam uteri et pelvis, qua foetus movetur, curva cavitas sit, ipsaque pelvis, in omni altitudinis et profunditatis varietate, variam quoque amplitudinem habeat.

Complicatissima haec et motus et directionis ratio, qua omnis partus aeternum movetur regiturque, a propriis pendet potentiis: ab uteri praesertim et vaginae contractionibus; a congrua structura naturalium; a recta inter pelvim et foetus caput portione; a corpore infantis, ejusque adscita forma et situ. Id enim vero Viennensi obstetriciae scholae meriti est, quod ista naturae lex constans et perpetua primum ibi a Me detecta et aestimata (quodque summum est) inventa aliquando milleque experimentis tentata veritas mox etiam in usum artis conversa fuerit et communissima exercitia. Huic beneficio simplex nunc et mansuetissima partum suscipiendi superstructa scientia est, quam denuo neque injuria temporis, nec aevum turbabit. Hac procuratione parriens natura, diu vexata satis, multis post seculis, cunctanter quidem, sed reprimi longius impatiens, in mortalibus etiam in pristina sua jura redit.

Permulti scriptores, foetus iter per sinum matris docte narrantes, astutique clanculum se

speculatos naturam esse, rident et gaudent. Circinantes nimirum mox majorem capitis, mox minorem diametrum, in similes nunc, mox in dissimiles lineas ponunt, foetusque ex matribus confusa doctrina ita explicant, ut propria sibi parum aeque constent sensa, ac naturae, dum indiget forte, quidquam advenit usus inde. Caput foetus neque geometricam superficiem refert neque figuram crucis. Pelvis ipsa infinita dimensione variat, et inter omnes, quotquot cogitantur, cavitates, mensurationi est ineptissima. Quare nonnisi regiones significamus, quibus caput mutabiliter ad partum praesit; postea statuimus, quemadmodum pro primo suo in aream ingressu, subsequis in pelvi stationibus, paullatim in varios dirigatur circuitus. Solus quippe sectionis cujusdam in capite totus ambitus, data simul, qua incubat, positione, comparatus ad totam alicujus in pelvis quacunque altitudine acceptae sectionis circumferentiam, cujus pariter determinata directio sit; porro obstacula, ceu totidem adversus potentiae, harumque in diversa regione pelvis vel decrementa vel defectus: haecce nimirum inter se propemodo computata, haecque sola ostendunt tantisper, quanam ratione, in variis pariendi stadiis, moveri, dirigi, quamque cogi in formam, caput et truncus debeat. Sed mutant cuncta ista quovis progredientis laboris puncto, intense plus, minus; citius, tardius: pro varia crassitudine et situ foetus; pro constitutione matris, et genitalis habitu, pro ener-

gia nixus, et commutatione tandem, quam subire membra sub partus processu necesse est.

In tam magna conditionum rerumque in utrisque conspiratione et reciproco influxu, ac quidem in matre: aptis uteri contractionibus, et universali parturitionis, praesertim ab actione musculorum ventris, adaucto nisu; tum pelvis, et quarundam genitalis partium mollium renisu; item in foetu: illius quippe convolutis et ad caput, ad pectus et abdomen propius appressis extremitatibus; mento pectori fortiter innixo; reflexis brachiis, et manubus juxta buccas ad os; fultis in profundum occiput humeris et scapulis, propinquus partui infans in solidum ferme, et sequacius, velut non articulatum coniforme corpus, cujus obtusus apex pelvi propemodum, basis vero adversa fundo uteri est, ita subigitur comprimiturque, ut nisuum impetus et vis in columnam maxime vertebrarum, hincque porro in contiguum pelvi sese caput exserat Eodem tempore uteri contradictiones et reliquus ad functionem omnis conatus adeo in totam, per dolores quasi in conum formati compressique foetus, superficiem agitant, ut demissum ad pelvim caput, minui quidquam cedens, et monstrato fini aliquando obtemperans, quae sibi a pelvi obsunt, resistentiis prius subrepat, quam reliquum, altius etiamnum in utero degens infantis corpus, ubi forte visceris illius haud aequa ex omni parte contractio est, in alterutrum reclinare latus, aut aliorsum, sicque velut absorbere in se ni-

xus vim possit; vel quod pejus multo foret, hujus ad se movendum ne quidem sufficientis, attamen in se continuo resultantis vis, ultra absumendae incapax, illam tandem non solum non sustineat longius, sed vincat quin imo, idque visceris, unde est profecta, ipso interdum cum exitio.

En generalia ferme et gravissima momenta partus naturalis, ubicunque forcipe aliove adjumento corrigere iniquitates vel levare ars debet; propterea nempe, quod illis in tempore locoque superandis natura sola haud potens sit.

CAPUT TERTIUM.

Ultra de applicatione usuque forcipis.

Tali videlicet modo rerum, ut in tractando partu per forcipem fortunae spes sit, ipse etiam inserendi conatus plurimum sine molestia fit, eaque non reluctanter immissa, nec re alias impedita valde, ex facili quoque prehenditur caput. Nunquam vero, etiamsi ad naturam ampla pelvis est, forcipem opportune admovebis, donec caput mobile super pelvim nutat. Qui prolongato quantumvis ferro excipere se in excelso foetum gloriantur, nunquam reputavere, jam ex situ ipsius capitis vacuum propositum esse. Nonne caput hic fronte et facie conversa ad latus et sursum instat? Ponimus nunc, machinae utram laminam ex alterutro latere pelvis, alteram in opposito duci ad caput; sine dubio alterutra super frontem et

faciem, alia retro et infra moveri juxta occiput, ad idemque sustineri debet. Quod fieri nequit; eaque impeditione forceps in universum nec immitti, neque imponi potest.

Atqui si forte altius caput aliquamdiu contines ea, certe conquassari vultum haud evitabis, quin ad validissimos tractus nonnihil sequuturum onus sit; quoniam recte per afflictus illos caput ex sede sua et directionis commoditate expulsum, vi pressionis in ipsissima ea plaga augmentum capit, ubi competentius minui oportet. Quando autem laminas capiti propemodo ex utroque latere accomodare tendis; ante omnia, apprime etiam configurata pelvi, promontorium, os coccygis una cum perinaeo, tollenda e medio sunt. Strenuus aliquantum, neque quotidianus labor!

Quo itaque forcipi locus sit, necesse est, ut caput ex ambitu quadam parte orae pelvis firmius inhaereat jamjam. Quodsi apte contigerit, ut ossa parietalia aequabiliter comprehendantur in apertura, mollius utique cedet ferramenti applicatio. In quo cavesis, ne deceptus forsan tumiditate cranii, quae in extincto etiam foetu adest saepius, aut inductus veritate galeati tumoris, caput, quam reapse est, profundius jam descendisse credas.

Atque forcipis applicandae generatim hic modus est: Pariens, ut res exigit, commode vestita, tectaque recumbat, et obstetricans et ministrantes alii ita gerant, ut in versione; ni fortassis, leviore obstaculo, caput permovea-

tur, manente aegra in pristino lecto, situque ferme, super dorsum, vel ex latere. Sed nudare tantum in hac opera ac in conversione brachium, haud necesse est.

Ante omnia rursus exquiras caput, quaeque forte in propinquo jacent, alia membra. Nunc enim confirmanda est quaestio, num uti forcipe, qualem primo insinuare laminam, quaque pelvis in regione congruat. Aliquando primus conatus non proficit; dum caute nova quaerere loca, et permutare cum laminis decet, donec quacumque opportunitate illatum sit instrumentum. Plerumque, quoad indignatio fert, capiti adponitur juxta utrumque latus, ut, nisi recta sit, qua utimur, forceps, ramus laminae longior propius vergat ad vultum, utrâque lamina capiti, quemadmodum illud saepissime pelvis excipit, ita incumbente, ut a vertice et occipite super frontem satis et tempora quidquam directa ad mentum sit. Verum foetu primum prodeunte cum trunco, ubi demersum satis caput evolvimus forcipe, hac plurimum in opera id competit, ut fere a mento super bregmata et verticem tendant laminae.

Quoniam porro caput, quo minus etiamnum in pelvi descendit, eo minus quoque obversam faciem ad os sacrum habet; sponte noscitur, lineam juncturae forcipis (dum conclusum hoc instrumentum inferiori sua lamina recumbere in plano fingimus), perpendiculariter incidentem, cum alia itidem recta, quam ex quopiam puncto osis sacri ad punctum aliud in superfi-

cie interna commissurae pubis pariter insistere e perpendiculo accipimus, eo propius parallelam fore, quo propinquius ad exitum caput tendit; ideoque vultus deorsum jam magis vertitur sursumve. Eadem vero illa linea in genitrice, recte incumbente ex dorso, eo longius in alterutrum declinabit latus, quo sublimius insidet caput, facie lateri matris alterutri adversa, adeoque a sacro remota, ac sublata magis.

Quod inter partus praeversa facie, eosque, ubi vertex praeest, quando per naturam fiunt, observatur discrimen; id ipsum ferme obtinet, dum raro eventu finiri per artem debent, ac quidem potissimum ratione modi, quo forceps imponenda est. Oportet scilicet, laminas ex vultus quapiam regione trans capitis latera versus infimum verticem et occiput applicare. Reliqui in labore idem ritus prope, ut in tali partu, dum evolutio suapte natura fit. Hicque, quem primum ex industria speculatus sum, communissimus modus, quo natura facie anteversa partus perpetuo orditur, moderat, perficitque, in tertio libro harum commentationum descriptus legitur.

Quaevis lamina, antequam pelvi admovetur, animali temperie caleat, et extus pingui humore liniatur. Deinceps obstetricans, ne digitos et manum, velut praemissos cuique laminae exploratores et indices, absque illitu insinuet, non opus monitore habet.

Namque digiti, qua licet, machinam praecedant, ut ad caput pertingere illam tute, nec

peri-

periculoso errore, deviare inter vaginam uterique cervicem prodant. Etsi enim applicando ferro haud sit locus, antequam uteri os utcunque admittat; raro tamen ad ordiendum opus dilatationis finem exspectare a natura licet, quia tali in miseria os ampliari ex toto vix accidit. Caeterum, quae hucusque de inducenda prima lamina monui, apposito sensu, etiam ad alteram pertinere, alioqui clarum est.

Tandem in universo negotio oportere, ut maxime respiciatur, ubinam, ac quemadmodum utra lamina pro soliditate capitis et situ, vel pro diversa forma pelvis in singulo quoquo casu, hac vel illa regione aptissime sit inferenda, ut cum altera commodissime incidat; deinceps instrumentum, premente nixu, haud longius inferendum esse, ut illud ad momenta satius relinquamus immotum; item laminas nequid intus adigendas, sed sensim quasi experiundo insinuandas esse, ut, pergens ire utraque ad locum suum, extremitate manubrii curvam describat; haec enim vero ex partium reciproca compactura percipiuntur, nec tam tradi sermone, quam edisci ab exercitio possunt. Omnis in universum technica nonnisi usu docetur, comprehenditurque; ut plurimum etiam, qui in minutiis rerum particulatim tractandis perscribendisque maxime se gnaros, patientissimosque probant, iidem ipsissimi, ubi agere manu obvenit, mirificam ineptiam produnt.

Quo facilius et accuratius ferramentum sese accomodat, eo probabilius ex more succedit

res; ubi adversum obtinet, difficilis laboris et incerti exitus timor subest.

Illatas laminas, postquam utraque modice huc illuc tentata est, ut nihil quapiam suspecte obstare sentias, caute in juncturam ducito. Quod in forcipe cum *Smelliana* commissura velut sponte incidit, adeo, ut foetus caput simili machina citius propemodo sublatum habeatur, quam eodem partu alia, firmata clavo, forceps redacta in conjunctionem foret.

Quiscunque structuram instrumenti sui, partium illiusque portiones recte novit, ipso jam ex modo, quo se claudi sinit, atque ex situ inprimis manubriorum abunde sentiet, quorsum evadant, item quousque super caput distent laminae. Atqui distinctius sapere haud datur, nec graduum artificiosa mensura, neve alio quovis apparatu, quo simplicem optimamque machinam deformem et inhabilem fecerunt. Namque caput paullo quantumvis aliter, ac oportere somniant, ad partum demissum; lamina forcipis unam alteramve lineam huc illuc directa; tumor *galeatus* major aliquanto minorve; caput diversa directione nonnihil vel compressum vel turgidum; quin imo forceps ipsa paucas lineas altius, profundius, admota, ut infinitae aliae mutabilitates, intervalla manubriorum insigniter variant, quin tamen quispiam sana mente ex eo de capitis vera magnitudine, multo secius de residuo illius ad compressionem spatio judicet. Unde noscitur tandem, ex pronitate, qua caput primo se

comprimi sinit, recte omnino illius computari volumen?

Ex communicatione dumtaxat forcipis simplicissimae, quae igitur nec longitudine peccet, nec mole, seu potius ex ipso ab manubriis instrumenti in medici manus velut transeunte sensu quaedam empirica in re perceptio est. Haec scilicet mortalium sors est, ut, dum certissima doctrina innumera milliaria remotas orbitas definimus, eorum, quae in nobismet intus fiunt, plurima ignoremus. Ridet ergo sana mens paradoxa regularum nomina graeca! Donec foetus in genitrice latet, frivola ad mensurandum ista artificia sunt; sed enixo capite, quid supervacuum magis? Nunc, si libet, res quaqua simplicissima linea finitur, neque opus ostentatione est.

Immissa forceps rite prehensis, vi manuumque ab obstetricante coactis manubriis, capiti foetus ita apprimitur, ut, dum moveri illud occipit, instrumento, quantum opus est, contineatur, nec facile elabi queat; porro, ut ex oppositis duabus plagis comprimatur, quemadmodum fieri mutua inter partes ratio sine damno infantis sinit, vel inexorabilis necessitudo imperat.

Quodsi per indicia praescitur, partum difficilem et longinquum fore, necesse est, ut ad confirmandas laminas, uti adjacent, circum manubria fimbria ducatur. In quem finem, utque aequabilis perpetuo pressio sit, tentata varia cuneorum, cochlearumque supellectili,

demum inventa claustra ad machinas pro extrahendis dentibus, in forcipem obstetricantis congesserunt. Verum hujusmodi opificia in ferro ad usus proviso delicatissimos non solum inutilia, sed cummaxime nocifera sunt, quod inter artificem et vivum plerumque foetum, quem per machinam tractat, sensus et perceptionis commercium obtundant, praepediant. Partu difficili alioquin laminae sensim, quousque possunt, propius sibi debent adduci, ut laetus sit obstetricans, si forceps, quin tamen excidat caput, appropinquantibus manubriis sensim coarctetur. Nec ullum temporis modique, quo simile quid obtinet, momentum neu aliud quidquam, quod manubria moliri recessum monstret, traducto ab instrumento in suam manum sensu, obstetricans absque animadversione praeterire sinat. Namque tales vissitudines mutationesque, ceu totidem indicia artis, modum per omne opus continuo novant et variant.

Quippe in hoc technicus artificis positus sensus et ingenium est, quo sine quisquam operosus quidem homo, quin etiam spectabilis in doctrina, nequaquam vero prudens et aptus in obstetricando medicus erit. Idque est in omni curatione verissimum, ut, quid prosit, neve noceat saltem, non tam ex instrumento, quam ex operati scientia et dexteritate fluat. Quibus dotibus quisquis haud praestat, ne quo alio magis, quam ab machina omni se abstinendo bonum faciet.

Neque id agitur, ut simpliciter et inconsiderate trahas, ut multi artifices effutiunt, quidquod ad verbum transigunt etiam; sed oportet ad invitationem naturae, nixuum cum assensu et adjumento, perque intervalla, quatenus licet, et paulatim, et commode, et constanter moveatur caput. Obstricans quippe interceptum illius, et progredi certis punctis impeditum, ambitum ab offendente ambitu pelvis hac illac commovendo explicat, idque propemodo, ut a natura consuevit: motu progressivo et in gyro simul.

Atque modorum, quîs cum forcipe in caput agitur, haec ratio et summa est: primum, ut illud sub machinae compressu ex utra lamina ad oppositam in angustius volumen cogatur; contra, aliis locis, ubi pressio, aut similis resistentia abest, pro rerum varietate longius fiat, intumescatque; deinde, ut recte semel inter laminas comprehenso capite exserens se ad manubria potentia (quatenus haec ferramento haud aliter, quam quodam colligante se cum foetu vinculo utitur) id ipsum cum eventu motus, vel sine eo tendere faciat, quo nititur vis; postremo, ut caput, multimodis vectis motubus variaque confluente et temperata rotatione, ex diversis suae superficiei punctis, ad alia sensim puncta peripheriae pelvis, molliter inclinetur moveaturque.

Quibus in rebus, ubi nempe impeditio inprimis ab angustia genitalis exit, ad perficiendum opus certe necesse est, ut propemodo comprimatur caput. At quousque comprimamus, id

a fabrica instrumenti finitur, a capitis varia duritia, et sequacitate, ossiumque inter se susceptione; item ex gradu et modo exserendae vis; dumque motus a natura, vel per artem insequitur, ex eo potissimum, quaenam in locis difficultates obveniant, quarum occursu non solum aliter comprimitur caput, aliasque recipit formas, sed ipsa sub forcipe, sin saltem clementer et idonee tractetur, raro in eadem, qua initio erat susceptum, directione et situ sustineri ad finem potest.

Eaque capiti foetus illatae vis postrema species, minus alioqui necessaria, quo magis per naturam movetur labor, ne ullam neque matri necque infanti mechanicam utilitatem praestat. Praeterea inter omnes nequissima est, funesta frictione et contundendo partes, aliquando citra infantem turpiter et cum laceratione extractas quoque. Fit etiam, ut restitet caput; dum, linquente improviso forcipe, trahens potenter artifex retro se omnia sternit, et procumbit humi.

Multi nihilominus hodie etiamnum magistri obstetricandi artem totam positam in aspero hoc motu habent. Ingens ad istam vim ponderosissimumque exemplar forcipis nuper vidimus, in hoc quoque excellens, quod binis jugis ternisque ad trahendum peropportunum sit. Complures in Germania obstetricantes eximie agi hac vectura invenerunt, ut spes sit, non frustra advenisse emolumentum istud. Vae mulierculis! Sed ita est: nihil hominum animos

tute in assensum et admirationem rapit, nisi importunitas et audentia.

In universum adtemperati vectis motus in omni ferme molesto partu rem secure et commodissime absolvunt; praeterea parientem et operatum minime fatigant. Hisque variata arte exercitis viribus foetus saepe explicatus habetur. Nec tamen indifferens est, quo tempore alia atque alia motus species maxime impendatur; sed agendi ritus, et subtilitates in omni arte sermone neque perdisces necque docebis. Haec modo praerogativa est: in quacunque exertione vis nullum motum simpliciter, sed singulum alia motionis specie, ad varia momenta adaequate, adeoque ex permistione exercitandum esse. Caeterum, quod commode fieri potest cum mora, ne violente exequere, ut cito fiat. Generatim, quo partui ab sua origine plus indignationis superest; quo nitenti intra laborem majus facilitatis accessit; quo valentior etiamnum, quae foetum moveat, inquilina vis est, eo prudentius et cunctantius versetur obstetricans. Quin imo, dum caput ex strictura liberatum derepente, quod interdum fit, et justo vehementius propellitur, nequaquam accelerare, contra forcipe aliquamdiu inhibere oportet, ne praeter alias offensiones major laceratio perinaei fiat.

In tota etiam perfunctione forceps capiti ita accumbat, visque in illud ea sit directio, ut mentum idonee prematur ad thoracem, saltem intempestive non declinetur. Namque hac

solum positione caput, instrumento ex utroque latere opposite comprehensum, et a mento ad verticem prolongatum, expeditissime prodit; quoniam ita ex altitudine sua in altitudinem pelvis instat, ideoque illius altitudo tota, comparata ad illam pelvis, velut evanescit.

Omnis autem directio, ad quam foetum ex arte movemus, a primo opis exordio ad finem usque secundum monstratas vias sit dimensa. In quo, si rite proceditur, ipsa natura artificem admonet, quum progrediens per curvam pelvim caput descensu suo, post ascensu, forcipi incumbenti hanc ipsam prope directionem impertiatur, sicque prudentem medicum manuducat quasi.

Forceps, ubi nimium trahitur, aut perperam accumbit; item, si molli constat metallo; si nimis plana et angusta, seu alio vitio erronea est, nonnunquam caput subito deserit, cum obstetricantis culpa saepe. Verum etiam sponte et sensim fallit, sine errore operati. Quare ad praepediendum, ne excidat, solvere laminas oportet, post utramque referre.

Ligatis ante manubriis, ubi labor obstinat, et vivere foetum suspicio est, vinculum per vices laxari, ac mox superata difficultate tolli, vel certe ne quid constringi debet.

Ex omni ferme partu languido in partibus genitricis, item in cute foetus humor deficit; hinc non modo ad puerperii expeditionem, sed etiam ad alia proposita ingestis, quae molliant, tepidis ungere locos et lubricare pro-

ficit. Nimirum et hic probatur: *juvat raucedines oleum.*

Posteaquam caput usque descendit, ut extruso ac tenso perinaeo occiput prodire sub pube inchoet; tunc arte, nisi vitium pelvis in exitu habet, non ultra opus. Jam solvere forcipem, laminas demittere, sustentare carnem, tum reliqua opperiri a natura. Rebus vero compositis, ut etiamnum facere artem, opportunum vel necessarium videatur, in hoc propemodo ratio agendi sit, ut caput infantis cum forcipe tarde et per intervalla super mollitum unguine et prehensum digitis, iisque adductum perinaeum ita ex pelvi efferatur, quemadmodum a natura suevit. Cunctanter scilicet movendum occiput sub pube; ne menti tamen ante tempus a sterno recessus fiat. Postquam demum plagae capitis capillatae notabilis pars sub pube emersit; tum frons, super coccygis et ossis sacri inclinationem admodum progressa, (quoniam ex adverso nihil obstat, capitisque cum collo mobilis est junctura) simul ac occiput infra pubem totum egreditur, ita ferme ad curvam directa super perinaeo levari, eximi et aliquantum verti trahique in gyrum debet, ut in omni vulgari partu pleraque ad exemplum sponte fiunt. Quodsi prorsus inter subsidia artis natura officiose protegit, nec in omni opere quidquam, donec licet, sine illius invitatione, auspiciis, nixuumque assensu committitur; labor saepissime fortunam habet.

Ultima partus statione, postquam obstetri-

cans hucusque inflexis genubus navavit, corpore erecto agat. Nunc manubria instrumenti, item et laminae, ex quo caput sensim transmovetur, ad eam prope lineam verticalem reducantur, quam utraque primam ad immissionem tenebat.

Ut autem perinaeo (illi quippe in tali molestia nunquam non offensionis discrimen est) maxime caveatur, expedit inprimis, ut ferrum diligenter absumas, simul ac pro evolvendo capite haud ultra est necesse; quin imo, dum longius juvat agere, ultimum laboris idonee, cunctanter et per artis dumtaxat intercapedines perficiatur.

Circa perinaei tutamen in hac opera, ut in naturali partu, summa in hoc vertitur, ut praeter obstetricantis officia, pelvis ad exitum bene formata, ipsaque intervenia cutis tendi patiens sit. Unde varie consequitur, ut nonnunquam, partu per forcipem licet laboriosissime soluto, commissura quoque etiam labiorum illibata maneat; e diverso in aliis, naturali ac facillimo puerperio, laesionis nota nullatenus praevertatur. Modestus obstetricans uti priorem fortunam non inter merita computat, ita ob adversam haud semper est incuscandus. Fines denique sunt, quos ultra cutis nulla, neve viva seu mortua, impune tenditur. Nec ars partes aliter fabricat, ac natura fecit.

Evoluto capite, quod restat corpus, ad naturam committitur; neque in secundinis, donec nihil abnorme intercurrit, secus procurandum, ac si omnia incessissent ex solito.

Nunc ad finem commentationis aliqua subjungam, quae, quoniam ad omnem ferme partum referunt, his locis non videntur aliena. Ubicunque artem intercedere opus est, oportet, ut ea primo tentetur procuratio, quae commoda satis ac praeterquam, quod obtinendo fini congruat, simul exsequi opportuna, et prae reliquis sine metu et molestia sit, quatenus saltem ex perspicuis adversitatibus haud aperte elucet, mitiorem curam hoc casu esse ambiguam, et periculosam, vel adhiberi omnino non posse.

Inter cunctas artes, quae partum adjuvant mechanice, illa, quam forcipe exercemus, omnium facillima, et matri et infanti minime insidiosa est. Ubicunque igitur, imperante casu, aliquà saltem probabilitas adest, forcipem applicari eaque praestari opem posse; cum eadem ordiri, aequum et prudentissimum ages. Est enim certe, ut forceps etiamnum, ubi vix expectabatur, aliquando ad salutem faciat. Verum in hoc dubio intenta opera praedicari non nisi ceu mediocre experimentum, ideoque etiam non secus tractari, quam cum modestia debet. Quodsi posthac admotio instrumenti, aut illati usus non prosperat, ea saltem insit humanitas, ut tempeste a conatu abstineatur, priusquam exitium fecimus.

Postremo, ubi indignationes aliud capere auxilium, extemplo vetant, id reminiscere, impetrari post tempus subin quidpiam ipsissimo modo, quo paullum ante quivit nullatenus.

Equidem ne in ulla ministratione obstetri-

cia, quam diu perficienda sit, statum tempus praedices; sed minime in iis, quae geruntur forcipe. Hîc quippe convenit, ut maxime ad ductum parientis naturae consulamus. Universim cito factitandi pernicitas artem nostram parum ornat. Virtus potius in cunctando est; nam praeceps, ac viribus naturae incongrua, omnis agitatio caedes facit.

Interea explicata cognitione partum terminari hoc modo non posse, contra, omnem ultra contentionem matri praecipue in perniciem fore; sin labore non modo nihil profici visum, sed verendum etiam, ne ob prioris consilii pertinaciam aliud forte serius adoptandum frustra fiat, tentatum aliquando satis esto. Attamen, qui has naturae et rationis justissimas leges nondum agnoscant, turba *obstètricatorum* circuit. Isti parientes terribiliter angunt, donec valent, ipsumque ferrum durat. Tum commutata subin forcipe, postquam viribus ipsi languent, corpora aliorum substituunt. Tandem in exitu lethalis cruciamenti, aestimantes miseriam ex lateribus propriis magis, quam ad passiones genitricis et foetus, pudicitiam usque eximunt, ut, spreto utriusque adversus perniciem suam renisu, conjugata vi brutaque constantia, onus sese tandem, cum potenti forcipe, feliciter etiamnum exantlasse glorientur!

Haec Satyra in mortales est; vel extincta tota humanitas est! Quid dicamus de quodam *O****, vel dementiam, vel crimen? dum in partu ad forcipem alioquin non aptato, uteri ore, vi-

litatis instar, a primocunque ampliari sito, post intrusa ingenti forcipe, innumeris tractubus caput foetus gigantea fortitudine quassat, diffrangit, fractum extorquet et evellit, cum internecione utriusque, matre saltem mitiore arte servanda, multoque facilius. Iique ipsissimi obstetricantes amentiam suam, ceu legem artis, sanciunt.

Postquam igitur ex rebus praesentibus, earumque, quae antea contigere, memoria, item ex puerperae habitu et valitudine, illiusque, quod superandum restitat, aequo censu pensum et intellectum fuerit; ab irrito conatu primum opportunissime abstineri, mox prudens forcipem absumito; quo facto aegra amicabili suasu, ac nova lenita spe, ad suetum situm referenda est.

Evenit aliquando, ut morans in pelvi, arteque aliam ante in positionem et figuram actum caput, tametsi prius eximi ferro impatiens erat, post aliquod tempus non quidem natura expellatur sola; (id enim raro contingit) attamen vario rerum concursu modificetur, totaque calamitas fortunam subeat, ut, quod intenso licet molimini reluctabat, nova nunc tentatione facile superetur. Ita quandoque ex necessitate forcipem interposita vice (à deux tems) applicavi, partusque hoc modo in salutem matrum expedivi denuo.

Antequam igitur frustrato experimento in alia descendatur, si nihil imperiose urget, varias ob causas consultum habebis, forcipem decenti

moderatione reponere. Quodsi tamen ne nunc sine mora sequitur partus, aequum erit, omissa inutilitate parienti tandem, etiamque adstantibus parcere. Jam silentio, quae ad dirimendum cranium pertinent, in promptu sint; hoc quippe unicum, aptissimumque auxilium, saltem pro matre, superat.

DE
PARTU GEMELLORUM.

Mihi sic est usus: tibi ut opus est facto, face.

TERENT.

Ex solito naturae mulier unum modo infantem gignit; sunt tamen etiam partus aliquando, quibus ex simplici utero duo, trini vel amplius foetus prodeunt.

Creberrime gemellorum unius eoque magis trigeminûm haud par est, ac singuli, eadem caeterum maturitate editi, perfectio. Sed intercurrit varietas. Subin gemellorum uterque et forma et vigore sat valens conspicitur, ut unicus vix exsuperet. Verum tamen, quo plures una excluduntur, quoque longius absunt a maturitate, eo languens magis et pusillum corpus singulis, ideoque minor etiam vitae copia est.

Tali partu nonnisi unus plerumque alterve infans proditur vivus, extinctis reliquis.

Accidit quoque interdum, ut plures embriones aliquod tempus in utero vigeant formenturque, postea alteruter vivere desinat, alter ad maturitatem pergat. Quemadmodum super-

stes, ita etiam emortuus sine putredine in utero remanet, neu figura vel magnitudine, qualis in puncto mortis erat, multum decedit, praeterquam, quod a fratre vivo in planum comprimatur, dein cum hoc, tempore recto, ex matre emittendus; attonito medico, cui ejuscemodi novitas ad digitos advenit.

Sed ubique gemellorum incerta et ambigua signa sunt, ut nonnisi expulso uno sciatur, praesto alterum esse. Hinc docta praesagia illos modo ornant, qui subtilius provident; vir probus in re incerta conjecturas suas scrupulose aperit. Quidquid enim probabile quam maxime est, nedum tamen certum est. Aspicimus quotidie gravidas praeter modum ampliato ventre, cum tumore pedum, maculis lividis, varicibus, sentita insuper forti et frequente motione uteri, atqui unicum post eniti foetum; in aliis nihil simile vel parum obvenit, subsequis tamen gemellis.

In quo omnium minime decurrenti sulco in linea alba fidendum est. Quiscunque ex hoc capit suspicionem, uteri duplicem foeturam continentis modice perspectam structuram habet. Ventris ex latere utroque eminentia potius a flaccidis tegumentis et renitente multum linea alba venit, quam a binis foetubus, eorumque tunicis, quae cum copia amnios matricem in duplicem et interceptum quasi utrem pandant.

In omni gemellorum partu tractatio prope, ut in simplici, convenit. Soluto quippe uno infante,

fante, dum quodsi urgere alium probabilitas, post exploratione comprobatio habetur, parientis necessarii, dein et ipsa leniter praemonenda est, quia ex parte maxima alterum partum conniti moleste ferunt mulieres. Interea editus pullus, sueto more, utque prima petit curatio, tegitur ac fovetur.

Quodsi forsan ex graviditatis incessu, ex ipso parturitionis habitu et modo, tum rebus aliis, gemellorum adest suspicio, eo magis procul dubio ad exspectationem induces animum.

Atque probabiliter instant, dum edito partu uterus tractanti manui extus solito magis obnititur et extensus est. Dein ex habitu ipso foetus exclusi. Sed primum minus exercitatos crebro fallit, namque uterus crassior, seu parum adhuc in contractiones nisus, tum ingens etiam ex placenta, vel amnio et grumo sanguinis, congesta moles ventrem citra modum in ampliatione sustinet. Haud alias igitur, quam iterata cura, num novus liquor aut infans praesit, ad evidentiam venitur. Verum talia ne quidem edito foetu semper praesto sunt. Quapropter, si nihil jubet, ne festines. Evenit etiam, novam vesicae speciem subtendi, quin foetus subsit. Nati quippe tunicae, super orificium incumbendo, illud operiunt; tum collecti humores, nitendo in praetensum velamen, urgente inprimis dolore, istud adeo propellunt, ut novum quasi formetur amnion. Qua fallacia multi gemelli ab incautis et sciolis obstetricibus notificantur, qui longe exspectati nunquam pro-

deunt. Quidquod molae varia genera, si brevi post partum quidquam ad os uteri descendit, subin pro quodam membro alterius foetus habentur.

Ubi vero de alia foetura non dubitas, functione non dum finita, in ulterius prospice, quidquid ad parientis commoditatem et fotum ultra expedit, solita observatione procurans.

Secundus foetus, ubi ex situ descendere potest, nec in matre aliquid obstat, sine haesitatione deputari ad naturam debet.

Cave igitur, ne tunicas ad opus, ut praetexunt, accelerandum intempeste laceres, quidquod manu et brachio strenue ingestis, infantem ad pedes capias, protinusque evellas. Quae saevitia tantum in more est, ut ne nunc, eam inter primas regulas posuisse, taedeat magistros. Primo non est, ut foetus aufugiat; dein quis nescium habet, ne morbosas aquas ex paracenthesi continuo trahi, neque urinam per catheterem subito mitti e vesica?

Quidnam in causa, res tales apertissimas nondum ingenia obstetricantûm capere, ut saltem resciant, merito ad expellendum binos pullos longius uterum conniti, quam pariendo unum?

Interdum etiam secundi foetus tunicae, quia tenaces sunt, seu ob nisus inertiam diu continent. Tum studio lacerare eas consultum, et aliquando necessarium est. Ruptis namque dolores enixius urgere solent, et ocius succedere partus. Ne tamen in hoc nimium properes. Gemellorum quippe primo naturaliter enixo, dum

alter amnio jam nudus offenditur, imo vitiose incubat, non tamen congruens est, mox convertere in pedes, sed etiam tali casu indulgemus aliquamdiu, ut primo uterus quidquam in organicas contractiones redeat. Eaque nunc recte momenta prae omnibus opportuna sunt, queis maxime cum prudentia per artem agitur; quo facto, ductis nempe pedibus, ultro sine agitatione, industriam inter et naturam, commodandum munus est.

Quodsi autem, foetu ad pelvin male composito, sub versione alium sentias latere, vel ex rerum omni statu jam ante conjecturaveris; maximopere prospicito, ne secundi membrana sub arte laceretur. Sin postea traducto primo secundus idonee adjacet, nec prioris ducendi labor genitrici fuerat permolestus, neve alia afflictio emittere residuum sine mora jubet; satius plerumque instituitur, relinquere ad naturam, quam citra necessitatem et cum vehementia accelerare partum.

Sin raro exemplo gemellis natis etiamnum tertius, seu plures insunt foetus, agendi ratio componitur ad traditas normas. Interdum vero confusa alienitas est, ut opus sit, medicum in peculiari complicatione ad proprium extricare, quid agi, quidve omitti debeat. Quod enim in natura rarissimum obvenit, ad hoc in antecessum nec consilium stat, nec norma.

Sed nulla usque observata parturitio, qua plures quinis enixos fuisse, fidem habeat historia. Igitur quinorum numerus summus videtur

in utero humano. Sed mirabile! Quo in hacce scriptura perlegenda sum, repetitis novellis proximum prodigium eminet.

Oehlavii in Silesia Borussorum 11. *Decembr.* 1805. „Uxor hujatis caminorum purgatoris (Doerffer) priore jam anno, ceu rarum muliebris foecunditatis exemplar, denuo senos infantes, haud tamen vivos peperit. In universum quadraginta quatuor partus usque enixa est. Nimirum primo, quod 22 annos duraverat, matrimonio suo, 27 pueros et 3 puellas, nunc praesenti, tribus ante annis inito, 14 puellas, 3 scilicet prima, 5 secunda, tandem 6 ipsa hac ultima foetura. Caeterum mulier viribus satis valet, ut ante aliquas septimanas, intempesto tempore, quatuor milliaria Oehlavio Wratislaviam pedes fecerit." Quinam demum, qui possit esse, numerus foetuum hominis, uno partu edendorum, maximus?

Atque, si veram se probat narratio, quam caute de rebus judicemus, quae, licet non vulgo et in dies contingant, post mille tamen annos aliquando non intervenire non possunt? Quapropter potissimum est, circa pleraque animum habere in ambiguo. Rationi quippe potius congruit, absque evidentia nihil inficiari, quam recte scire, sine evidentia, sibi persuadere.

Jam pridem vulgaris mos est, funiculum primi nati substringere ex placenta etiam, quod omisso vinculo reliquum in utero foetum, ac matrem etiam perire credant ex sanquine. Haec parum constant; contrario vix posse, alii sa-

piunt. Sed habet forte exceptionem casus; certe per hanc partem chordae sanguis aliquando vere funditur. Quoniam igitur in simili partu ligatura sine noxa et molestia fit, omittendi causam parum perspicio. Aliter res in partû simplici; inque gemellorum foetu postremo habet.

Ubi scrupulose sciendum, quinam utrius foetus genitus primo sit; ut medicus et obstetrix in eo intendant, vel ex munere obligantur.

In eximendis, ni sponte prodeant, secundis, attrahi chorda primi infantis vulgo solet, arte interdum parum idonea. Quapropter mox abstinendum, et alter tentandus funis; in quo nihil properare consultissimum est. Vix unquam duobus funiculis simul trahito, quia secundinae in globum coguntur, tractum aegrius secuturae. Utricuique autem foetui propriam suam placentam esse, suaque velamenta, nemo alioquin dubitat. Equidem binae pluresve placentae tam arcte ut plurimum inter se cohaerent, ut in simplicem, et ad speciem, unam confluant; sed separari ac saepissime quidem, sine studio possunt, ita, ut quamque placentam subsistere, suamque habere chordam, manifestum fiat.

NOTITIAE

EX SCHOLA OBSTETRICIA.

A primo Januarii 1803 usque ad 31. Decembr. 1805 in Schola obstetricia 2398 partus contigere, quos inter agrypparum viginti unus, praemissis clunibus quadraginta septem, facie tredecim, gemellorum triginta cum uno erant.

Quinque labores versione; undecim ope forcipis peregimus; tribus vicibus perforatum cranium.

Summa natorum 2398.

Ex his praematuri et maturi, sed languide vivi; emortui, ac plerumque jam ex putredine lividi; item foetus immaturi et abortus, 177.

Puerperae obierunt 16.

Ex mulieribus, Anno 1803, novem febris scarlatina, hyeme late grassata, abstulit. Infestus maxime puerperis morbus erat, formata plerumque ad tertiam diem colluvie.

Sectis cadaveribus fauces, oesophagus, intestina cum peritonaeo, uterique solidum manifesta ejusdem ruboris vestigia exhibuere, qui ante in vita extus suffundebat corpus. Quonam morbum vocare nomine? inflammationis ma-

lignae? aut fluxae per omnem cutem echymoseos? aut repentae gangraenae? aut quo alio modo?

Caeterum, quia in rebus hoc spatio comprehensis nihil solemniter notari meretur, expedit, aliqua ex memorabilibus priorum temporum collocare, quatenus potissimum ad puerperas earumque morbos pertinent. Talis atque quidem verissima ostensio datis olim a me circa febrem puerperalem monitis novum pondus addet, turpesque denuo falsitates reprimet, quas impune spargi non solum in me posse, sed etiam contra Institutum mali quidam persuasum habent. Deinceps tristis historia pro scientiis publicoque commodo materiam continet, ut, longe parcens, atque nunc etiamnum repugnante animo, ultra tacere nequeam.

Quae quippe sequuntur observata, ex notatis sectionibus selegi, ut in nosocomii camera anatomica me coram, ac quadraginta pluribusque testibus evenerunt. Similia quaedam, ex curatis per me aegris, scripta exempla prioribus libris incuriose, qua forte cesserint, et sincere pridem exposui; propterea hoc loco talia modo tractantur, quae mihi perinde atque instituto scholae prorsus sunt aliena. Namque, quum illa tempestate in nosocomio, atque etiam foris, plures solito puerperae moriebantur; cum ob propriam mei, tum discipulorum eruditionem statueram, ut quotquot essent, sive ab valitudinario, sive ex urbe, adportata cadavera aperirem.

Narratae mox historiae sumptae e sexaginta et ultra sectis cadaveribus sunt, ututi lethata corpora acceperamus, ex nosocomio, vel passim ex suburbiis etiam.

Extispicia plerumque intra duodecimam et vigesimam horam à confirmata morte fecimus. Notationes absque opera mea, imo magnam partem me inscio conscripsit honestus *Schultesius*, eo tempore juvenum medicorum in schola solertissimus, nunc inter eruditos et professores insignis.

Idque verissimum, istaec in privatos usus conscripta nunquam ad typum praevisa, quaeque hîc ex parte pervulgamus, nunc extrusa quasi fuisse; simplicissima, incomptaque, qualia insonti ex manuscripto ad oculos monstrare parati sumus. Plura quidem exhibere pronum erat, sed abstinui: quod pleraque idem offerant. Talis quippe morborum similitudo fuit, quoad naturam suam, et cursum, et illatam necem.

I. Die 13. Decembr. 1794 senescens jam et cachectica puerpera obiit. Cujus aegritudo neque longa, nec quantum scio, dolens valde, neque notabilis quadam insolentia erat. Praesagita tamen gravis in abdomen transfusio, repertaque in secto corpore flavescens, ut solet, et obscure viridis, et mora in floccos coacta materia. Innatabant intestina fluido, circumcincta floccis, tinctaque praesertim in vicinia uteri rubore, et inflammata velut per erysipelas. Exstillati citra modum copia; neque tamen in mammis lac aberat.

Neve uterus ad tempus puerperii satis erat contractus, sed flaccidus, et justo crassior. Hinc inde ligamentorum et tubarum tunicis, et vulvae gangraenosis aliquantum labiis parva, glutinosa apostemata insedere. Uteri interna facies supra et adversum placentae propemodo pura; sed livuit circa os, pernicie ad tres lineas collum penetrante. Sana ovaria. Ubique accretus pleurae pulmo, caeterum, ut reliqua membra, naturalis.

II. Octavo Decembr. ex mortuis penes *Zeller* puerperis unam dissecuimus. Nec abdomen neque intestina phlegmonis aut colluviei signum praebuere. Verum suspecta facies uteri; illius quippe in toto, maxime in cervice, multas lineas alta corruptio fuit. Tubae Fallopii et ligamenta permulta puris tubercula tenuerunt, integris ovariis. In uberibus (quintus circiter post partum dies erat) lac remansit.

III. Tres aliquando simul intra illos dies repertae puerperae. Harum una in nosocomio ex cubilibus D. *Nord* jam erat dissecta. Levis in ea exstillationis et phlogoseos conspecta indicia sunt; flaccido, molli, et ad fundum satis incolumi utero, sed foedo illius ore. Superficiem internam ex rufo griseus ichor texit. Ista puerpera, ni fallor, febre scarlatina decubuit.

IV. In altero pariter jam scisso corpore uterus mollis, et viridi quasi colore erat. Plurimi parvi in membranis ejus abscessus. Pleraque sine ullo inflammationis vestigio.

V. Tertia ex *Z.* cubiculis foemina, secta

nunc primum et examinata a nobis, corruptissimum, viridi quidquam et bruneo colore uterum habuit; contractum quidem, uti duodecimum circa diem solet, sed foedum adeo, et putredine exsolutum, ut sub cultro et forcipula difflueret, linirique uti putrescens caseus posset. Lividus insuper tubarum et ovariorum color, et frequens in ligamentorum tela adipali abscessus. Ne quidquam inflammati, vel inter viscera delapsi humoris indicium.

Tres, quatuorve similes casus, quibus coram adesse non potui, alii viderunt.

VI. Die 4. Febr. 1795 puerpera ex suburbiis in nosocomium ferebatur; cui biduo post partum circa articulos purpurae apparebant. Mox vivere desiit, putrescente ad perniciem utero.

VII. Decimo die Martii moriebatur puerpera, quae, ut pleraeque aliae, penes nos defunctae, jam in doloribus advenerat. Difficulter enixa est, immisso foetu in angustam pelvim clunibus, qui praegressus ad umbilicum, quoniam chorda nihil pulsabat, pro extincto habebatur. Supervenit foetus collum stringens ex ore uteri spasmus. Longa mora est, antequam fomentis, opio, et similibus molliretur contractum. Neque nunc procedere caput; eoque pro forcipis usu posito nimis alte, jam prona ferme ad evacuandum cranium ars erat. Tum irruente valido nixu modicus pullus per naturam inopinato pellitur. Sequenti mane, novem post actum horas, vaginam gangraena cepit; aegraque vehementer sitim queritur, duro

et fortissimo pulsu. Detractae sanguinis decem unciae; haud omissis aliis contra inflammationem observationibus. Nec tamen moderatae passiones. Postero die rursus sanguinem mitti ea copia curavi. Tum, quia triduo substricta aegra erat, irrito omni clysmate congruens dabatur ex *aqua laxativa* potio. Sed incassum pleraque, in sequentem quoque diem praeclusa alvo. Aegra vomere medicinam, et tumefacto ventre dolere a levissimo tactu. Obiit die quarto post partum. *Sectio cadaveris.* Singula ventris membra, una cum inflammato peritonaeo, spuria membrana texit. Ingens etiam seri copia cum multis ex flavo viridi colore floccis intestinorum interstitia, et infima ventris occupavit. Similis ferme liquor exprimebatur quoque ex mammis. Quo certe casu inflammatio in visceribus aderat. Simul gravis labes contractum prope quidem, at nigra et putrida materia oblitum intus uterum tenuit, corrosa ferme illius cervice. Nec in sinistro ovario nullum damnum erat. Corpus paucas modo post mortem horas horribiliter foetuit.

VIII. Alii medici ipso illo tempore, eoque modo prehensae puerperae, alibi in nosocomio, quinquies venam depleverant. Moritur tertio die. *Sectio cadaveris.* Phlegmonis in visceribus neque significatio. Uteri interna facies tota corrupta, litaque putri, foeda et ex viridi nigra sanie, unde passim aliquas lineas viscus exesum erat. Extensa citra modum cystis fellea quinque et plus uncias bilis tenuit. In ubere aliquantum lactis.

IX. Die 16. Mart. secuimus cadaver puerperae. Consummata syphili laborans, partu excluso, febrire; tum mox circa articulos rubras maculas, aliasque habere indignationes. Ardens febris sine ulla remissione ad mortem duravit, cujus ante ingressum dolor ventris supervenerat. Cadaver quidquam destillati seri in ventre ostendit, innatantibus vulgo ex viridi flavis floccis. Intestina magnopere inflammata vestiit propria et tenuis spuria membrana; item peritonaeum.

Uteri intus in profundum duas prope lineas exesa caro hepatis colorem habuit. Ambo quoque corrupta ovaria. Serosum in mammis lac; sana vesica fellea.

X. Eodem hoc die alium puerperae putridum uterum conspeximus. Erat ex foeminis una, quae triginta in dies *crucigeros* in nosocomio solvunt, et deputatae curis *Z.* sunt. Colluvies ventrem explevit, cunctis prope uterum cellulosis cancellis flavo muco obsessis; juxta notabiles in utero trinas fistulas. Interna uteri superficies, sphacelo nigra, aliubi modo minus corrupta et livida fuit. Etiam in ovariis malitia; neque tamen vacuae mammae. Et istud etiam corpus stigmata *antiphlogisticae* tractationis praebuit, a secta aliquoties vena, et fomentis. Atqui sana tamen, albida et mollia fuerunt intestina.

XI. Die 17. Martii alia e *Z.* puerperis dissecta a nobis mortua, quam aliarum instar, ut per reliquias patuit, ex enteritide curaverat.

Ne tamen ulla levissima in toto ventre phlogosis. Erat quidem exstillati aliqua copia in ventre; erat etiam nonnihil ruboris ad intestina passim et peritonaeum; sed in carne integritas perstitit. Nunquam cum simili foeditate uterus in aspectum venit, neve obveniet forte alias. Internam superficiem ex fusco viridis tenax ichor operuit, qui prehendi et sustineri volsella poterat. Tota soliditas ad dimidium pollicis penetrata sphacelo, nigra, flava, viridis, omnique alio colorum genere variegata. Penitus corruptum uteri collum. Restitit adhuc lactis portio. Vesica fellea naturalis. Aegra convalescere credita, insedere in lecto coepit, potare velut sana, manducare, obambulare in cubili. Undecima die subito obit.

XII. Die 2. Aprilis. Ante quatuor et viginti dies mulier aliqua penes nos peperit, sueto modo, et cum facilitate. Salubre etiam puerperium, juxta intensam modice febrem lacteam. Alias ex sanissimis puerperis erat et moderatissima in tota domo, quam undecimo die post partum reliquit.

In Hospitio expositorum, quia tantum valere videbatur, inter nutrices recepta, ex more natis duobus ubera dedit. Qua cura undecim dies functa queri de dolore capitis et languore virium coepit. Mox transportata in nosocomium est. Subsequo die (post partum vigesimo et quarto) extinguitur. *Sectio cadaveris.* Notabilis in ventre concretae, partim dilutae, copia materiae, subviridis tamque acris, ut vellica-

ret, et bruneo colore tingeret digitos. Saniei etiam volatilissimus et infestus foetor. Quid mirum igitur, inflammata, et, sicut erysipelas, maligna rubedine offusa intestina fuisse? Non obstante exstillati copia, lactis in mammis turgor erat, ut exprimi ad multa cochlearia posset, probo candore, at limpidius, imo jam in mammis quasi discretum. Uterus in justa spatia coiverat, adeo tamen iners, ac putridus et resolutus, ut ne hamulo, quin laceraretur, nec volsella potuerit sustineri. Quidquod conteri se inter digitos facile patiens erat; intus omnino corruptus, per omnem ambitum ater, et ad multas lineas in ipso solido corrosus. Praeterea majoribus in venis nondum contracta lumina, item hinc inde parva apostemata erant. Latere dextro ovarium, itidem ex gangraena foedum, amplitudine ovum columbae aequabat.

XIII. Nono Aprilis ex plateis ad nosocomium in cubilia D. *Wuck* delata, ibique defuncta, post secta a nobis puerpera est. Febrem scarlatinam habuit, ex qua, quum convalescere visa, decessit. Quidpiam serosi lactis sub papilla; sanus omnino uterus; nullibi confluvium erat.

XIV. Die 13. Aprilis ignotae puerperae apertum cadaver. Et ista, quantum a fomenti pulvere et venarum punctura judicavimus, *antiphlogisticam* curam subiit. Erat etiam aliqua viscerum inflammatio, et contaminata leviter omenti pars in vicinia citra modum dilatati mollisque adeo et resoluti uteri, ut laceratu

aeque ac scissu facilis esset; pessimo simul colore tetro ac livido, ac si inhumatum jam aliquamdiu fuisset viscus. Nigrum quoque, et ex pútredine tumidum collum. Cavum uteri, sicut assolet, flavam saniem continuit. Soluta sphacelo ovaria. Lactis adhuc in mammis indicium est.

XV. Die 15. April. importatum ex suburbanis defunctae corpus aperiebatur. Etiam in hac puerpera ex memoratis signis a fomento et creberrima venaesectione vidimus, curam in *antiphlogisticis* fuisse. Interea exstispicium nihil minus, quam praegressam inflammationem declaravit. Ingens modo fusci seri colluvies cum paucis floccis in anfractubus intestini reperiebatur, crasso praeter naturam, caeterum salubri ferme utero. Et ovaria quidem sana, sed rubrae quidquam, velut injectis vasis, tubae erant. Flavi et crassioris lactis aliquid in mammis.

XVI. Vigesimo quinto Aprilis in camera jam dissectum cadaver puerperae offendimus. Aegra, finito in urbe partu, in nosocomium recipiebatur. Conspecta in abdomine et phlogoseos et congestionis vestigia. Uterus ad inhumandum cum caeteris rejectus, testante vespilione, vulgari modo putridus erat.

XVII. Eodem die aliud ex *Z.* puerperis exanimatum corpus aperuimus. Vidimus multas cicatrices ex recenti venaesectione, relictos herbarum pulveres super abdomen et exustam per fomenti ardores cutem. Post, patefacto cor-

pore, aliqua ex ventre copia seri manat. Nihil caeterum inflammati; flaccida et pallida verius, quaeque subtus jacent, aliquantum injecta sanguine intestina fuere. Praeterea laxus ultra solitum et mollis, et immaniter expansus uterus interne fusco ichore et strato ex putrida decidua tegebatur. Ad sinistrum angulum jam quidquam arrosa etiam soliditas est. Ovariis et tubis integra sanitas. Lactis in ubere copia.

XVIII. Die 26. April. Ante quatuor dies male nutrita et senescens mulier partum deposuit. Ex plateis in nosocomium advena, prehensa dudum doloribus erat, febriens, ac livida et flavis maculis foeda facie. Secundum naturam, nec gravis labor erat, prole invalida ac gracili, more septimestris. Postero dicit, melius esse sibi, quam per totam graviditatem, nec quid aliud incusat praeter dolores, post partum aliquando solitos. Sed proximo die auctus dolor et constans erat, cum pulsu febrili, aestu corporis, siti, et anxietate. Curatio decocto molliente, enematibus, et fomentis inchoabatur; at doloris in abdomine altero die idem furor est, accedente palpitatione cordis et suffocandi metu. Quibus passionibus affixa sedentariae operae, utque vitam viliter exegit, juxta longam arthritidem, jam prius vexari singula fere septimana suevit. Datae ex infuso chamomillae solutionis castorei guttae, et injecta cum opio clysmata sunt, quibus, quod inde levari se diceret, quarto die continuabatur. Circa meridiem repente passionum reditus,

ditus, et inter convulsiones mors. *Sectio cadaveris.* Inflammata, et a membranaceis ex colluvie concretis laciniis in globum colligata intestina. Collectus ipse liquor viridi ferme colore, et consistens instar puris fuit. Equidem non multum corruptus uterus, neque, ut plurimum consuescit, tam foeda illius intus facies; at cervix tamen ex stagnante in cellulosa flavo glutine ac humore ingenter tumida et deformis erat. Cernebamus etiam circa fundum uteri exigua quaedam, ciceris magnitudine, puris tubercula. Ovaria, tubae, et ligamenta valde distenta collecto sanguine turgebant. Dextrum ovarium, adeo exesum, ut nihil ferme relinqueretur a solido, vim sani et laudabilis puris includebat. Erat etiamnum lac in mammis.

Haec multa narravimus. Sin igitur accidit, ut in urbe, sive regione quadam, eoque in tempore, plures solito morbi grassentur; sin illa tempestate intra duos tresve menses plures quoque gravidae et puerperae decumbunt, moriunturque, quam alias totidem intra annos; porro, dum idem morbus eadem ratione, eoque semper ipsis ex cadaveribus conspicuo manifestissimoque modo necem infert; potestne disceptari ultra, ne epidemicum vel populare malum sit? Deinceps, nonne a medicinae exordiis arti summum hocce maximumque proponitur, ut quidquid corpori corruptum vitaeque inimicum inest, quocunque abigatur modo, praesertim, quod inter vitam mortemque dirimit. Quae quidem

satis intellecta suppono, ut non solum omnem medicum, sed neque, dum homo est, nec bruta mente, quemque alium fugiant. Aut fortassis nova tantum sunt, et insolentia, ut ignorare nullus pudor sit? *Leake* in *observationibus circa febrem puerperarum* sequentia notat:

„Hyeme anni 1746 dirus epidemici genii morbus in puerperas saeviit*). Incessit fluxa alvo, subsequis mox doloribus ventris. Lochia non ex ordine; abdomen durum, tensum, et dolens valde. Supervenit capitis dolor et per vices tussitatio. Tertio, vel quarto a parturitione die, turgentes nunc plerumque mammae mox vacuae et flaccidae fieri; deinceps quinto aut septimo die secuta mors est."

„Solutae in nosocomiis partu pauperes maxime succubuerunt, tantaque, praesertim Cal. Februarii, hujus morbi malignitas et epidemica strages erat, ut inter aegras viginti vix una evaderet. Sectis cadaveribus coactum lac, quod ajunt, intestinis adhaesit, serique lactis copia in abdomine, in quibusdam etiam pauxillum in pectore erat. *Ventriculus*, *intestina* et *uterus* inflammata; in non paucis morbosa, et partim suppurata ovaria conspiciebantur."

„Quam perniciem ex *vitiata quadam uteri affectione* ortum duxisse, probabile est; quapropter etiam cum morbo, quem mihi nunc describendum sumsi, haud debet confundi."

---

*) A. Acad. scient ann. 1746 pag. 160.

Atqui quam multa alia sunt, quae peculiares puerperis febres, proprias epidemias endemiasque, item singulares uteri indignationes, et corruptelas esse, manifestissime ostendunt. Sed coeco lucem demonstramus, quae valentes visu alioqui ferit. Verum tamen compertissimam rem explanamus uberius, quum certus quidam, medicum se ostentans, quin sit, morbum a nobis primo descriptum unquam exstitisse abneget *), tametsi idem morbus in puerperis, quas ipse habebat in curatione, instituta ad foeminarum numeros comparatione, multo majorem in suis stragem, quam in puerperis nostris fecerat. Sed postquam in suo instituto sine reluctatione ac rubore mortes celaverat, eo facilius quoque et necessario occulit morbos, eorumque officiosus fit defensor, mites omnino et tractabiles praedicans. Audiebat certe passim, mori suas puerperas; sed incurius unde, conquievit, in credita a se enteritide, depletam ipsis venam et probe expurgata viscera esse. Neque miramur, quum palam sit, quod a viginti annis ne unam sibi in puerperio mortuam per anatomen indagaverit. Sed dissecuere alii, illasque mortuas ipsas, quae sub sua cura peribant. Ab hinc pervulgata notissima pernicies et medicastri inscientia et improbitas est.

Verum non me lacessit solum, sed ferit etiam et imbecilles habet medicos pariter omnes, qui-

*) *Sim. Zeller*, in Princ. A. obst. germ. sc. 1806.

cunque febrem puerperarum unquam observavere modo, vel scripsere de illa. Quid igitur hominis barbarus iste tonsor, qui totam medendi scientiam radicitus exscindit? Neque, dum in sapientiam confidas suam, talis morbus exstitit unquam. Quidquod nomen ipsum febris puerperalis ridet, et odit absurdum et frivolum sibi. Sed quisnam, sodes, mollis affectus et insons rapuit suas puerperas? Quare apertas neces cum dolo inhumare, si puri sumus? Caeterum, quonam in angulo, quaque sordida scheda alius sua falsimonia excudat, parum curo. Verum in tam quotidianis et rebus notissimis si quis mendax praerupta fronte est; quaenam erit confusio, obscuratio, et horror in aliis patratis, quae ad morbos in universum et ad curas et mortes occultius pertinent?

Quid si nunquam adeo foedis, adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supersint.

JUVENAL.

LIBER SEPTIMUS.

PRAEFATIO.

Ultimum hoc est commentationum mearum volumen; non ob materiae penuriam, sed quod consultius puto, ut scriptorem prius scribendi, quam lectorem legendi satias teneat.

Inde nova quasi exsurgit rei obstetriciae doctrina: fragmenta saltem insunt, haud absque labore, nec levi impendio a me collecta. Non enim vero falsas opiniones convellisse, novasque condere, sed facta et judicia disponere, immutabilem naturae cursum et aberrationes, quas dicimus, non in quibusdam paucis, sed in centum et mille exemplis contemplari, perscrutari et enotare, labor erat.

Intempestivum in praesentia opus. Ubi vero, quod insolens est, aliquando apparuit opportune? Quae recti nova species vulgo placuit? Interim utiliter omne inventum, spreto obice, simplicis et veri vetusta via tacite incedit, atque ita forsan cum tempore aequa posteritas, jactis nunc fundamentis, hoc quoque inter accepta perfectura opus est.

Sed postquam etiam, qua procul distat, magis ad perfectionem salubris ars pervenerit,

ne tamen semper ac ubique opitulabitur. Pergit nimirum producendo ac destruendo, aequis vicibus, natura, et sanitati proinde atque morbis mortalium, positi fines sunt, quos ultra nec corpus, neque animus unquam pertinget; atque optima hercle fortuna: quum pleraque hominum acri sapientia ac pertinacia jam pridem conturbata versaque in confusum forent.

In quibusdam solum casubus, iisque perpaucis, concessum arti, adeoque etiam obstetriciae est, naturam, sin ex offensa aberrat, propemodo reducere ad vias, quas ipsa, ubi nihil obstat, protinus incedit ex se; vel tametsi declinatur, dum ars modo nec perperam nec intempestive interveniat, remotis impedimentis sponte regreditur. In universum, si quondam in obstetricia, ut in reliqua omni medicina, recte perspexerimus, quid omitti debeat, ne ipso morbo gravior sit medicatio, tum demum sentiemus, ubi ac quonam more aggredi morbos consultum vel necesse sit. Verum tamen antiquum hoc desiderium est, donec discretae disciplinae: medicina, chirurgia, arsque obstetricia non velut rami ex eadem stipite prodeunt, sed quaevis misera separatim trahitur; donec illarum communia praecepta ceu gentilitia totidem pacta inter contradictiones ex cathedra resonant, dum technicae institutiones tanquam somnia, sine experimentis, sine exemplis per annos recitantur, brevissima per aliquas septimanas, imo nulla ad aegros demonstratione. Quousque tandem, numerata acade-

mica mercede, sed gustata vix arte primis labris, incontinenter in vivo hominis agitandi haud aliter, ac in brutorum siccatis pellibus obtineri privilegium est!

At praeter illas gravissimas impeditiones mollior et ad simplicitatem nobilitata ars diu adhuc minus desiderata et accepta erit, quam vetus exercitii ruditas et confusio; idque propter illos ipsos, qui salubri opera potissimum indigent. Namque animi candor, providum consilium, simplex tractatio, integra scientia sine strepitu et pompa, ignorata plurimum et ingrata recedunt; placet inprimis audacia, placet clamosa sapientiae jactitatio; hanc homines anquirunt, admirantur; hujus stragibus praemia ferunt.

Hoc quidem singulare est; sed non minus mirificum et iniquum est de medico vel obstetricio judicium, si forte absque illius culpa puerperium fatalem exitum habet. Vix unquam pariens vel puerpera moritur, quin, qui medebantur, in vituperium veniant, quasi vero in haec ipsissima muliebris vitae fluxa momenta nullum morbo mortique esset imperium. Quotquot partubus ex arte felicitas fuerit, id natura fecit, Deus providit. Ex adverso, ubi inter parientes puerperasve una obit, mox obstetrix, vel obstetricans criminatur, medicus suspicitur; aequa interim utrique purgatione, ut hic forte curam partus, ille febris gerens, alius culpam in alium referat.

Ne tamen ex mentis imbecillitate verius,

quam ex maligno animo procedentes insectationes nos ab intento subveniendi ubique, ut judicamus optimum, retardent aliquando. Pauper et procera, nobilis et plebeja, aequalem a nobis curam, sollicitudinem et clementiam vindicat. Magna quippe generis humani foret infelicitas, si medicus etiam et obstetricans de lucrando pane saepius importuniusque admonerentur.

Me quod attinet, si fortasse continuatis multos annos laboribus ad incrementa artis et universam curam mulierum nonnihil contuli, neque commentationes istae omni utilitate vacent, confido, ut seri etiam posteri me servandis matribus prolibusque scripsisse sentiant. Jucundissimum mihi, et unicum, nec invisum tamen praemium et hocce!

Ex Instituto technico obstetricio. M. Februarii 1807.

DE
HAEMORRHAGIA
UTERI GRAVIDI.

Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum et mandari et scribi potest; tale consilium non solum absentibus, sed etiam posteris datur. Illud alterum, quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit, cum rebus ipsis deliberandum est.

SENECA.

CAPUT PRIMUM.

Generalia.

In gravidis menstruum solito cessare, vulgaris notitia est. In aliquibus tamen per aliquot periodos repetit; ac licet tum meatu, aut aliter aliquantum declinet, est tamen saepe, ut initio vix satis pateat, utrum menstrualis, an morbosus sanguis sit.

Attamen novisse hoc discrimen multum refert. Quodsi enim graviditas subest, ac sanguis per naturales vias et menstruus decedit, intempeste et violenter cohibere, periculosum foret. Quando autem ex morbo fluit, incuria simul aut perperam curata aegra, frequentis-

sime abortus sequitur, aptissima quandoque observatione haud praevertendus.

Ut igitur profluvii genus et prosapia cum aliqua veri similitudine dignoscatur, oportet ante omnia speculari, num sanguis consueto tempore et modo quoad copiam, indolem, et alias mutationes prodeat; numque afflictio sine praegressa occasione, aut forte ex manifesta offensa oriatur.

Mulier ubi non primum gerit utero, sin priori graviditate menstruari desiit, vix manationem sine errore censeas. Interim res nondum extra dubitationem est; quapropter, si neque copia profluvii, nec aliud periculum urget, cauta diagnosis et prudens haesitatio sit. Namque licet in illas pactiones curate respectes, raro tamen perfecta exin cognitio advenit, impetranda per explorationem genitalis modo.

Menstruum sanguinem extra graviditatem maxima parte certe provenire ex ipso utero, frequens inspectio docuit; ne vero ex arteriis vel venis, vel ex utrisque scaturiat simpliciter, vel medio texturae, nondum finitum est; levi interim ad usum incommodo.

Neque amplius scitur, quemadmodum res cum menstruo in gravidis habeat. Tametsi enim vix aperiatur, quatenus ex cavo uteri sanguis veniat, non tamen rem ad impossibilia referas. Ego saltem exempla habeo, ubi juxta quartum praegnationis mensem, longa mora et ad plures libras effuso, et in grumos

coacto sanguine, aegris jam proximis morti, haud per abortum, sed praegressa licet horribili jactura, postea stato tempore egestus a natura foetus est. Quare igitur aliquae unciae tanto facilius naturaliter et sine noxa nequeant stillare? Tunicae *Hunteri* praesentia, et orta inde glutinosa, quae primis mensibus collum uteri obstruit, materia, simili affectioni haud strenue adversatur; certa modificatione res imo explicationem admittit.

Uti vero eventus rerum pertinaciter finimus, doctrina videlicet aspectui et inceptis nostris placida, ita quidem in gravidis menstruum venire ex uteri cavo infitiantur; attamen quia negare res vetat, etiam in praegnantibus haud cessare interdum, sanguinem hoc casu supra ex vagina et extus ab uteri infimo segmento derivare, perfacile est. Sed non probata est strenua alternatio ista; quum veri haud absimile sit, ejusmodi quidquam vel in non gravidis contingere aliquando. Manans statis epochis ex illis partibus haemorrhois, saltem ceu abnormis valitudo, neutiquam ad raritates pertinet. Unde varia dubitatione in re tam mutabili prima cognitio premitur, ipsa saepius exploratione haud dirimenda. Digitum certe vel manum tinctam cruore retrahes; num vero ex uteri ostio sanguis commeet, nec ne, atque nisi adinstar rivi procidat, ne morbida illius vel sana manatio sit, hoc quidem, solertissima genitalis rerumque assectantium inquisitione, vix illico erit conficiendum. Quapropter in tali

nutatione summa consilii in hoc volvitur, ut rebus cunctis inter se comparatis moderamine utamur, et affectui, ut ambiguus ipse est, ambiguam quoque opponamus curam. Eaque certe insons ratio est; fluxus quippe, quamdiu nihil portendit, ne heroica etiam opus auxiliatione habet. Ubi vero casus urget, vel in pejus nutat, etsi ab origine affectio ad naturam menstrui accesserit; nequaquam porro ita est habenda, sed morbum constituit, qui tractationem aptam eamque propriam desiderat.

Equidem in omni haemorrhagia prima et perpetua indicatio est, fluxum compescere; sed oportuisset, regulam ita scribere: Stringite sanguinem, quemadmodum in calamitate molliter, de reliquo ad passiones ac praecipue illarum ad consequentias fieri opportunissime potest. Simplex praeceptum et evidentissimum; attamen in obstetriciis et medicis casubus, vel in chirurgicis, quoties contra offenditur?

Ex dictis liquet, in haemorrhagiis gravidarum simul procurandum esse, ut fluxus eo subsidio arceatur, quod pro conservatione foetus in utero recte ad maturitatem usque proficuum, vel omnium minime nocens sit. In qua duplici indicatione manendum, quousque indignatio concesserit.

Ut autem profluvii ex gravido utero minus obscura scientia sit, juvat primo fabricam et naturam partium cum diligentia respicere, deinceps comminisci, quo modo secundae et velamenta foetus utero agglutinentur. De quibus

licet in tractatu *de Valitudine gravidarum* ample collocaverim, attamen sine aspecta saepius natura vix impetrabitur, ut duntaxat quatenus ad primos usus, perpensa eadem et intellecta habeantur.

Quare perpetuo necessarium est, scrutari cadavera, et inquirere morbos; alias nemo quispiam nec doctus per experimenta medicus erit, neque habilis obstetricans. Nihilominus permulti callere se omnia ex auditu et lectione autumantes, talia etiam, quae sine exercitatione sensus ne dignoscuntur, neve cogitari queunt, contueri et contrectare vili pendunt.

Donec viscera matris cum partibus, quae graviditatem sistunt, et nexus eorum et reciproca communio illibata sunt, ut inter se nihil separetur, haemorrhagia, qualis hic tractatur, vix locum habet. Quin tamen affectum pure ad mechanicam fingas, aut velis explicare. Pleraque enim, quoniam partes vitam habent, et animali constant organismo, ortum et exitum profluvii, praesertim ex utero, aliter modificant, ac simplici aestimatione ad physicam nobis imaginamur. Ita duos casus memini, ubi ex pleno utero, cujus labia et cervix a longo tempore *scirrhosa*, et indubie ex cancro erosa jam erant, (unde quoque intra graviditatem, atque ante, graves et lethales paene haemorrhagiae oriebantur) paucis post insultus hosce hebdomadis, citra omnem exspectationem partus naturalis nec molestus, quodque majus est, sine omni profluvio, prodiit, praeterquam,

ut in puerpera solens ex natura est. Tum quatuor sexve a partu septimanis, iidem dolores cum jactura rediere; morbo nunc celerius currente, ac funesto exitu, qualem carcinoma communem habet. Quid potissimum hic mirari? Mulierem simili valitudine citra casum sanguinis concepisse, vel sine haemorrhagia parturire?

Universae corporaturae, aut singuli membri vel laxitas, vel rigor, item vitiosa infantis, quaeque attinent, partium ad uterum relatio; morbosus in genitali, seu in aliis membris stimulus; commissi in rebus, ut ajunt, non naturalibus errores; fortes affectus animi; calor, susceptum frigus; vehemens vel lenis etiam, at insuetus corporis motus; universales, praesertim cum gravi febre decurrentes morbi; topicae in utero, illiusque confiniis vitiositates; in excretionibus turbatio, illarum praecipue, quae per viscera urinalia, item ex intestinis fiunt; illatae deforis injuriae; immodica et rustica venus; fastidium, etiamque ex parvis, ad haemorrhagias causam praebent. Praeterea certis mortalibus infelix opportunitas in profluvia ex natura inest, cujus causam et indolem licet nesciamus, pro certo tamen habetur, ubi pronitas haec abest, a violentissimis quandoque offensis nihil concitari sanguinis; e diverso, illa praesente, a minima interdum occasione fieri discrimen. Multum etiam a genere vitae et consuetudine regitur, ut in gravidis saltatricibus et in aliis foeminis, quae scenae ser-

viunt, sed ante omnia ex vulgo cernimus, quae ab usu difficillimos labores innoxie moliuntur et peragunt. Attamen observatio exceptionem habet.

Nostro nunc aevo creberrime ceu haemorrhagiarum causa, quae in universo habitu sit, debilitas inculpatur. Profecto, omnis jactura majore damno ac frequentius exiles corporaturas infestat, in iisque gravius decurrit, ac persanatur, quam in aliis robusta compage. Neque tamen negamus, haemorrhagiam sine aperta extranea causa passim et in gravidas incidere, quas nec universali, nec topica, sive *directa* debilitate sive *indirecta* dices laborare. Verum rarius istis esse profluvium, id probatur.

Universim, quo pejus nutrita, vel ex natura vel humanis vitiis defecta, gravida languet, eo proclivior erit in haemorrhagias, eo difficilius curatur; eoque magis in tractatione ab omni re, quae debilitat, oportet abstinere. Quidquod, etiamsi alias vegeta et succi plenissima sit aegra, postquam cruoris aliquam jacturam passa est, brevi citiusque plurimum, quam multi medici opinantur, id faciendum, ut stimulis, et roborantibus remediis, recte sustentata servetur. Nimirum nauseosa ac lymphans stomachum, ex limonio vel amygdalis, parata potatio, uti, revulsionis praetexta causa, ex adverso loco instituta venaesectio, tum porrecta simul deorsum purgantia miseram conficiunt omnino. Heus! quae singularis mortali de vita et sanguine suo adscita idea est?

Possunt quidem foeminae in omni gestationis stadio haemorrhagia pati; sed saepissime ea inter secundum mensem et tertium affligit. Tardius, nisi ex errore deforis concitatur, plerumque septimo vel octavo incidit.

Interim profluvia, quae non a gravi occasione extus irruunt, ad finem foeturae rarius, quam principio observantur, id quod probabiliter ab exilitate partium, a consuetudine menstrui, et quibusdam rebus extraneis, praesertim ab immodico usu amoris, provenit.

Quo maturius haemorrhagia in graviditate infestat, eo minus plerumque discrimen pro matre habet, vasis quippe, quam tardius, etiamnum magis angustatis. Hoc tamen incommodi est, similes jacturas mechanicam opem et subsidia deforis aegrius admittere, quam qui ultimo stadio infestant fluxus. Interea rarissimum est, primo praegnationis tempore haemorrhagia perire foeminas, tametsi aliquando satis in periculum adigantur, et lethaliter infirmentur ferme. Alioqui mulierum sexus, propriis praecipue affectionibus, absque pari damno majus, quam viri, ex sanguine dispendium sustinent.

Verum tamen non ex ipso solum fluxu princeps et omne periculum computes; sed patientis simul, et temporis, quo sanguis stillat, instituenda ratio est. Quo enim brevius intra spatium certa copia defluit, eo major increscit metus; ac facto jamjam notabili dispendio, carens in vasis nobilibus, vel perstes, unica una drachma plus dirimit, quam ab initio casus

aliquot

aliquot ferme librae. Multum quoque interest, num afflicta ob sanguinem ea felici constitutione utatur, ut profusius aliquanto flumen pati sine summa mox offensa potis sit. Quod beneficium haudquaquam ad robur corporis et forinsecus torosam fabricam ubique et generatim commetitor. Tenuissimi homines magnam saepe profusionem aequabiliter ferunt, quum valentissimus copia multo minore interdum enervetur, et concidat. Ex toto paucissimae, quae moriuntur in haemorrhagia foeminae, ex haemorrhagia moriuntur. Verum, quia difficile est finitu, quantumnam cruoris aegra, et intra quod tempus impune perdat, quum porro, quo parcius est dispendium, eo minus quoque damnosum sit; hinc tota in observatione maxime respiciendum, ut tempesta quidem, verum tamen nunc et inposterum accomoda medicatio fiat. Praeceps namque et vehemens agendi modus majus subin damnum movet, quam cunctans aliquantum, vel mediocris alias procuratio.

Recensemus nunc, quales in viscere, unde sanguis fluit, principaliter mutationes ex alieno fiant. Atqui primum id potest esse, ut separatio quaedam placentae accidat, antequam salubris in reliquo uterus ex natura contrahatur. Vel etiam uterus ipse a laesione soliditatis patitur. Ad primam affectionem placenta sive in utero residens est, quin illius cervicem attingat; sive huic ex centro varia plaga et tenacitate inhaeret, ut os tegat quasi. Est demum

etiam, ut uterus solus, vel illius vagina, vel utraque lacessita cruorem fundant. In quibus omnibus simplex et eadem valet indicatio: Substringere sanguinem. Verum multa et varia ad hoc adminicula, et diversa positione, speciatim accomodanda remedia sunt.

CAPUT SECUNDUM.

Tractatio haemorrhagiae, praesertim a discreta placenta.

Nullum dubium est, quin casus haemorrhagiae primis gestationis septimanis rarius multo accideret, nisi numerus mulierum duris laboribus (ita homines gravidas suas liberalius, quam gestantia utero sua bruta onerant); partim miseria; partim per absurditates mollitiae; item ex abolito morum efficio, materni amorisque sensu, ipsaemet nova in se organica stamina cum dispersu illius sanguinis vastarent, in quem natura foetui aeque ac ipsi genitrici immutabile impertita jus est. O tempora, o mores! Certe, si ulla unquam, haec tristis consideratio amaram hanc reprehensionem merito extorquet. Eo namque ventum est, ut invitare certa damna sanguinis plus lucri et honoris adferat, quam ipsa in cavendo et curando industria.

Nocturnus occurram Furor —
Et inquietis assidens praecordiis
Pavore somnos auferam.

HORAT.

Sed nostrûm est, ut rem ad meliora ordiamur. Primum igitur dicimus, quas in gravidarum vitae moderationem docti indoctique statuerunt leges, ad commenta cummaxime essé conformatas, quae de sanitate et morbis eorumque cura passim dies tulerat. Nemo alioqui tam fatuus est, ut huic scientiae se non parem aestimet. In quo insuper alia furit pernicies, quod foeminae, tametsi plerasque in valitudinem observationes haud scrupulose sequantur, attamen, si quando obtemperant, mala, molestaque, dum praestigiosa modo, praecepta magis curae habeant, quam sana, sed vitio simplicis ac veri prava consilia.

Gerens utero assueta sibi vita propemodum perstet; caveat in victu ab erroribus, item ab extraneis offensis, ac donec valens est, a medico perinde et medicina. En summam regiminis! Verum exactissima licet vitae norma, non tamen secura a periculo haemorrhagiae omnis gravida est, vel quod abdita in corpore ad morbum pronitas sit, vel hac inprimis dudum praesente, noxa veniat forinsecus.

Prima vice gravidae, juvenes praesertim et molliter educatae, profluviis et abortui maxime sunt obnoxiae, quin ob eam causam de salubri et numerosa progenie confestim desperetur.

Ubi rebus praeteritis ac praesentibus, quoad tentari praesertim tactu possunt, recte constat, sanguinis fluxum esse ex morbo, tum, antequam subsidii genus finitur, excitantis causae totiusque corporaturae ineunda ratio est.

Animi tranquillitas, corporis quies, cubatio in lecto, amictus levior, cum caloris extus moderamine, generales in tractanda omni haemorrhagia necessitates sunt. Attamen, donec aegra haud vehementer periclitatur, oportet, etiam in remediorum delectu et applicatione aliqua modestia uti, ne praepostere fiat medicatio.

Olim credidere, ac nunc etiamnum multis opinio est, ad frigefactandum ebulliens sanquen, ejusque deplendam copiam (haec quidem fluxus putabatur occasio) aptius nihil esse, quam macerrimo victu et aqua, et multa venaesectione, vires frangere, post molem cruoris minuere et derivare purgantibus.

Ex quo vero ortus et natura morborum aliter cogitari coepta est, haemorrhagiarum quoque causam proximam a debilitate repetunt medici, omnemque curam inexorabiles a roborantibus simpliciter et stimulantibus inchoant. Quarum artium neutram indiscrete comprobo; namque etiam hîc tutissimum medio itur. Mistus potus ex aqua cum tertia parte vini; nutriens cibus palato aegrae acceptus, facili digestione, justaque copia et temperie, optimum est, quod assumendum praebeas.

Sed princeps curationis punctum in omnibus, cummaxime, uteri haemorrhagiis, aptis extus praestitis auxiliis nititur. Multi equidem, qui mente continuo super scriptos mortali fines vagantur, manualem operam in hac miseria despiciunt, vel ad summum pro fortuita

accessione habent. Quae certe pulcerrima lectu, et suavissima dici ab cathedra, sed frivola ad aegrorum lectos sunt. Vera namque ex locis haemorrhagia tam parum intus soli medicinae paret, quam laesa magna vena claudi se opio aut *naphta* sinit. Externum quippe idoneum emolumentum, cum assumpto recte pharmaco per os, principale ac totum in substringendo sanguine uteri est. Utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget, ut alterutro carere nefas sit; in quo tamen providendum, ut circa quaedam agenda delicatius observetur, ac vulgo consuescit.

Qui enim vero in curandis haemorrhagiis a sola materia ordiuntur, quin simul ad carnis vitalitatem spectent, jam ex principio suppositi errant; quemadmodum etiam, qui continuo vim vitae urgent, ne cogitare videntur, hominum animantiumque corpora non solum vita constare et animo, sed carnibus et sanguine etiam, ideoque communibus itidem parere legibus, queis moderatur et regitur materia.

Frigus, quod elapso tempore ceu roborans in haemorrhagiis subsidium non nimis extolli poterat, nostris diebus sollicite vituperatur, quum illud in praesentia ex natura debilitare dicant. Attamen animali ritu debilitari roborarique, et physice adstringi vel relaxari, res diversissima est. Haud quippe alia, nisi modica, ac per naturam vivido corpori adtributa temperies organico et animali modo roborat, servatque; e diverso quivis praeter naturam au-

ctus vel imminutus calor, ni mutationem vel defectum, quem patiebatur animal, fortassis supplet, seu corrigit, non influere diu in corpus potest, quin nocens fiat, ideoque animali more infirmet. Vehemens frigus dum ceu chirurgicum auxilium ad compescenda profluvia adhibemus, non id intendimus, ut corporatura, quasi reficiente potentia, exhilaretur, ut potius in membris mechanica vi firmitas aliqua et rigor fiat. Idque eo praestari certum est. Quare oportet, quum in afflictu valentius desit, in hoc solatio acquiescere, praesertim, quoniam probabile est, chemicas sanguinis ipsas constituentes partes per frigus condensari nonnihil coagularique.

Attamen scientia haec modificationes habet. Qui enim a frigido apparatu suo abstrahi sibi necquidquam sinunt, vix reputant, frigus in animalia non tam mechanice, ac in res alias agitare, dumque ad haemorrhagias additur, non aliter, quam per insultus et in tractatis tantum locis utiliter se praestare. Sub qua ministratione simul intus sustentare vires, et corporaturam animali fovere ritu, nunquam omittito.

Unde cunctis, quae frigus tenent, ac praesertim fomentis, ita est utendum, ut per vices, membroque, unde sanguis ruit, quam proxime adplicentur. Ne tamen reliquum corpus eidem exponas vehementiae, madefactis linteis frigidissima aqua, velut glaciali balneo, opprimendo, vel miseram ex lecto nudam et in pa-

vimenta stratam, plenis alveis superfundas. Quae amentissima brutaque conata multis mulieribus, quin ob modicum profluvium, bonam valitudinem, membrorum mobilitatem et usum, et permultis vitam ipsam sustulerunt.

Rarae sunt uteri haemorrhagiae, quas non ab ingressu aut brevi post in genitali aut locis vicinis dolores comitentur, quorum causam et indolem diligenter exquirito. Ipsi enim fortasse vel concivere haemorrhagiam, illamque protrahunt, vel per accidens una incedunt, vel adversus tanquam auxilia superveniunt. Atque in priori discrimine leniendus, ac si potest fieri, abigendus dolor est; in altero, nisi debito tempore et benigne invadit, excitare eum et sustinere, et convertere in ipsam curam oportet, perdita inprimis reservandi foetus in utero fiducia.

In haemorrhagiis, ad primos menses, non facile liquet, amnion disruptum, an integrum, vel quonam modo disposita omnis offensio sit. Hinc pleraque, quae ex utero secedunt, ac praesertim coagula sanguinis, solerter excuti debent, ut appareat, num forte exilis foetus, placenta, sive membranacea quaedam lacinia, seu molam referens quoddam concrementum, aliquando etiam mucosa illa *deciduae* quasi pars, quae primo graviditatis stadio in collum uteri descendit, illudque replet, una exiverit, nec ne; item, quid etiamnum concludatur. Hinc quippe ratio et modus subveniendi ultra probabilis fit. Tum quodsi aliquando uterque, ma-

ter et infans in utero, longius consistere simul cum vita nequeunt, illumque natura haud expellit, exciri nisus, et paratio fieri ad proliciendum debet. Donec igitur aquae nondum effluxere, quodsi profecta graviditate tractari digito possunt, rumpere velamenta decet; quae res, digito ad tunicam minus pertingente, obtuso, quod proxime ad manus erit, quovis specillo facile expeditur. Quo propior caeterum maturitati foetus est, eo minus in acceleratione partus licet haesitare. Attamen, ubi nihil urget, nequid suscipias.

Defluxo amnio uterus plurimum ex organismo contrahi aptus fit. Ita enim nixus invitantur, nuncque, nisi ipsa in carne visceris aut illius animalitate labes subsit, uberius resultant cum efficacia. Placenta, tum grumosa et lymphatica portio sanguinis, totidem quasi sistunt obturamenta, quibus non raro haemorrhagia minuitur, omnisque cessat.

Fluxo humore, ubi foetum recte compositum invenis, decrescente simul periculo, laborem in naturam deputa, quin tamen ad necessitatem providere negligas. Verum depleto amnio et contractionis segnitia juxta priorem curam abdomen et uterum leniter perfricato. Sed incerti creberrime ominis est, ubi defluxo amnio vera in organo vis vitalis non confestim sese atque sine invitatione prodit.

Donec reclusus liquor est, uterus, praeter tenuia quaedam super chorion cruoris strata, sanguini vix locum dabit. Delapsis vero aquis

ingens copia vitalis fluidi intus potest colligi. Hinc res diligenter curanda, ne praeceps discrimen fiat. Modicum enim sanguinis, praesertim coagulati, illiusque inprimis concreta lympha, impune in utero esse, quin stringendo fluxui opitulari, videtur. Atque quo certiores simus, ne sanguis cum noxa intus coeat, necesse est, turgorem et amplitudinem uteri per vices leniter experiri, tum ad pulsum et vires aegrae et ad faciem respicere, et omnem habitum, nec tuto confidere, quod nihil effluat, quodve manat, aquosus latex sit. Inde verius internae haemorrhagiae suspicionem capies, quia destillans humor, sin seri recta ex sanguine indolem habet, certissima indicia praebet, sanguen ex rubra parte concrevisse, et in utero et in pelvi haerere in coagulis.

Profecto, si ea solum signa curemus, quae de internis haemorrhagiis magistri adnotant, et secundando cunctamur, donec tristes illae significationes apparuerint: ingens nempe uteri expansio a collecto sanguine; ardoris in ventre sensus; indifferens in misera ad omnia animus, nec pessima ad speciem valitudo; tunc saepenumero, quidquid tentabis, tarde paratur medicina, necque diutius praepedienda mors erit.

Ruptis tunicis, si fluxus procedit, nec adeo minuitur, ut casus ultra sine metu sit, (raro enim, quod neque conduceret, ex toto et repente cessat) tum saepissime, quemcunque situm tenet, foetus eximendi necessitas incidit.

Verum graviditate, dimidium periodi nondum emensa, infantem nullatenus ex utero duces manu; mitioribus cum internis tum extus administratis auxiliis ad dura nunquam perveni. Curata quippe natura semper et satis opportune ipsa opitulabatur. Interim, corpore fortassis, quod relinqui intus sine noxa nequit, ex ore satis prominente, ut in vagina attingatur, tentare oportet, num se traduci manu vel instrumento sinat; quo casu simplex ad polypos idonea forceps commodissime adhibetur, foetus sit, seu species molae, vel quidquam aliud, quod debeat eximi. Facilius utique, minus maturo, gestatus jam super medium infans manu solvitur; attamen etiam in hoc labor, quidquod pro matre discrimen est, praesertim, ubi, foetu infra menses septem, pedes cum obstinatione quaeris, eumque ad tibias extrahis, uti cum maturis ac praematuris consuevit.

In omni conversione, ut jam alio loco tradidi, in illaque praecipue, quae ob haemorrhagiam instituitur, infans leniter et sensim est traducendus, quo uterus in se coire opportunus fiat. Nihilosegnius obstetricantes, foetu excluso, subito etiam secundas evellunt, atque uterum modico omni coagulo impigre expurgant, inepta intentione, ut pars aptius se contrahere, eoque sanguis substringi queat. Sed malo exitu plurimum; his quippe in calamitatibus ante omnia refert, ne praepostera medicina, supervacuo affrictu ventris, et of-

fensa loci, profluvium revocetur. Prudenti sub observatione potius opperitor, quid prorsus agendum forte sit, omittendumve.

Sed in omni casu, praesertim si de foetu in matre ultra servando cogitari nequit, omnium optissimum est, exsurgere nixus; qui, nisi sponte proveniant, congruenter, quin ex industria, advocentur.

Caeterum licet ineptissima sit doctrina, evacuandi in omni profluvio uteri protinus; occurrunt tamen exempla, quae, prodito foetu, eximi placentam imperiose jubent. Sunt equidem, qui tale conatum ubique reprehendant; istis scilicet largam vel pertinacem haemorrhagiam tractare nunquam accidit. Obstetricans, dum cuncta administrari incassum cernit, dum *una eademque via sanguisque animusque sequuntur;* anne adeo excors et inhumanus erit, ut operam recuset, ne ideo negligendam, quod periculosissima profluvia post exsolutionem placentae saltem cum fortuna cessaverint interdum?

Omne sanguinis grave profluvium, si quidquam durat, demum non inferre mortem non potest, ut aliquando impetus arti ad interveniendum neque moram sinat. Attamen in haemorrhagiis, quales saepissime incidunt, ita obvenit, ut fluxus copia et praecipitatione se remittat, quin satis cesset, ne fiat lethalis: secundis in utero etiamnum morantibus, sive natura sive forinseco auxilio dudum excretis. Qua dubitatione fluxum aspicis minui; nec aliter potest. Vel per intervalla omnis desinit;

tum denuo secedere quidquam, alternante discrimine, ut tandem, quod extus meat, serum multo magis, quam fluidus vel coagulatus cruor sit. His sub insidiis uterus quidem compactus, sed, quam oportet, rigidior, et durus tangitur; tum relaxatur, ut illum, quasi in ventre absit, manu vix percipias. Atque tales vicissitudines aliquamdiu per tempus habet. Interea coaguli in genitalibus, cum mortis subito metu, horribilis moles et cumulus fit.

Qua miseria placentam, si quidem adhuc inest, plurimum a carne uteri nondum perfecte separatam scito: ob energiae quippe defectum in inferiori praesertim segmento segnius secernitur; atqui, donec vitiose haeret, haemorrhagiae nullus est finis.

Nunc tenax particula cum cautione solvi debet. Obstetricans, aegra, quousque potest, pristino situ relicta, manum inter cruoris in pelvi collectos grumos, quin inepto more illos sub palma dementer ejiciat, per os uteri juxta tunicas et discretos secundarum margines ad partem usque fixam ducit, eamque duobus tribusve ultimis digitis leniter distringit, remanentes passim floccos incurie habens. Nec absque singulari causa retrahat manum, priusquam placenta propemodo prehensa et omnis extrahi una possit. Quo sub labore quamprimum uterus opportune se contrahere occipit, salutis laetior spes est; atque, si unquam mechanicum irritamen hac in re valet, sub moderatissima etiam eductione stimuli probabiliter abunde erit.

Inter alia conamina nuper etiam hoc legimus: inducta manu posterior uteri paries satis opprimitur, ut, descendentis retro aortae velut suffocatione, sanguis irruere in uterum per subditos ramos praepediatur. Ecce nova alia procul aegris excogitata instructio! quam circa candidus afferam, quae duobus periculis sum expertus. Ubi nempe uterus modice crassus et contractus est, compressio arteriae, etiam si fieri possit, inefficax, ac ne quidem necessaria est. At flaccido et amplo viscere, ut manus robur in arteriam penetret, mors alioqui fores pulsat, ex uteri *paresi* scilicet, cujus haemorrhagia solum consequentia est, ut, nisi apoplexiam loci sustuleris, aegra occidat, sanguis fluat, nec ne. Id saltem compertum in praesens ego habeo.

Alius quidam aëra in uterum ex sulphure et vitriolo jubet immitti. Utinam quodvis parientis cubile chemica officina, omnisque lectus ad physica experimenta idoneus apparatus esset!

Equidem etiam, donec placenta intus latet, propemodo in uterum utilis injectio est, unde genitali ad contractionem stimulato, sanguis simul in coagula eat. Sed hujus auxilii, item ad illius indolem, parati clysmatis procuratio quam maxime desideratur, dum, emissis licet secundinis, metus haud cito satis ad confidentiam redit.

Facile caeterum intelligitur, haemorrhagia ad hoc tempus eamque profusionem profecta, vitam mox ex paucissimis guttis agi. Cunctis

igitur subsidiis cum externis, tum internis, quibus fluxum recta vel internexa ope coërcere intentum erat, frustra adhibitis, hoc unum restat, ut tandem mechanico labore id consequaris, quod intrinsecus ex virtute organismi aliisque potentiis nondum impetrabile fuit.

Inter caetera ex hoc proposito solita commendari unum vulgare absurdissimumque est. Femora et brachia circumduci vinculo jubent, ne per oppressas venas sanguis redeat, sed praeclusus in membris in corporatura contineatur. O sanam mentem! Sufficitne, quo vivamus, inesse brachiis pedibusque sanguen? Parca alioqui ad corpus vitali particula, si reliquum in membris substringitur, nonne tanto citius ad cor refluet nihil? Concedimus et descendimus, excissum recens cor ranae sine sanguine quidem ac solo forinsecus stimulo aliquamdiu in contractiones cieri; at falsa tamen est argumentatio, in homine etiam officia cordis sine omni influente sanguine, illiusque saltem, quae ad vitam exilissimam pertinet, parte minima consistere, perficique. Quare per stoliditatem illam deliquiis animi ac nervorum distensione mors necessario acceleratur.

Nec plus utilitatis in profluvio hoc ab imposita cucurbitula in ventrem speres. Solummodo in levibus iisque cummaxime, quae citra foeturam infestant, haemorrhagiis, ubi afflictio a vitiosa in certis membris irritabilitate forsan, vel, quae non tam mechanicae sint, causis aliis procedit, iisve stipatur, talis medicatio subinde ad salutem confert.

Tum etiam medicamenta, quae *alterantia* dicimus, quaeque movent vomitum, refracta dosi, *Digitalem purpuream*, et similia tentare convenit. Ast in profusis gravidarum et parientium haemorrhagiis ludicra ista et inania cuncta sunt.

Permulti medici, interno aluminis et aliorum *stipticorum* usui singulariter fidunt; quae quidem laesis venis proxime applicata, ostia constringunt, sanguinem quodammodo coagulant, adeoque compescendae haemorrhagiae certe idonea sunt. At quanam, sodes, virtute alumen et vitriola intus ad stomachum, hinc delata ad intestina, flumen sanguinis infringent ex utero? Nonne potius tunicas et vasa in organis illis stringendo, talia medicamina effluxum in remota parte exacerbabunt? Vel opperietur quispiam, fore, ut eadem ex ventriculo, qualia cruda sunt, venas et arterias ingrediantur, sanguinem ibi coire cogant, vel vasorum ipsa ad lumina vehantur? Objiciunt: his ipsis rebus saepissime cessit profluvium. Videlicet sine iis, datoque alio forte pharmaco, aeque cessavisset. Non enim omne, quod fit post adhibitam medicinam, etiam quoque per medicinam fit. Unum nonnisi ab concesso intus alumine effectum noscito, huncque solum: pertinaces inde ad stomachum, et in aliis vicinis partibus, easque non raro insanabiles obstructiones relinqui membraque indurari. Simile damnum omne etiam, quod fortiter constringit, ac simplex quidem frigida aqua habet in non gravidis, dum in affectubus genitalium his

membris intempeste et citra modum applicatur. Quotidie nova mihi notitia advenit, plurimos et uteri et vaginae afflictus, nunc frequentissimos, (uti scirrhus est, carcinoma, et malignus fluor) et alia ejus notae insanabilia mala, exitiosae procurationis illius consequentia esse. De quo quidem aegrae ipsae, ex recta percontatione et ad rationem cogitato sensu damni ejusque originis, adeo sunt confirmatae, ut prius ad iracundiam eas quam ad persuasionem moveris, morbum suum aliunde, quam ex commisso tali errore proficisci.

Alius et ex quorundam consilio magis securus haemorrhagiam coërcendi is modus est: quo vagina multis aceto et frigida aqua imbutis laciniis ita refercitur, ut sanguini haud ultra exitus pateat, quique retro confluit, in grumos cogatur. Utique, ne foris effluat, liquor hac arte subigitur; parum autem praevertes, ne in utero ipso, et subtus inter illius sectionem, ipsumque obturamentum omnis forte, qui in corpore superest, desideat et coaguletur humor. Nullibi tamen subsidium, nisi ex chirurgia, capis, idque solum juvat in his haemorrhagiis, quo, dum oportet, uterum ipsum tractare velut externum membrum potes. Cui operi vulgare nostrum inferendis turundis accommodatum instrumentum cummaxime congruit. Illius filis alligantur flocci, ea magnitudine, ut facile intrent os uteri, quorum totidem, ac opus est, stiptico interstrati pulvere, per delatum in uterum fistulam seorsus introducuntur. Circumacto

ante

ante circa abdomen longo manteli, aut alio linteo, ab adstantibus in utrumque aegrae latus servis, quarum utraque linteum ex ora moderate attrahit, abdomen et uterum tantisper constringi et contineri jubemus, atque propemodum sustinendo par est. Constrictio enim, ubi est fortissima, neque saepe, nec tempestive laxatur, animi gravationem inducit cum deliquio, unde metus lethalis spasmi necessario increscit. Nihilominus haec optima hucusque atque unica cura est, in ancipiti casu, ubi vita et mors occurrunt sibi. Similiter nempe, ac vena, spargens sanguinem ex artu, stringitur, ita ferme opprimitur, obturaturque uterus. Atque nisi ante humoris ad vitam necessarii nimia jam facta jactura, nec omnis prope vis vitalis in organo exstincta est, morbida subin evadit. Qua felicitate, ubi vita debetur obturamento, natura elapsis aliquot diebus, puris in genitali cocta specie, turundas extrudit ipsa. In omni eventu iisdem egerendis haud properare, quam intempestive ordiri, prudentius est.

Qualiscunque vero auxiliationis modus et ratio fuerit, quamprimum discrimen vere cessat, acquiescere in eo oportet, ut aegra tranquille habeat. Praeterea ab omni re abstinendum, unde rursus concitetur fluxio. Noscimus de reliquo, quid ad sistendam haemorrhagiam in vasis moliatur natura. Patens quippe vena nonnihil per se coarctatur; reliquum luminis naturale obturamentum explet, quod sanguinis, ex quo defluit, cum rubedine phlogoseos ipsa

lympha format. Ad id vero justa mora, et forinsecus varia fortuna, decumbentis quiete, et insigni praesertim prudentia medici opus est.

Ex quo autem in externis adminiculis versabere, quibus indubitanter in omni profluvio notabili suprema vis est, ne rectam quoque curam ex accedente usu internorum negligas. Inter caetera, ubi primum succurrendum viribus est, tinctura cinnamomi cum alcohole, hocque aromate toto nihil reperi praestantius. Quod si quando deficit, alius cujusvis aromatis et vini praesertim, et temperati alcoholis usui insistito.

Sed ad subitam et momentariam vis vitalis elationem, inprimis ad praecavenda, quousque potest, deliquia, quae, si proprie a defectu sanguinis oriuntur, confestim convulsiones ac mortem adsciscunt, generosum vini acetum nihil odoramenti antecellit aliud.

Demum calamitate ad meliora composita diligenter cave, ne exhaustam quocunque modo, vel ne medicina conturbes, unde nausea excitetur vomitusve, qui divexans alioqui, in nova et ultima pericula agit.

Quamprimum frigida aqua, nix aut glacies opem praestiterunt, ab iis abstinere, omne humidum moderate tollere, e contrario sensim fovere, et reducere aegrotanti calorem naturae competit; alias, quod subsidia illa attulere commodi, denuo pessumdatur, ut tam in acutos morbos quam in longinquos pronum corpus fiat, ipsaque haemorrhagia gravius recrudescat.

Videbis etiam fluxus, in quibus injectiones et fomenta frigida, tum quae caetera debilitant, nihil prosint. Ita saepissime in foeminis accidit tenui, infirmata et consumpta aerumnis forma; manifesto argumento, deforis inductas utero contractiones ad sanguinem cum constantia stringendum minime sufficere, sed necessarium esse, ut intus ac propria vi coeat viscus, qua agitante vix unquam sanguis abunde fluit, ne solutis intempeste secundis quidem, vel lacessito aliquantum utero etiam. Ubi vero, ut consuevit, intrinseca virtus deest, idque sine omni cognita causa deforis, aut aliqua notabili opportunitate; tum enim vero praeceps aliquando tantaque irruit haemorrhagia, ut misera celerius exinanita pereat, quam modo potuerit subveniri. Quo casu remissio uteri nullatenus a profuso sanguine venit; ut multo magis profusio ab utero ex spiritus mortifera inertia procedat. Quae funesta in puerperis resolutio, ubi penitus contingit, vix impetrabis, ut extinctam virtutem quibuscunque irritamentis revoces, vel electricitate, illave, quae a *Galvanio* dicitur, vel alia quadam cognita hucusque vi suppleas. In simili miseria consultius ab omni, quod frigus habet, abstinetur; vel brevi certe amovendum est. Calida, sicca et aromatica, in alcohole soluta camphora, sin aegra odorem fert, vel spiritu vini impraegnata fomenta, tinctura cinnamomi cum opio, volatiles stimuli, hoc conflictu juxta reliqua ex chirurgia petita, unice ad salutem superant.

Aliquando partu salubriter et citra omnem metum transacto, vel ubi quidem haemorrhagia infestabat, hac feliciter curata, intra puerperii primos dies sanguinis cum fluidi tum coagulati praeter morem et improviso magna copia ex naturali pellitur, praegressis ut plurimum aut sociatis doloribus. Cujus indignationis varia causa et occasio est: Latens major grumus in sensili ex injuria, aut debilitato utero; illius vitiata contractio; retenta et difficulter abscedens particula secundarum, aut molae species; tandem varii cum ipsius loci tum universales spasmi. Raro casu laesio etiam alicubi in vulva subest.

Donec nihil in utero celatur, quod per artem debeat educi, aut opportune possit, caetera procuratio secundum traditas in hoc opere generales regulas instituenda est. Persaepe cum utilitate volatiles stimulos et roborantia cum opio, et deforis calida, sicca fomenta cum camphora ministrabis. Interdum, perstante in locis praesertim spasmo et dolore, nihil nobilius est molliente cataplasmate. Sed oportet etiam, totum constitutionis respectare, quum in omni tali aegrotatione discrimen sit, ne puerperam perniciosa febris irruat.

Nunc, quae hic forte oporteret subjungere, pauca alia monita, ea ultro collocabimus commemoratis ante praeceptis, quae ad haemorrhagias attinent, ab insedente ori placenta ortas, vel ab ipsa laesione uteri.

CAPUT TERTIUM.

De Haemorrhagiis ex Laesione, et praevia placenta.

Quemadmodum in caeteris rebus natura interdum a consueto declinat, ita etiam evenit, ut secundinae ad inferius segmentum et ostium uteri magis minusve ex centro haereant. Unde quidem primis mensibus non multum incommodi, nec varietatis etiam manifestum indicium est; quamprimum vero infima sectio, demum cervix uteri ipsumque os dilatari inchoat; praesertim si ampliatio velociter fit et cum vehementia, non potest non esse, quin nexus inter placentam et uterum desinat. Tum pro re nata et vario discrimine necessario sequitur haemorrhagia.

Quare non miramur, circa finem praegnationis, ac procul saepe ingressu nixuum, per vices decedere sanguinem; affectu interea, dum aegra modo solita procuratione ad quietem componitur, per aliquam moram inhibendo.

Demum, invadente nixu fortiore, dum labia uterique cervix properantius dilatantur, pro mutabilitate doloris et affectionum, ac praesertim, quo secundinae propius medio resident super os uteri, ingens plerumque haemorrhagia oritur.

Diffuso satis orificio, ut explorationi locus sit, placenta, ac retro illam quandoque nitens amnion percipitur, cum vel sine membro foetus quodam. Atque ubi ea centro suo os uteri

non attingit, erit interdum, ut orificio nonnihil ampliato, juxta marginem partis avulsae, nuda se membrana amnios digito praebeat. Attamen si exigua est soluta plaga, si corpus alioqui ex compactura, et laudabili cruore valet, nec quid aliud in parturitione infensius affligit, fluxus cessat aliquando: tensa quippe velamenta, et appulsus retro infans contra pelvim secundam opprimunt, quo fit, ut summo licet cum metu, attamen, quin lethalis fiat, partus a natura exsolvatur. Sed talis exitus in antecessum et certa cum scientia nec praedici nec exspectari potest.

Quamprimum ergo os uteri promovendo foetui non obstat, oportet placentam, nisi jam alicubi a margine oris sit delapsa, in quapiam pelvis regione, ac retro, ubicunque ad tunicas facillimus accessus erit, illata manu caute separare, tum ruptis tunicis infantem solito traducere.

Contingit vero, ut ad periculum non advocemur, priusquam placenta ex ambitu oris firmiter adhaerens, tantum extenuata et protrusa sit, ut, quod retro amnion est, quasi tunica videatur, vel, si parum inest liquoris, foetusque cum capite aut clunibus in pelvim alte descendit, partes illas instar vittae tegat. Quam prope interea advenerit mors, admonere non est opus. Verum, ubi forte fortuna (id enim interdum accidit) haemorrhagia ob lapsas vires sponte cessavit, partu caeterum progrediente; in re incerta utilissimum est, ut atten-

datur, quid ultra in novo periculo sit moliendum. Quae observatio, si non expedire videatur, oportet, placentam aliqua plaga absolvere digitis, rumpere tunicas, ac nisi ipsa natura satis movet, partum ita perficere, quemadmodum compositio foetus et rerum complexus inprimis commendat et postulat; sed de hoc jam alibi traditum est. Praeterea caveto, ne sub opitulatione manum, vel forcipem, ac restitante clune obtusum uncum, vel quodcunque aliud instrumentum praetortis secundis superponas.

Mihi saltem hisce in periculis nunquam opus fuit, ut evoluto foetu confestim manu eximerem secundas; eae quippe jam intra curationem aut brevi post suapte natura succedebant. Re vero aliter conversa, dumque pertinacius instat damnum, ab excipiendo placentam arte caveri demum nequit. Quo facto reliqua secundum generales normas ultra disponito, donec vita aut mors vicerit.

Quae intus in genitali graves laesiones insequi solet haemorrhagia, a malo provenit, ex se periculoso magis, celeriusque lethali, quam, quod ab eo nequit abesse, ipsum profluvium.

> *Cum vulva percussa est, dolor in inquinibus et coxis et feminibus est; sanguinis pars per vulnus, pars per naturale descendit: vomitus bilis insequitur, quaedam obmutescunt, quaedam mente labuntur; quaedam sui compotes, nervorum oculorumque dolore urgeri se confitentur; morientesque eadem, quae corde vulnerato, patiuntur.*
>
> CELS.

Atqui eo pejor et lethifera illico, sive aliquantum post, vulneratio est fundens vim sanguinis, quave cruor, tametsi modice fluat, in propinquas partes vel ipsum in ventrem commeat, unde nec educi, nec resorberi aptus, tanquam corpus alienum corrumpitur, et infectis membris ex toto inducit necrosin.

Etiam hoc inter gravia pericula est, ut sine quapiam deforis offensa, in omni partus momento, rumpi uterus suapte natura possit, levis labor sit, difficilisve, naturaque eum, seu ars mansuete ruditerve, secundum indicationem, vel contra, perficiat. Frequentius quidem malum a ruditate et fera tractatione irruit: ab nixuum intemperato incitatu et violenta elaboratione, a nimia mora, dum opus subsidio est; vel ab impetuosa et praepostere admota manu vel instrumento, ac praesertim, si pariens in sella angitur. Verum etiam praeter istos errores, incolumi licet usque functione, nec culpanda quidquam cura, puerperae et ministrantibus ne ad momentum securitas ab infortunio est.

In haemorrhagiis, quae ex ruptura uteri vel vaginae fiunt, damna, quae laesio per se infert, citius plerumque occurrunt sensubus, quam sanguis ex genitali ipse. Subita, intercisa velut remissio nixus, praeceps ruina virium, pallor faciei et aspectus mutatio; sensus ac terroris ex afflicta in adstantes usque diffusio; dumque amplum est vulnus, ut infans illiusve quoddam membrum in ventrem commigret, horum per tactum ipsa perceptio, prius saepe pro notitia

afficiunt, quam largus adeo fluxus, ut illum a tanta miseria reputaveris statim.

Quodsi ruptura in utero fit, foetu in margine pelvis moveri etiamnum apto, quumque is ex integro vel quadam sui parte per fissuram erit retrogressus; nova exploratione magnum sane status praesentis a priori discrimen senties. Aliter vero, si foetus, antequam ruptura contigit, capite vel clunibus, profunde et arctius aliquanto in pelvi haeserat; non enim nunc ex toto descendit in abdomen, quodque ex vulva sanguis foras fluit, paucus saepe est, ut vix de periculo moneat.

Foetus sive per naturales sive paratas vias subita extractio hac in trepidatione primum ex more proponitur, agiturque. Quod siquidem per meatus naturae et sola immissione manus potest impetrari, vix cunctatio fiat; pauca namque momenta, ut casus me docuit, fortunam dirimunt. Verum cautius oportet versari, ubi quaestio de eximendo foetu per sectionem est. Rectissima, ut videtur mihi, Anglorum objectio est, certas mulieres, quae in tali fato sibimet ipsis relinquebantur, una cum exanimi in ventre foetu per longum tempus exegisse vitam; ex adverso ne unicum haberi parientis firmum exemplar, quae delapso in abdomen partu et facta mox caesarea vulneratione superstes aliquos modo dies fuerit. Ac profecto inter specimina est, naturam multos post annos emortuis ita foetubus, quos nulla industria salutariter ex corpore sustulisset, singulares aperuisse vias.

Talia monemus, ne in simili anxietate consilium praepostere ad violenta dirigas, praetexta maxime prole, tametsi experimenta perpetuo monstrent, eodem temporis puncto, quo destructio in genitrice inchoat, modo vix comprehensibili exstinqui vitam infantis quoque. Propterea in omni afflictione consultissimum foret, ut obstetricantes, antequam gravius conentur quidpiam, fines muneris sui scrupulose et cum corde colligerent. Ut enim ars strictissime limitata est, et incerta, et ipso usu mediocriter ad medendum efficax; ita absoluta, immensa et perpetua et certissima in perimendo natura est. Ars igitur, quandoquidem, conclamata re, nihil longius in salutem valet, ne tamen in miserae desperationem dolorum mortisque sese amicam praestet. Utque explicate dicam; nisi maturus infans mox ab illapsu in abdomen, et in ipso faciundae sectionis momento vivere se prodat luculentissime, ne periturae matri ventrem scindito. Quod enim hac ipsa hora, voto praesertim non impetrato, indignationem, atque horrorem movet, id, quanquam haud felicius, tamen cum decentia fieri et humane tardius poterit.

Frequentissime haemorrhagia, a laeso utero, non tam saeva et praeceps est, quam opinareris forte. Donec enim viscus post rupturam, qua se contrahat, intus vim habet, ad temperandum fluxum ea exsurgit utilitas, ne repente saltem et lethalis laesio per se fiat. Interea, quid in abdomen sanguinis cadit, eoque colli-

gitur, satis semper est, ut cum vulnere, quodque amplius effluit, post aliquos dies mortem consciscat.

Nunc, quae porro in hac miseria agenda vel interdum omittenda verius sint, haec quidem ex scientia chirurgi accipiuntur. Reliqua observanda passim memorata habentur in libris prioribus.

Sed praeter dicta vulnera uterus etiamnum periculo alius rupturae subjacet. In illius nimirum compage, atque passim in vagina etiam ex parte, lacerationis species obvenit, de qua auctores, quantum comminiscor, nullibi perscribunt. Vitium tale est, ut peritonaeum, quaeque illas partes investit, cellulosa tunica, non simul cum carne uteri rumpatur, sed quasi saccum efformet, quo sanguis ex lacerato membro partim considet, partim in propinqua diffunditur, more echymoseos. Quo casu parum saepe, ac foetu nondum enixo, nihil cruoris ex vulva profluit. Attamen complexus passionum insolens quidquam incidisse monstrat. Sed quis definiet? Ipse ille, cui haud primo obest, nonnihil suspicabitur modo. Partus namque ex natura plurimum nec moleste pergit; sed aliquando etiam manu finitur vel forcipe. Tum certe fortunam obstetricantis perpetuo miseror; actum est de vita puerperae, non tam ex vi erronei sanguinis, quam subsequa corruptione. Quodsi tamen cruoris haud multum est, aliquando resorptio fit; secus aegra necessario occidit paucos intra dies. Postea cadaver ne aperitur, ape-

riturve. Sin ultimum, inexspectata prodeunt, ut neque Dii obstetricium contra incusationes, ob laesionem puerperae se causam mortis esse, tutum servent. Attamen casus scribere indicia, perdifficile est. Interdum cognitio tractatione manus impetratur. Tum quidem non tam ad curationem doctrina, quam ad periculi et proximae mortis notitiam facit. Sed etiam istud, licet non tam ad perfectionem artis pro salute, attamen ad amplitudinem pertinet scientiae.

Quocunque de genere profluvium fuerit, (ex sola nempe vagina lethales interdum haemorrhagias oriri, in quarto libro monui) quaque artis opera vel naturae cessaverit; sanguinis licet imo praeter fluxum nulla notabilis in aegra vitiatio obtineat, nondum tamen tuta omnia et peracta putes. Quae enim haemorrhagiam aliquando solent insequi, pejora saepe dispendio ipso sunt.

Tum quoque foeminis, praesertim debilibus et malo habitu, ex haemorrhagia, imo propter incongruam medicationem, persaepe prima occasio ambiguae phlogoseos advenit, quae inducta gangraena, item posita sanie, ceu species peculiaris febris puerperarum necem infert. Aliquando etiam ob nimiam exinanitionem et infirmitatem nihil simile oritur; tum vero misera ex *ceneangia* et vitalitatis resolutione sub typo febris continuae ocyus obit, semel vel bis horribili ante perculsa frigore. Quapropter necesse est, substricto tametsi sanguine, quam curatissime aegram fovere in lecto, do-

nec incerti dies feliciter transacti sint. Ac tardius etiamnum, licet primo ab injuria tempore nihil offenderit, oportet tamen, convalescentiam prorsus percurare cum observantia, ut certior sis, ne ad graves vel saltem longinquos morbos pronitas maneat. Atqui omnis convalescentia optime, ac solum fere, procedit proficitque ex victu. Cuncta alia, quae propius medicamenta dicimus, mea experientia, hac in re plus damni, quam utilitatis alunt. Nae tamen in tanta multitudine foeminarum illa ego perperam semper et intempeste dederim? Ex nocivo scilicet stimulo multae medicinae aliisque infensis mutationibus varii affectus prodeunt, post ne tollendi amplius, quosque sero aut velocius inevitabilis mors sequitur. Plurimae indignationes: languor corporis, frequens et exilis pulsus, capitis cummaxime intolerabilis dolor nonnisi accomodo victu et usui moderato vini cedunt; praeterea convalescens vix diu nimis uti quiete, et foveri in lecto potest.

Ac etiamsi, ut consuevit, hydropica affectio intret, a laudato tamen moderamine ne properanter recedito. Ad summum praeter roborantia suffimina lecti, sicca aromatica fomenta et alias hujusmodi auxiliationes adhibeto. Interdiu quoddam infusionis ex flore sambuci aut baccis Juniperi vasculum vel similis potus alius sufficit. Caetera, quae potentius roborent seu stringant, eminenter obsunt; idque inprimis de cortice Peruviano contendimus, quantumvis alii in hunc finem praedicent

eum. Nocet, ubicunque datur ante tempus; verum, tametsi tarde, plurimum tamen intempeste datur.

Curatae, dum degere extra lectum valens est, postquam in conclavi temperato calore agitavit aliquamdiu, juxta congruum cibum et potum nihil magis ad confirmationem sanitatis confert, quam primo commorari in libero et amoeno aëre, dein modicum exercitium corporis et appricatio. Tantum de haemorrhagiis.

DE
PERFORATIONE FOETUS
ET
DISSECTIONE.

Si partus intus emortuus est, nec excidere per sese potest, adhibenda curatio est, quae numerari inter difficillimas potest; nam et summam prudentiam moderationemque desiderat.

CELS.

Est aliquando inter millenos et ultra partus, ut ob angustiam genitalis foetus integer neque ex natura prodeat, nec per artem, sed pertundi, aperiri vel membris ex parte eximi debeat. Ingrata certe et ob tristem aspectum parum commendabilis opera. Nec quis conabitur, donec alia tractatio quaepiam facilis et apta similiter, et pro incolumnitate matris opportuna (hanc enim intendimus) pari felicitate superest. Interim exsectioni ad ordinem et artificiose institutae vix alia antecellit curatio, quoad lenitatem doloris et modicum periculum. Namque afflictiones in ea creberrime non tam ex arte proveniunt, quam ab injuriis et vexatione, quibus excruciabatur jam misera, antequam ad rem ventum est, in qua tota duo

maxime sunt fugienda, ne quid effoeminatum aut molle, et ne quid durum aut rusticum sit.

Prostat vero obstetricantium genus suspectum, qui ipsum hoc, unicum sua specie saluberrimumque subsidium, quasi inutile et inhumanum exclamant, callide substituto consilio, nunquam perforandum esse cranium; sed oportere potius, ut infans extrahatur per forcipem, idque etiam fieri ubique, et commodissime posse, etiamsi caput vel conquassari debeat. Quid respondere ad horribilem confusionem, qua tumultus rationi, ordini casus, et injuria modestiae praéponitur? Equidem ad eximendum cum fortuna cerebrum magis, quam ad usum quemcunque forcipis, singulari cura et rara in chirurgicis habilitate opus est. Quid vero consequitur, praeterquam, ut quisquis hanc aptitudinem ab incunabulis doctrinae non in naturam verterit sibi, aliena re abstineat; quin fas sit, in calamitate beneficam istam unicamque opem, si superest, titulo carnificinae diffamare.

Ne vero facile a perforando inchoes, vel ob decorem et aspectum. Priusquam igitur ad evidentiam comprobaveris, nec forcipe, neque aliter effici quidpiam, primum temperate et scienter mitia experitor, nisi praetentata probe ab aliis fuerint. Sed nihil proficientibus mox detrahito. Dum interea in lectum concessa aegra commode mulcetur, affines circa id, quod brevi est faciendum, tacite admonebis. Puerperae enim paullatim haud occulere sufficit, fore, ut alio-

alioqui extinctus infans, ceu ingestabile onus, alio conatu moveatur.

Postea, rebus necessariis tranquille apparatis, aegra ad operam componitur. Caetera quoad commoditatem instruuntur propemodo, ut alibi in his libris proditum est.

Chirurgus, instrumentis silenter coram dispositis, ut foemina in marginem lecti porrectis clunibus cubat, inter illius crura tecta linteo genubus incumbit. Tum inunctam manum ad caput foetus leniter permovet, inquirens, ubinam in pelvi, quaque in plaga capitis ferrum aptissime immittatur; num satis obnitatur caput; ne opus sit, uterum, et una subtus infantem, idonea sustentatione ventris aegrae a propinqua obstetrice fulciri. Deinceps terebra juxta internam illatae in vaginam manus et digitorum planitiem ad foetus caput, et locum faciundae aperturae, ducitur. Ea, si quidem forte in cutem interosseam vel, quae minus sit occultata, quandam suturam incidit, singula opportunius fiunt. Aliter in prima quaque plaga, ut potissimum convenit, caute et cunctanter perforandum est.

Cranio et involucris cerebri apte pertusis, mox cum sanguine excidit medullae portio. Nuncque, ut rima dilatetur, ac tunicae cerebri omnisque textura deterantur promptius, manubria ferri distringuntur, circique ad medium factitata rotatione, capitis partes latius dimoventur. Post redeuntes, vel continui aliquando nixus, caput comprimendo, cerebra sensim ex-

pellunt, vix ultra quidquam moliente ferme operato.

Divulso hiatu cranii, et exempta terebra, enitens in lecto mollius disponitur, et submissis ad excipienda effluvia linteis debite curatur; opperiendo, quid eveniat.

Nisi pelvis sine modo angusta; si nisus quidquam in utero, nec impactum nimis caput est; reliqua plerumque suapte natura fiunt. Nunc exquirendum modo, ne mutata intereim capitis positione formaque fissum aliquod cranii os, vel avulsa spicula forte, matrem laedat in locis.

Quodsi vero evacuatum cranium, tametsi aliquamdiu compressum, longis et validis nisubus ne quid movetur, moratio creberrime ex capite fit. Sinciput quippe est, seu cranii tota basis, quae adversum nititur.

Plerique obstetricantes, cerebro per cochlear curiosissime excepto, mox capiti vulgarem forcipem adjiciunt, quasi vero in mora discrimen esset. Quo instrumento eo minus abstinent, ubi progredi caput re vera nequit. Ipsemet olim tractus exemplis eodem more agitavi; sed rem semper difficilem, imo noxiam reperi. Vacuum quippe caput vix unquam retinet forceps, idque in fortunam aegrae plurimum; seu tenet quidem machina et adhaeret quidquam; tum vero confissa et sejugata ossa temere comprimuntur, quassanturque, ut acutae et prominentes spinae vaginam aliasque partes foedissime lacessant, quasi traductum per ea scindens vitrum fuisset.

Caput igitur simul ac diremptum est, haud longius sub brachia pertinet communis forcipis.

Quo instrumento quia frequentissime nihil proficitur, obstetricantes *Smellii* acutum, vel alium, ad cranii formam curvatum, uncum injici in caput, eoque extrahi volunt. Alii ferrum extrinsecus, alii multo optime figi intus statuunt. Nos vero non disputabimus hîc, quaenam ex utrisque aptissima sit applicatio; id modo agitur, utra princeps sit absurditate et periculo. Profecto, uticunque in his machinis versabere, undique sub metu es, ne resiliens uncus ab capite in genitale matris ruat. Ideo quippe etiam auctores graviter admonent, quo maxime in omni tractu prospiciatur, ut, si forte infensa aduncitas linquat, subito simul desinatur a trahendo. Sed quidquam multum hoc est, nec aequabilius ab habilissimo homine exigendum, quam ab omni bruto. Qua de causa alii commodius arbitrantur, ut obstetricans ex securitate capiti et unco manum submittat suam, ut, si forte excidit mucro, potius, quam in carne genitricis, in vola haerescat chirurgi. Singulare desiderium! Ecquid post mirabilem alternationem operatus cum inutili manu? Eritne, ut nunc in permixtione pariens et adstantes ipsum foveant?

Sed supervacua ista et inepta discrimina sunt. Depletum caput, si quidem mechanico modo trahi debet, quam optime fabricata ad id proprie volsella uteris. Hanc nempe, ut dictum de terebra est, ad hiatum ducito in capite. Post

apertis quidquam ramis alterutrum in patentem plagam, alium extus ad cranium proferes, longiusque juxta altitudinem capitis ita sursum duces, ac commodum et sine metu erit. Postea sensim cum lenitate, tum aliquanto fortius, ne tamen citra modum commissis ramis, interjectum os comprehende, motum inchoa, et perfinito; altera manu interim in vagina ad caput foetus relicta, pro varietate actuosa vel tranquilla.

Persaepe caput haud sequitur, nisi osse aliquo, temporum praecipue, vel occipitis, volsella eliso, vel exempto provide. Quin imo pelvi supra nimis arctata, ipsae axillae satis aliquando obstant, ut foetus neque extrahi possit, nec conatubus naturae permoveatur. In qua difficultate primum axillas aptius oportet disponere, vel demittere brachium. Quod si fallit, obtusa unci curvatione alterutri axillae supposita, foetus, qua potest, eliminatur.

Sed inferiora quoque pelvis ad extremum retinent aliquando; pelvis nimirum tota compages deformatione peccat, ut neque caput, profundius licet jam haerens sub pube, nec pectus nec reliquum corpus sequatur sine molestia. His angustiis alicubi in caput aduncitatem infigimus. Quodsi enim etiam cuspis elabitur nunc, quoniam prope versatur extra pelvim, aliqua modo observata cautione casus sine noxa erit.

Accidit etiam, ut in partu agrippino, tam naturali, quam artificiali, infantis caput non secus ex pelvi, quam pertusum et comminutum cedat. In quibus exemplis cum ob praeclusa

spatia, ossiumque, quae obvia sunt, magnam duritiam, tum quia cerebrum segnius excidit, hacque positione cranium non sine labore frangitur, operatio multo difficilior est. Attamen hac etiam in miseria oportet versari propemodo, ac si praecedens esset bregma.

Foetus autem dum in pedes procedit, subsequo aegrius capite, truncoque corporis violenter tracto, hujus nonnunquam a collo avulsio fit, illud vero, haerens vel in pelvi, vel supra, vario discrimine remanet; namque quo continetur altius, eo pejor offensio est. Periculosus profecto, et premens graviter in omnem labor, qui apparavit, nisi marcido multum foetu, qui excuset nonnihil.

Aliqua mihi exempla sunt, ubi abruptum et retentum caput, ex quo advocabar, priusque quam adventare poteram, natura expulsum suapte feliciusque fuit, quam quiscunque perfecisset arte. Quapropter in simili adversitate inter lenientia prudenter cunctari et opperiri decet, quid consequatur, quid non. Potens enim et in patiendo natura, postquam amoveris primum modo inimicam artem, omnium optime consulit sibi, concessa quiete et fortuna occasionis, dumque satis quodammodo spatii exitus habet.

Quae naturalis evolutio, quo promptius succedat, aliqui obstetricantes incumbens inique caput componere ad melius docent. Quod etiam, si fieri possit, nequaquam approbo. Quam vehementes, quotque in vanum matris dolo-

res novi? Nonne quodvis postea auxiliantis naturae conamen irritum erit? Ubi igitur caput non ex omni parte vitiosam crassitiem habet, nec sine modo affecta sunt genitalia; quousque nixus valent, pleraque saepius sponte natura fiunt, eaque quam optime. Re autem ex toto contraria, reliquus quoque labor finiendus arte est. Atque ubi in pelvim jam descendit caput, idem ut primum congruens est, supponi forcipi, atque sensim traduci debet. Sin vero nequit, quia sursum nimis foetus cubat, vel arctissima pelvis est, tum sane nihil restat, nisi, ut protenus, et ubicunque potest, tute perforetur, et imminutum eximatur caput.

Tument et ingrandescunt aliquando capita ex aqua et aëre in utero matris jamjam. Sed nonnunquam humor considet, quin pars intumescat, ut nec formetur in acumen, nec prolongatus vi dolorum pellatur et prodeat. Alioqui intelligitur, his in foeturis haud verum tumorem, ut alias consuevit, in vertice exsurgere, nec eo contingi digitum, atque solet, dum res ad naturam currit. Necesse autem est, monitis et exemplis ante sapuisse quempiam, ut ejusmodi vitium noscat et discernat in nascente foetu, sed non excluso etiamnum.

Subin vero adeo lymphatum caput est, ut neque natura, nec industria ad eventum aliter tractari, quam terebratione possit; perinde praecedat, seu demissam clunem vel pedes sequatur caput. Deinceps, ubi ita superjacet, ut praeter quoddam os fortassis nihil tumidi in tactum

veniat, exploratione praesertim non per totam manum tentata, (quod in omni casu ne potest quidem) dum creberrime inflatus vertex non pernoscitur, priusquam in applicanda forcipe sumus, quod impatiens haec claudi sit, et quandam renitentiam monstret, non tam perscribi aptam, quam percipi. Nunc vanus etiam, certe molestus frustra, cum forcipe omnis labor; sed statim facienda apertura et emittenda aqua est. Postea compressum doloribus caput brevi ut plurimum et absque interventu artis, sola natura, exprimitur.

Est etiam, ubi infans aquosam colluviem et vim aëris in ventre continet, ut nonnisi perforatus, nec citius, quam evacuato fluido queat exsolvi. Quo facto et hic per se plerumque partus excidit, nisi infans in pedes procedat, ac caput fortassis nove renitatur ex basi.

Noscitur quidem nunc, quemadmodum parturitio, qua infans praemissum in pelvim totum brachium habet, raro specimine ex natura finiatur; sed non ignoramus quoque, ad fortunam illam oportere omnino, ut complures utilitates cum in matre, tum in foetu obveniant, quae rarissime incidunt et collimant. Quapropter modice fidendum credo. Quodsi enim, foetu ita locato, versio quacunque de causa non in tempore peragitur, ea plerumque miseria fit, ut emortuam prolem, sin saltem parcas genitrici, non aliter exsolveris, quam scisso thorace vel ventre; quatenus nempe oportet, ut exempto viscere ex pede vel aliter prorsus educatur infans.

Caeterum, idque reponimus, nemo nisi ex necessitate opem hanc suscipiet, quin tamen ob trucem aspectum, vel ex affectata mollitia unquam omittat, ubi aliquanto etiam modo facilior per eam et propitior matri partus fit, quam foret alio more quocunque. Atqui hoc ipsum vituperatissimum aliis subsidium inter reliqua omnia (praeter usum forcipis in pelvi non angusta, et demisso satis capite) pro omni genitrice in necessitudine laboris lenissimum, et sub manu ad id parata, tenui et habili, facillimum tutissimumque ex corde praedico. Nihilominus praeter excisionem vix ulla audentia reprobatur, cummaxime ob commoditatem et praerogativam : quod alii nudatis brachiis membra partus in matre tumultuarie distrahant et divellant, nos contra tectis cubitis instrumento ad finitam normam tranquille sejungamus. Sic quippe facies rerum et ambiguitas doctrinae etiam in hoc ludificant: siquidem exanimis foetus et animata genitrix est, utrum magis aequabile et idoneum sit, instrumentis excipere mortuos, ne sine instrumentis exanimare vivas ?

APHORISMI
DE CONVULSIONIBUS.

Facillime quidem, quod quaeritur, ratiocinatio invenit, fidem vero ejus experientia comprobat.

GALEN.

I.

Quales intelligamus convulsiones, nemo nescit. Earum vero naturam et proximam causam penitus ignoramus. Etenim quum sit extra fines cognitionis nostrae, quae sit vis nervosa, qui motus musculorum, quid ejus principii et fundamenti, dum sanitas viget, iique ad arbitrium fiunt et voluntatem; nesciri etiam necesse est, quid illos motus morbide et citra conscientiam exciat.

II.

Duplex convulsionum forma: ubi convulsa pars diutius in eodem statu vel tensionis vel laxationis permanet, *Spasmus;* sin spasmodica tensio brevibus momentis alternatim se remittit, reditque, proxime *Convulsio* vocatur.

III.

Quo plures et potiores partes convelluntur, vel complura membra, atque ipsum corpus totum contra motum naturalem et articulos contrahitur, torquetur; eo funestior, servata in

caeteris paritate, affectio est. His larvis unius ejusdemque morbi ingenia medentium diversa nomina invenerunt; unde lingua ipsa arte locupletior evasit.

IV.

Puellae, quae ab infantia per periodos ex distensione patiuntur, postquam menstrua ipsis provenere, plerumque convelli desinunt. Consuetae ejusmodi convulsiones, dum forte in ipso partu incidunt, nisi nova alia causa illas excitaverit, modici sunt momenti, tametsi post partum horas saepe, atque etiam dies durent.

V.

Fomes convulsionis persaepe in corpore delitescit, quin aliqua interdum offensione prodat sese; quod opportunitas, unde corpus convellitur, inconstans, incerta et infinitis modis variata sit.

VI.

Quoniam vero, ut saepissime contingit, causas distentionem excitantes recta aggredi et profligare, artem superat, satis fortasse ad evitandum morbum facies, opportunitatem ipsam, ad tempus saltem, distinendo, supprimendoque. Verum tamen nedum ad hoc explorata remedia sunt. Omnium, quae hactenus tentavi, pollens maxime visa est mixtura ex aequo spiritus salis ammoniaci et tincturae opii ad decem, et pro re nata plures guttas, repetitis vicibus per os exhibenda; tum majore etiam quantitate in clystere.

VII.

Quodsi demum, vel in qua parte cunque, foe-

minae ad convulsiones inest proclivitas, ad evocandas eas non tam aptum et accommodum tempus aliud, quam itidem ipsius parturitionis est.

VIII.

Foeminae musculosae, crassis et praeduris ossibus, praesertim, si ossa capitis spissa sunt, et vultus brevior et compactus quasi, sub partu facillime distensionibus tentantur, saepeque moriuntur etiam.

IX.

Ubi materies et causa convulsionis se amoveri sinit, ea mox, quoque licet, modo maxime opportuno, tollenda est. Sed difficilis plerumque, et nonnunquam removeri penitus inepta noxa est, cum ob indolem suam, dum propter locum, cui insidet. Quae in capite aut pectore haerent, tales causae raro mulceri multoque minus depelli possunt. Mitius est, si malum aliquando in ventre, stomacho vel intestinis; in vesica, vel genitalibus sedem habet.

X.

Quando pars quaedam ad genituram pertinens, atque inprimis ipse foetus causa convulsionum et materies habetur, (id quod tamen raro accidit) stimulus distensionis retundendus, seu ubi frustra tentaveris, irritamen medicatione liniendum, amovendum, vel partus ipse, qua ratione quamque optime fieri poterit, extrinseca ope accelerandus est. Quod tamen rarius competit, quam vulgo creditur, si certe nolis, ut artificium ipsas fortasse passiones periculo et miseria exsuperet.

XI.

In foeminis delicatis et irritabili carne ipsi interdum partus recti nisus ciendis spasmis sufficiunt; atque ii non tam a dolorum vi et intensitate proficiscuntur, quam quod rodendo vexent, neque ultro efficaces ad exclusionem foetus sint. Omnino non tam facile convulsiones oriuntur, quod gravis et atrox maxime, quam quod levis quidem, sed continuus et quasi cum molesta titillatione vellicans dolor sit.

XII.

Si convulsio neque acuta, nec illius fomes vere phlogistica est, vanum erit, mittere sanguinem, aut extenuantibus pharmacis uti.

XIII.

Omni convulsionum accessui spatium dandum, ne acrius increscant, ac magis cum periculo ad interiora volvantur. Igitur corpus aegrae, artusque inprimis blanda vi usque solum moderabis, ne nova offensio accedat. In dentes praecipue et linguam curato; sed nihil magis vel in miseria ridiculum, quam extricare pollices.

XIV.

Facilius est, in convulsionibus varios apparatus et remedia praecipere, quam apposite ministrare. Quae enim medicina adjuvet aegram, tenuis volumine, sed pollens virtute sit; ac quidem plus plerumque auxilii ingeri per alvum et vaginam, quam dari per os potest.

XV.

Ubi in ipso conatu, partum movendi, con-

vulsiones denuo oriuntur, vel exasperantur, ut inceptam artem perficere consulto nequeas, desistendum interea ab ambiguo opere est, ne, dum prodesse velis, rem duram male agitando, in majus discrimen praecipites.

XVI.

Quod in periculoso partu ob convulsiones praestare cum forcipe poteris, id conversione ne facito. Forcipe enim sub ipsa interdum distensione cum utilitate exigitur, quod manu, quatenus ad rem detineri in utero debet, fieri omnino nequit.

XVII.

Ubi convulsiones sub partu non ex assuetarum genere, sed praeterea novae sunt, aut ex gravi quacunque causa adventitiae, quodsi partu finito unus alterve insultus redit, afflictio plerumque mortifera est.

XVIII.

Raro infans, genitrice convulsa, immunis perstat, sed semper fere sub partu, vel brevi post demoritur. Etsi vix intelligas, quemadmodum accidat, res tamen nihil dubii habet. Generatim vita et mansio foetus in matris sinu non ad eam normam aestimari, atque vita in lucem editi debet. Bona valitudo adversaque, et in morbos opportunitas, perinde ac vis et modus sufferendi patiendique, in utroque sunt diversissima. Sic acres quandoque in gravida offensae et diuturnae iniquitates nullam in foetum noxam transmittunt; interdum vero alii in matre, tametsi leviores ac pro specie saltem

minus multo formidolosi affectus, quam maxime infestant.

XIX.

Quae ex penuria sanguinis et depletione oriuntur convulsiones, mortem necessario et confestim arcessunt; quod persaepe etiam cum iis accidit, quae non tam recta ex defectu cruoris, quam ob subtilitatem aegrae et impotentiam ingruunt. His sub conditionibus levis quandoque haemorrhagia vel illius sola aspersio spasmos concitat.

XX.

Quin etiam post naturalem nec anomalum quidem partum primis nonnunquam horis, atque tardius etiam aliquanto, haemorrhagia et convulsiones oriuntur. Harum causas, nisi ab inducto per partum vitio loci, aut alius visceris topica affectione proveniant, plerumque in universali corporis labe et morbosa irritabilitate deprehendes, ex quorum igitur indicatione illas etiam percurare oportebit. Qua caeterum ratione puerperarum profluvia tractanda sint, in dissertatione de haemorrhagiis superius traditum est. Ubi convulsiones effectus haemorrhagiae sunt vel comites, mortem plerumque adsciscunt. Eadem prope ratio est, si proficiscuntur a noxa membri.

XXI.

Tales tantummodo, quae recte ab infirmitate atque exinanitione ortum habent, convulsiones, in ipso insultu necant; in plerisque aliis mors sub passionis specie, quam haud inepte

febrem convulsionum dixeris, insequi solet; aegra sensubus defecta, stertente, gravi anhelitu, facie inflata et livida.

XXII.

In omni ejusmodi morbo spumea equidem congestio, sed rarissime vera inflammatio pulmones occupat. Quapropter remedia extenuantia et antiphlogistica nihil praestant.

XXIII.

Quae convulsae moriuntur, earum corpora subito in turpissimam putredinem abeunt. Dissectio causam et materiam ex convulsione secutae mortis, vel certe, manifestissimum, quod profectum inde vitium est, creberrime in pulmonibus potius, quam in velamentis cerebri et medulla monstrat.

XXIV.

Quemadmodum in illorum cadaveribus, quibus nimium vena deplebatur, polyposas saepe concretiones offendimus, antea non exsistentes; ita etiam evenit in illis, qui convulsionibus interiere, praesertim, si sub distentione vis sanguinis fluxit. Atque hoc casu polypi potius convulsionum effectus quam causa et occasio sunt. Quo copiosius enim ac velocius sanguis fluxu naturali in vasis decrescit; eo promptius, qui remanet, distrahitur.

XXV.

Quum inter innumeras corporis animalis afflictiones genus etiam convulsionum una sit, de quibus nihil pensi et distincti habemus, consequens est, ut certa adversum remedia indicari

haud possint. Atque quia de omni re, quae vel prodest vel nocet, quin sciamus, quo modo noceat, vel prosit, nec quoque scimus etiam, qua ex causa prosit vel noceat; diu adhuc medendi doctrina spasmis humili nobis documento erit, scientia nostra quam curta sit in medicina, quamque ampla et potens contra empiria.

SUPPLEMENTA

ad Aphorismos tertii Libri passim.

Donec nihil discriminis neque metus subest ex ratione, consultum est, secundas intentatas habere, opperiendo, usque dum secedant omnino ipsaemet a natura. Ad quod expedit, cubare puerperam in latus, et demutare passim, si nihil ex profluvio obest, cubitum, leniter et citra exertionem. Sed oportet interdum aliter etiam, ex monitione experientiae et usus.

Nitente puerpera ad latus, sinistrum inprimis, ductis ad ventrem feminibus, uterus ad oram pelvis conquiescit tute ac mollissime. Adeo in omni dolore ac citra etiam, fulcitus aequabiliter et perpetuo, minus contra praecordia ac pectus urget, ut liber sit sanguinis meatus et animus in universo. Aliquando modo exequente arte, instrumentis praecipue, cubitus ex dorso praehabetur.

Omnis

Omnis neonatus necessario aegrescit, incerta vicissim nutritione mox ex ubere, sive alias assumpto lacte, mox ex jusculo carnis vel alio genere potus. Incipit plerumque aphtis corrodi in lingua et labiis, dehinc profundius; morbo praesertim inepte tractato. Tum lanquefieri et maciari, tumente ventre et fluxa alvo. Quod ut non accidat, solum unicumque remedium est, ne noceatur ex victu et regimine, neque durius vel cum saccharo vel aliter eluatur ipsis os; rarius modo attrectandum madido ex pura aqua linteo. Hic quidem usus simplicissimus valet etiam, ore jam affecto; alias aphtae incrudescunt cum inflammatione, morbus fit praeceps, infans febrit et emoritur.

Ruptis licet velamentis aliquando amnios nihil decedit, capite vel podice etiam os uteri vel omnem oram pelvis occludente. Unde languere partus, et frequentes et molesti nisus parum promovent ob inertiam. Auxilium in prudenti admotione manus ad obicem est, ut amnios vel humores alii effluant.

APHORISMUS UNICUS.

Momentosa maxime in omni re obstetricia ex natura inventio! Foetus quippe, quatenus intra amnion delitescit, tota sua compactura, inprimis ex capite, mollior multo, et ad om-

nem tractationem et figurationem patientior est, quam effluxo amnio; ut quanto diutius liquor exstillaverit, nudaque pars longius in genitale promineat, tanto magis ea praesertim ex ossibus renitens fiat et obdurescat. Emortuo foetu contrarium obtinet. Haec aperio equidem, sed vereor, ne utilitas a quibusdam diligentius in damna gignentium et foetuum, quam ad salutem vertatur. Tum poeniteret detexisse.

DE PARTURITIONIS NISU,

SEU

DOLORIBUS.

Quod os matricis eo usque aperiatur, ut possit foetibus facilem praebere exitum, nemo ignorat; sed quo pacto id accidat, mirari possumus, intelligere non possumus.

GALEN.

Privatus foeminini corporis sanus et excernens motus, quo ex matris utero in lucem foetus editur, partum absolvit.

Omne hoc grave naturae opus propriis in hunc finem inditis, suo tempore ex vitalium penu excitatis, voce *partus dolorum* in vulgus notis potentiis, agitur perficiturque.

Solito more, posteaquam quadraginta hebdomadas delitens in matre foetus ad maturitatem increvit, virium ad conandam parturitionem exsuscitatio fit. Ad eandem paene formam et in caeteris speciebus animantûm certam cuïque natura gestandi maturandique suos pullos epocham statuit. Ante hunc terminum plures dies ocyus prodiens omne animal, etsi satis perfectum, ut trahendae vitae in libero aëre idoneum

sit, nunquam tamen eo robore et valitudine viget, ac si intus matre nanctum maturitatem esset.

Parturiendi functio in ordinatione animali sola fere est, quae ex norma naturalis salubritatis cum aliquo sensu doloris et molestiae incedit. *In dolore paries filios.* Durum fatum, protensum ad omne, qua late patet, in animali regno, nomen muliebre. Quamvis enim in universum non ita terreat parturitio, atque lectu et sermone accepimus; etsi praeterea sine ineptiis mortalium et longo a natura discessu ubique etiam benignior esset futura; ipse tamen ad partum nisus, uterique inprimis ad hoc intentum contractio, a pressione et attritu partium, tum insolenti totius corporis affectione, suas gravationes, imo dolores habet.

Namque haud exilissima solidi particula ex cavo uteri decidit, sine molestia; eo minus absque singulari afflictu et virium concitatione foetus et secundae. Quanta autem cuique molimini indita vis, quaeve in singulo expediendo partu virium impensarum summa sit, hoc videlicet illi sapiunt, qui artem obstetriciam ritu geometrarum tractant. Atqui tamen laudabiles illi ausus essent, magisque certe, quam pelves struere ex charta; muliebria ex cera fingere; novas aedificare sellas; forcipes excogitare novaque repagula, tum centena alia magnorum ingeniorum similia inventa. Haec quidem, ut aliae quisquiliae in tabernis mechanicorum alliciunt emacem curiositatem, sed ad confirmandam ar-

tem, et ad simplicitatem veri ego saltem ceu vacua et absurda sperno.

Tametsi enim decentiore sollertia id solum effeceris, ut sentias, naturae vim iis quoque in rebus, quas contrectare, vel visendo etiam, consuevimus, humanam mentem superare longissime; tamen per illa studia modestius venerari eam, et pro dignitate admirari sapimus; quum alii ob socordiam de re quacunque aut nihil cogitent, aut quidquid cogitent, non nisi perverse cogitent. Deinceps etiam hoc aliquid est, ut, siquidem, quae in ejusmodi studiis intendimus, non prodeant, saepe tamen alia egregia, curiosa, et utilissima aperiantur per casum. Donec enim nihil persequimur, nisi quod reperiri aptum est, necque id ipsum consequemur, quod aptum est. Nunc redibo, unde primo institui.

In omni parturitione naturae ad partum potentiis designatus hic labor, hic finis est: ut genitalia elicito humore pro temporis et loci necessitate lubricent, molliant, laxent; de hinc pro temporis item et loci necessitate denuo corroborent, adstringant; ut vitioso turgore ampliatum ex natura uterum satius instituant, aequabiliusque explicent; ut distortum illius orificium, (ita enim obvenit) ad oram pelvis dirigant, aperiant et dilatent; ut vesicam amnios idonee sistant, rumpant; mox foetum, tum placentam molliter permoveant; postremo, ut excluso partu uterum ad prima purgamenta disponant, et inter actionis totam seriem illam, ab exordio ad finem usque, ad organicas contractiones adeo

illiciant, moderentque, uti puerperae valitudo partusque singula statio desiderat. Haec acta sunt naturae parientis.

Eaque cuncta vel maximam ad partem, nobilissimamque certe, foetans natura vario exemplo, diversis intervallis et incerta mora, aliquando per dies, saepissime intra aliquot horas, nonnunquam in momentis solvit. Nancta finem gestationis alio atque altero sensu carpitur; sanguine aliquando striatus mucus oblinit genitalia laxatque; intercurrunt passim nixus monitores; tum saevior, continuus ferme, ac nitentem per incisa modo sinens anhelare dolor ingruit; tum cubare procreans, fulcire, nec non contrahere corpus et artus; proxima quaeque capessere; et ducere anhelitus. Quo virium omnium ad genitale concursu magna inquies et agitatio, usque dum resolutus quidquam dolor est. Sed recidit, ut paene uno protracto nisu uteri os aperiatur, amnios vesica formetur, dilaceretur, adeoque, dum uterus magis continuo magisque se contrahit, infans cum subsequa mox secunda, et cruoris quadam copia et alius liquidi, brevissimo tempore e matris sinu recte exprimatur, utque verissime vocemus, extorqueatur. Rara quidem talia aevum nostrum partus naturalis archetypa edit; neque tamen etiamnum obsoleta sunt.

Nostro sub coelo, eaque, quam nunc muliebre corpus habet, constitutione, aliquot horarum plerumque opus est parturitio, computando a dolorum prima invasione; ac merito qui-

dem ab hinc, quia ad inchoandum aeque partum, ut ad perductionem illius et finem, necessarius dolor est. Ac quemadmodum foeminae a natura suus cuique vitae attributus modus est, ita etiam quaelibet, quoad potentias, propria indole et specialitate utitur, in pariendo; quin tamen proprietas haec semper adaequata sit ad corpus, ad illius compacturam nempe et habitum. Ita miserabilem et debilissimam saepe mulierculam mira facilitate parere, contra, alias procerrimas, ea caeterum in rebus mechanica portione, nonnisi tarde et molestissime cernis.

Si ponatur, idquod in matre et infante corporale est, rectam inter se habere rationem, atque nullum seu universum, seu topicum alicubi, praesertim in genitalibus vitium esse; pariendi omnis functio a solis nixubus, utpote, quae partum movent, potentiis naturae regitur, finiturque. Quapropter dolores, quamdiu nec vehementia nec debilitate vel aliter noxie aberrant, per artem a naturali sua modificatione haud licet devertere. Nemo etiam dolorum partus exemplar sibi ad arbitrium fingat, quo in omni labore nixus aestimet. Tum enim culpandi ubique novandique et factitandi alias nunquam finis est. Pleraque satius, qualia primo observantur, ac succedere possunt, immutata relinquantur. Nostra quippe atque singulariter mulierum vitae omnis anomala ratio est: aliter, quam ex simplicitate naturae, comedimus, bibimus, et excernimus etiam. Quid mirabile, par-

tus quoque deflectere, nostra inprimis ad errores propera semper industria?

Dolores itaque, quamdiu haud manifesto et vero vitio errant, neque constitutioni, seu membris noxam inferunt, talem semper ad efficiendam parturitionem habere modum scito, qualis esse in hoc ipsissimo casu et potest et debet; ut igitur in hac ordinatione nec in praesens, nec in futura, ad lucrum naturae neque demi aliquid, vel addi, neque alias quidquam demutari queat. Positis ita rebus, quaecunque caeterum functionis prolatio est, lentum ea quidem, ne tamen vere difficilem sistit partum.

Ex quo enim nixus pariendi inchoat, graviditate ad edendum partum paullatim provectus, et ad functionem hanc, foetu etiam alicubi in ventre concepto, actuose insurgens uterus, ex simplicis, vi organismi varie et amplitudine et crassitie augescentis visceris, quod et foveat et sospitet foetum, in aliam nunc abit naturam. Actuosius nunc agitat; propriis nempe contractionibus foetum disponit, movet, egerit. Opportunitatem vero et causam harum contractionum, ut rationem etiam, quapropter tam diversa modificatione et in omni partu variis tamque incertis periodis et intervallis consequantur; tum modum denique, quo resolvi solent, homo non scrutatur.

Uterus simul cum vagina potentias partus seu nixus proprie producit; iique nixus varia vi, mutabili doloris sensu et molesta pressione, quasi et torqueat stringatque, ab uteri fundo ad illius cervi-

cem tendunt, carnis maximamque partem, verum praecipue imi ventris et diaphragmatis musculos, in subsidia et conspirationem trahunt.

Veri et genuini dolores ita se habent: ut singuli atque omnes neque vehementiores, nec protracti magis sint, quam ad id, quod debet impetrari, necesse est; ut citra congruam cujusvis efficaciam non nimis properanter redeant; nec parientem suspecte infirment, vel in morbum agant; deinceps ne gravior, quem inducunt, dolor sit, quam contractio uteri, quodque vincendum est, obstaculum necessario ponit.

Praeterea post omnem verum, etiamsi longum et acerbiorem nixum, cummaxime, ubi profecit, in pariente quaedam aequabilitas animi et laeta quasi patientia superest.

Verum multiplex et diversissima confusio nisum parturitionis aliquando turbat, affectione vel ex corporatura, vel quodam solum ex membro profecta, eique jam intus adhaerente, seu proxime adscita mechanicis causis vel physicis, ut demum noxa in corpus a nisu veniat. Interim saepissime non tam ex erroribus naturae, quam parientis ab intemperantia et opitulantium sinisteritate nisus pariendi pessumdatur, omnisque functio.

Vix in ulla partus periodo sincerus omnis dolor perinde et efficax est. Quodsi vero multi succedentes nisus, quod iis superari oporteret, nec quidquam movent; declinare tandem ab indole et recurrere ancipites debent. Nec tamen quispiam unus nixus sine virium impensa ces-

sat; sed illius vis diversa ratione dispenditur, vel utiliter vel perniciose. Consumitur nempe vel cum lucro partus, vel deficit, et in parientem retorquetur ipsam dolor; ut igitur omnis perficus nisus genitrici simplex commodum, haud perficus duplex damnum ferat. Unde etiam liquet, quare dolores praemature exciendo, eorumque violenta elaboratione, ut omni re alia, quae illos intempeste allicit, et supra modum asperat, optima quaeque parturitio depravetur, iisque in locis, ubi ne ullus ferme naturalis partus a primo ingressu sine vexatione remanet, nullus quoque haud secus paene, ac citra naturam desinat partus.

Exceptis paucis ad naturae simplicem integerrimamque normam expeditis foeturis, partum per singula stadia, nonnisi sinceris agi nixubus, rara experientia est. Sed rarius etiamnum id est, parientem naturam ab indita sua norma tantum aberrare, ut intrudere manum, sive caput infantis subdere ferro, necesse vel consultum modo sit.

Nisi cuncta in partu, quae inveniri sensubus possunt, momenta iniquum modum habent; tum una plerumque, alterave solum epocha exercet. Uteri, ore illius praesertim oblique posito, melius ad laborem aptanda compages, forma et rotunditas, apertio oris et complanatio; item capitis supra in pelvim, vel per exitum transmissio, pariendi potentias prae caeteris maximeque occupant. Haud tanta, nec diutina plerumque moles est, quocunque modo

et quoquoversus distractum os disponere ad introitum. Verum difficilius tardiusque id cedit, ut penitus dehiscat. Cujus morationis causa nonnunquam in universo praegnantis habitu, aliquando in generali aegrotatione, item in aliena sensilitate, seu in aliqua proximarum partium vel ipsius uteri topica affectione, seu demum in varia cum in utero tum in aliis visceribus reclusa noxa latet. Sed absunt nonnunquam talia vitia, atque omnis difficultas in privata foeminae ad pariendum opportunitate posita est. Deinceps sciendum, uteri os et inferius segmentum non ita trivialiter ampliari, ac vulgo creditur. Dolores occasionem modo ad emollitionis miraculum praebent, quo uteri et contiguae vaginae portio non tam sub doloris vi, quam potius illo prope subacto, dilatatur et evanescit. Nemo unquam os, urgente nixu tractatum, emolliri sub digito vel ampliari sentiet, nisi inhaesitans forte, et irruens tunica amnios, seu foetus quaedam per uteri constricturam protrusa pars, collum more mechanico pandat.

Inde etiam est, ut turgentissimo et explente amnio collum uteri, quatenus digito obvenit, hinc illincque, ut ajunt, vix fimbriam relinquat; tum enim vero seu sponte, quodve expedire visum sit, ex industria amnion rumpitur. Jamque denuo uterus cum inferiore toto segmento illico praeest, ore vix pollicem diametro ampliato. Meliore, verum tarda virtute, nunc dilatatio consequitur tandem, ac non tam

ipsis sub doloribus, quam illorum inter mitiora spatia transituro foetui primas vias aperit.

Nisi ruptis praemature velamentis delapsae fortassis aquae sint; appulsae sensim in os uteri cum contento liquore tunicae mollem cuneum formant, qui interponendo se ad pandendum os, et in permultis partubus, certa pactione, ad dispellendum collum uteri egregie confert. Nequaquam igitur laceranda amnios vesica est, hoc studio, ut fortius inducantur nixus, os uteri explicetur, et ad brevius labor fiat; nisi casus postulet, ob tenax velamentum, pondus amnios, aut longam inertiam doloris. Fluxis quippe intempestive aquis genitale siccitatem atque foetus duritiam contrahit; siccam vero omnem simul quoque difficilem esse foeturam, nulla matrona nescit.

Aquis recto tempore profusis, increscere plerumque dolores et vehementia et pervicacia solent. Nunc uterus enixius se contrahens, donec nihil intervenit, continenter ferme et sensim ad praescriptos fines organicae coarctationis revertitur. Quod ipsa exploratio monstrat, stagnante inprimis adhuc amnio. Raro illud proxime post dolorem magis tendi senties, quam ante nisum fuerat. Attamen, ubi ex ordine pergit labor, tum quidem ad incidentiam novi doloris continuo turgescit, donec sponte rumpitur demum. Simili modo ipse uterus etiam arctatur paullatim, quod extus admota manus ex mollescente illius organica duritia percipit.

Atque ita nisus continua intentione caput

infantis aut alia praecedens pars cum vel etiam sine manifesto tumore, ac integro etiamnum aliquando amnio, per oram pelvis in illius cavum progressa, ultro per externos margines in lucem prodit, quemadmodum jam alibi in his libris designatum est. Antea, dum caput latissimo ambitu supremam oram transgressum moratur in vagina, se remittere aliquando ad tempus dolor consuevit, et mollescere verticis in ampliori spatio tumor. Nuncque ad ultimos se accingit natura conatus, novas resumendo copias. Atqui demens et inhumana foret tranquillitatis hujus invidia! Pariente itaque attente aspecta, nihil turbandae induciae, donec novus dolorum impetus sponte iterumque ad laborem exciat. Hocque tandem ultimo nec modico plerumque accessu, ac matris non sine sudoribus, foetus omnis nascitur.

Non longum vulgo hoc parturitio stadium habet; interdum tamen vehementia et protractione angit, ac creberrime quidem, quod cum nixubus ab initio male fuerit mercatum, iique nunc, ubi cummaxime desiderantur, desint, vel tametsi minus peccent raritate, ubique tamen infra modum langueant; subin, quod pelvis in suprema ora amplior, sed infra angustior sit, et praecedens foetus pars nunc primo effingi in tumorem, vel formatus antea tumor commutari ad aperturam, et nove disponi ad exitum debeat; aliquando, quod excavatum nimis in ultima parte os sacrum; renitens coccyx; profundum perinaeum; altaque pubes et

arctior illius arcus sit. Sed frequentissime retardatur partus, quia, quam vagina habet, expellens vis labefactata est.

Ita variae afflictiones cum singulae, tum fatali conventu, optimum saepe nisum depravant, ut labor non solum se protrahat, sed exstimulatis nimium doloribus àc illato damno cummaxime aggravetur. Atque harum difficultatum occasio vel ab universo corpore, ab illius quippe materia viribusque, sive a movenda mole, sive demum a partibus est repetenda, in quibus quarumque ope foetus agitur.

In omni gravida nisuum seu dolorum, quos ad partum natura convocat, et in sano statu et in abnormi, finita summa est, maximumque virtutis et vehementiae suae punctum alicubi inter illorum exordium et finem obtinet. Atqui ad virium ultimam intensitatem sensim pergitur, quin dolorum in culmine finis sit; sed tum retrogredi incipiunt ac se remittere dumtaxat. Multorum partuum sedulus modo observator esto, nec quidquam frustra vel incongruenter committito; atque clara experientia erit, foetuum maximam partem jam esse enixos, antequam increscens conatus ad summum fastigii pervenerat. Qua felicitate natura virium reliquias, decrescente velut ex organica energia nisu, ad expulsionem placentae et officia repurgationis, item ad instruendam novam vitam in matre, impendere cum utilitate solet. Contra, quo properantius dolor summa intentione in munus exserit se, quoque tardius

ad exitum ducitur foetus; eo gravior posthac, et segnior reliquus labor cedit, ut aliquando tandem exsolvere haud valens natura sit.

Hinc in omni ad naturam semel deputata parturitione, uticunque sensubus se obtulerit, summopere parcendum nixubus. Quin imo, quo iniquius infans ad pelvim, ac praecipue superiorem ad marginem admovit sese, eo minus dolores ante tempus provocare, vel unquam super ritus naturales intendere licet. Universim, quovis dolore ita utendum, ac natura exhibet. Perraro nixuum vitiositas aliunde, quam ex propera concitatione et subactione fluit. Namque illorum vim frangere intrinsecam, illosve diminuere perinde, ac opprimere penitus, neque naturae, nec arti datum est.

Vera nixuum et idiopathica alienitas ex eorum praesertim nimia frequentia, cum abnormi intensitate, vel inertia, vel brevitate continentiave proditur. Nullus dolor asper et fortissimus simul et constans, dolor esse verus ad partum potest. Neque frequens est, ut ob raritatem exprobrandus sit dolor. Id praeterea omnis ferme per se vitiosus nixus habet, ut in universam constitutionem, inprimis vero apertiusque in ventriculum diffluat, vel ad intestina, maximeque ad vesicam. Accidit tamen, ut etiam in his partibus, aut circa illas, nutatio nisus exsurgat. Ita quandoque cum nixu vomitus oritur, qui interea, nisi ex affecta ventriculi ipsa soliditate venit, vix moratur foetum. Et intestina passim, et urinae vesicam

vellicat dolor; verum ex adverso membra illa, quodve in iis latet reclusum, uterum partusque nisus affligunt.

Interdum per totam functionem intemperabilis dolor ad lumbos vexat. Nec minus obruens et gravis dolor est, qui aliquamdiu, ac praesertim, ubi inter caput foetus et pelvim iniqua ratio est, ingruente cummaxime quovis nixu increbrescens, ab intimo ilei constanter per femur ac pedem furit.

In quibus rebus ante omnia oportet, ut pro stadio partus, causa et indoles alienitatis, puerperae partes totaque constitutio, item et functiones et excreta inquirantur; unde disces, quidnam ex anomalia, vel ex adversitate ad partus ipsum nisum, tum simul ad uterum; sive ad aliquam agitantem noxie corporis potentiam; seu primitus ad viscera et partes pertineat, quibus dolorum simplex, aut complicata vis et offensio inhabitat. Talibus admodum intellectis doctus probe in medicis et chirurgicis obstetricans haud difficulter efficiet, quidnam ad emollitionem vel ablationem erroris, adeoque pro expeditione foetus congruens sit. Quiscunque vero in sanandi utraque doctrina est alienus, partus difficiles et ambiguos scienter committere in naturam et solito excipere modo nunquam sapiet; atque huic tali rerum agendarum intuitus modosque particulatim explanare, irritus labor foret.

Quaelibet pariens exsolvi se omni momento avet vehementer; prudens et modestissima non tantopere solum exprimit, quantum

aveat.

aveat. Quapropter ad accidendum quasi nitenti tempus obstetricio medico licita quaedam fallacia est: ne, qui veri sunt dolores, etiamnum veros praedicet; praetentatores potius et nuntios dicat. Nec tamen prehensa semel partu sine observatione relinquatur, nec quid illi concedatur discriminis. Multo minus, antequam res serio expetit, in propria componatur strata; sed indito ad expurgandam anum clystere, tum corpore pro actu commode vestito, ad lubidinem obambulet, vel tempus in vulgari sedili transigat.

Ore uteri propemodum aperto, atque (nisi pelvis peramplus exitus, aut gracile et molle caput infantis sit) posteaquam hoc jam pressum altius in suprema ora haeret, pariens ad lectum destinata ex alterutro latere cubat, ultroque valere dolores sinit.

Quando demum amnios rumpitur, vel jam effluxo forte caput in pelvis moratur cavo, quidquod firmius jamjam margini subtus adpulsum est; aliquando pariens attracto loro seu alia machinatione, vel porrecto adstantis brachio, se fulcire jussa, elevato nonnihil capite et pectore, alterutri, ac plurimum ex instinctu sinistro incumbens lateri, adductis ad abdomen genubus, omnem incurrentem nixum patitur, nec fortius subigit seu elaborat, quam dolor ipse cogit, neque sustinere mollius, ipsa potis est.

Hoc quippe modo nisus non solum efficacissime ad finem agitant, sed facillime sustinentur etiam. Vix parere se sub illis sentit mu-

lier; abest oppressio, abest trepidatio omnisque, alia ad partum quavis positura, inseparabilis comes anxietas. Nec denuo, quae inter reliquos partus, hoc modo semel enitebatur, aliter se posthac feret exsolvi unquam. Perinaeum quoque, quatenus a natura potest, hoc ipso ferme situ, satis jamjam tutatum habetur.

Accepto foetu, postquam matri tepida siccaque submissa lintea sunt, eodem situ vix mutato, decedere etiam placenta potest. Similiter pleraque etiam perfecta animantia in ponendo utuntur, haud turbata saltem crudelitate et ineptia hominis. Attamen sagax illorum exemplum pro obstetricantibus germanis et obstetricibus perinde vanum est, ac sapere modice praeceptis prudentûm omnium virorum in Gallia, Anglia ac passim etiam in Germania sciunt. Placeant sibi igitur incommodis et passionibus suis et pariens et obstetricans, residentes et sudantes, donec valent, in sellis suis, et subtus.

Quousque parturitionis nisus nec generali iniquitate peccat, neve offensa loci, raro, quam apposite febrilem dices, corpori indignationem infert. Etsi imo quaedam, praesertim ad finem, in pulsu properatio seu alia varietas sequatur, non tamen ideo, sin in reliquis nihil alieni intercurrit, confestim incusandus est morbus. Quaedam imo foeminae, licet difficilius enixae, ne hac quidem simplicissima mutatione attinguntur.

Est vero etiam, ubi res diverse obvenit. Sive enim pariendi nisus per se citra solitum vehemens, vel debilis, sive alieno stimulo nimis diu anceps et inefficax, sive ex natura bonus quidem, sed accedente afflictu variarum partium earumque inprimis, quae recte ad partum faciunt, praebere se actuosum impotens sit; tum enim vero ex his causis, quandoque etiam a producta inde primum in visceribus vera aegrotatione, corpus febris invadit. Spasmo contractum, strenue reluctans, ac simul notabiliter devium uteri os; spurii, seu etiam veri amnios nimia copia, ac quaecunque alia noxa uterum erronee expandit; porro foetus ea collocatio, ut nec capite, nec natibus prodeat; tum intempestive et lente delapsus, aut diutius restagnans liquor; erronea valde proportio inter matris naturale et foetus corpus, hoc praesertim non aptissime composito; foetus bini vel plures; exsiccata nimis, ulcerosa, vel secus irritata, item debilis, in prolapsum usque laxa aliquando vagina; tumens haemorrhois, et permultae aliae indignationes, partum non raro difficilem reddunt, febrem accendunt, illamve qua jam ante laborem prehensa forte pariens erat, augent et asperant.

Paucissima modo prodita hic a nobis vitia admota manus tollit, linitve. Pleraque externis potissimum internisque pharmacis molliuntur: apto cataplasmate, fomento, clystere, et injectionibus. Ad lacerandas tunicas, ad fulciendum aliquando cum foetu immodice descen-

dentem uteri illiusque cervicis portionem, aut sustentandam laxitatem vaginae, tum passim ad paucas forte alias occasiones obstetrix quandoque ducere in subsidia manum potest.

Quod vero victum et haustus medicinae per os spectat, in simplici perinde ac complicato partu, eorum paucissima, sed ob varias mutabilitates, et pro ingruente interdum morbo, diverse modificanda genera sunt. Atqui omnem ferme sive per naturam, sive ex phlogistica intemperie sine modo et violenter incedentem partum, potus aquosus, parcus et tenuis vegetabilis victus, item temperatus cubilis lectique calor, enemata, quumque necessitas erit, parca venaesectio mitigat. Verum languentem ex se, vel infirmatam morbose mulierem aër calidior, potus generosus, volatilesque stimuli; dumque moeror et fames conficit, prae caeteris meraca carnis juscula, et reficiens cibus et vina juvant. Postremo, ubi corporatura, vel aliquae partes modo cum noxa ex irritabilitate patiuntur, opium praestat, moderato usu per os, vel injectione et clysmate inditum. Ad exciendas quippe vires, et concinnanda dirigendaque partus conamina hoc remedio nihil excellentius in omni natura novi.

Ita quidem modica, interdum gravi cum anomalia, multi centeni partus matri simul et infanti prospere fiunt, quorum ne in uno opus mechanica arte habes. Nec tamen sine exceptione suasio est. Nimirum, quae rem varie mutant, primo non tam in aperta causae pro-

deunt; ut potius nonnisi cum tempore extricentur. Ita multos partus perducit natura, quos ex obviis passionibus infelicius finiri credis; contra alios ad omnes species promptiores conjectamus, qui medium vix progressi naturae haud ultra parent.

Postquam igitur, aestimatis probe rebus, quae mollestissimum munus ab initio ad hoc usque grave ac dirimens momentum proximius distinguebant, ipsorumque nixuum a sua origine ad summum gradum, quo fuere, quoque nunc consistunt, justa taxatione, denique ex instituta eorum, quae ad partus usque exitum impedimenta et difficultates etiamnum restitent, quaeque conatuum ad summum computata vis reliqua sit, recta collatione comprehendimus, partum absolvi a natura nequi; vel, quodsi demum absque ullo in omnia haec intuitu ex metu oriturae inflammationis, vel ob alias genitrici foetuique infestas affectiones labor porro committi ad incertum tempus naturalis exitus necessario non debet, vel cum salutis spe nequit; tum enim vero obstetricans ab natura ipsa invocatus tenetur, ut mutua opera et amicabiliter inita quasi cum natura pactione, ac prudenter in bonum conversa industria, additis extrinsecus viribus, grave conamen organica mechanicaque arte suscipiat, dirigat, perducat.

Creberrime tamen erratur, quoniam in partubus, ubi nihil magnopere angit, propter experientiae raritatem, item antecepta opinione,

ingenitam naturae vim citra aequum parvi aestimamus; diverso extraneas iniquitates meticulose recensentes, in potestatem modicae artis stulte et cum arrogantia confidimus. Sic complures vanis tot supra mortalium mentem elatis scriptionibus seducti organicum partus nisum nihili, ad summum tanquam doctae pernicitati suae in gratiis substratum momentum habent, quo imo, si placeat, ad laborem sese nequidem indigere gloriantur. Ultra obstetricatorum vulgus in arte sua vix proficient. Isti ad partum doloribus non egent; cum iis videlicet dolores veniunt nonnisi post partum.

Quemadmodum vero in cunctis gignentibus finium et proprietatum suarum supremum culmen generatio est, ad quod pertingere utrumque genus valeat, sic equidem illorum aliud coitu destinationem explevit; sed in altero primum duntaxat in perfectissimam sui evolutionem jacta principia sunt. Quapropter habens in utero omne animal, omnisque gravida, hominibus, nisi atrox mens vel foeda cupiditas efferaverit, quidquod animantium inter se omni generi illius, quod in animali natura optimum, pretiosissimum, perfectissimumque habetur, ex instinctu respectata custos et conservatrix est. In ea, mutuo quasi utriusque in unum corpus confluxu, degit, crescitque organismus in organismo, donec exsultante in altero nova organica vi, a materno alter avulsus stipite, novus nunc et absolutus in natura incola suum locum tenet, suumque experturus fatum est.

Neque unquam, qualem potest, altiorem ars nostra perfectionis gradum attinget, nisi demum inditam naturae et exserentem se stato tempore pariendi primam vim illam penitius, quam hucusque, scrutari, aestimare, et vertere in usus sapierimus. Quae profecto vis, sicuti a rerum natura ad gravissimos maximeque necessarios fines suam destinationem accepit, ita etiam procul dubio ex valentissimis potentiis una est, a quibus organicum omne corpus et vitam et motum et conformationis perfectionem tenet.

Nixuum dolor partum portendit, perducit, finitque; eo solo eoque unico, sine ulla intercessione artis, sine omni praesidio, olim, dum ars neque erat quidem, mille milleque partus feliciter facti sunt; fientque in posterum. Sed absque illo ne unus. Quidquod ubi nonnisi per artificiales modos viasque exsolvitur foetus, nisuum tamen et in hac opera ad bonos exitus necessaria est accessio. Dolores quippe omnem partum singulariter distinguunt; vicissim omnis partus singulariter discriminat dolores. Illi enim vero, quoad modum et tempus et reliquas opportunitates, utpote ex natura orientes, singuloque laboris momento adaequati, obstacula ferme et iniquitates nunquam non vincunt, ac conciliata ubique ad aequum vi et mora, nunc tardius, segnius, nunc concitate et properanter, itaque serius quidem citiusve, sed plerumque tamen tempeste et prospere satis opus consummant; ut igitur obstetricans, peritus nisuum

aestimator, illorumque virtutis in usum rectus interpres, rarissime ad aspera adigatur.

Potentissimus ille nisus puerperae incredibile robur addit, animumque in mirabilem, a nemine viro, sustinendam patientiam durat. Is tandem idem nisus materno cordi primum est incitamentum, ut itaque matris in prolem suam amor ex sui amore ipsius necessario et omnium maxime laudabiliter consequatur. Haud ullum namque dulcius genitrix praegnationis molestiarum, partusque dolorum praemium et compensationem percipit. Parturitionis conatubus omnis, quae nititur foemina, nobilissimo sensu heroa est; talis eadem futura mater, nisi naturae obluctantes mores et extraneae adversitates infestius imperitarent; nisi puerperam, dum primum ultimumque fortasse osculum nato linquit, tristis toties inter lacrimas cogitatio subiret: *Ad quid te peperi!*

NOTITIAE

EX SCHOLA OBSTETRICIA.

Annis elapsis 1805 et 1806 in instituto bis mille et triginta quatuor partus numerabantur.

Inter hos quinquaginta duo natibus, facie praevia quindecim erant; gemellos viginti octo habuimus; unum trigeminûm. Septem infantes versione, duo forcipe in lucem ducebantur. Perforatione unica vice opus fuit.

Summa natorum 2064.

Ex his maturi et praematuri, languide vivi 40.

Ante partum emortui, plurimum putridi 42.

Immaturi infantes et abortus 33.

Ex demortuis octo foeminis sex febris puerperarum sustulit; quatuor, ut regnans erat, cum scarlatino exanthemate, ac duas alias, ex inflammatione sporadica. Haec nimirum sub dio et pluvia enixae in morbum ex contracto frigore inciderant. Sectio cadaverum illuviem et generalem phlogosin in ventre ostendebat.

Alii cuidam mortem ex universali corruptione convulsiones intulere. Alia pessimo et per luxuriam consumpto habitu intra graviditatem

fixum in latere dextro et in coxis dolorem questa, edito cunctanter, ne tamen molesto partu, tredecim dies incerte et varia passione febriebat. In cadavere modica exstillatio ; nullibi phlegmone ; fellis vesicula admodum parva, fusco repleta unguine verius quam bile; extensus nimis pro tempore et laxatus ex paresi uterus. Ovarium dextrum, ovi gallinacei magnitudine, tumens et durum, intus vomicam cum pauco sanguine habuit.

Omnes caeteroqui partus, ut jam ante notavi, more confirmato, et solita felicitate, ut annis prioribus, administrabantur. Eaque perennis exemplorum constantia, si a versionis et machinarum abusu etiamnum non potest coërcere, tum vero manifeste scitur, inexsuperabili fato fieri, ut nobiliores quoque animantûm compages, ipsorum item, per quos conservari oporteret, ineptia et perversitate ante praefixos fines deleantur.

Inter rariora, quae in tam multis gravidis ac puerperis obvenere, amplius mihi exempla duo *retroversi* uteri constant; quorum nullam hucusque feci mentionem, existimans, complura ante hujusmodi specimina ad firmandum judicium opperienda esse. Res tamen vero ad raritates videtur pertinere; quod tam multis annis in nosocomio eam, et in urbe frequentissima, ter duntaxat observaverim. Quapropter ita sentio, quas hucusque affectus illius adlegarunt causas, nec solas eas esse, neque ex universo veras. Fortassis viscera etiam alia in ventre

inprimisque vesica, seu singulatim, vel complura simul, magis, quam vulgo creditur, ad rem nocent. Quotnam certe in mulieribus hic illincque pelvis vel ex angustia peccat, vel amplitudine? Quam multis uteri laxa ligamenta, prolongata cervix, et similia alia, quin unquam uterus laboret retroversione? Ut igitur, quo talis inclinatio locum capiat, ex mea sententia necesse sit, alias accedere noxas, naturae usque incognitae nobis. Placet in hac re quorundam Anglorum opinio, qui retentionem urinae, item expansionem vesicae, retroversi uteri verius esse causam, quam effectum existimant. Idque etiam, quae ego in exemplis habeo, verisimillimum reddunt. In omnibus aegris malum ab urina coepit, subsequo obtuso dolore, cum sensu ardoris in pelvi, et ani et vicinarum partium spasmo ac tumore. Sequitur urinae stillicidium, atque in aegrarum una retentio. Ea quoniam summe praegnans visa, quem incusabat, dolor partus esse nuntius credebatur. Qua de causa jussu obstetricis ac medici plures per horas cruciatus suos subegit in sella, donec ob summam anxietatem, tardissimoque partu nimirum, in ultimis vitae delata in nosocomium est. Primo intuitu ingens et suspectus venter terruit, cum pubis et ani intumescentia. Quaesito ex comitantibus foeminis, ne aegra urinam mittat, nihil inde esse molesti, responsum; amplius ex affecta ipsa sciscitari res vetuit. Sub exploratione vaginam calidam valde, sensilem, fermeque inflammatam tractavi. Pelvis cavum explebat

praegnans ad speciem uterus, ore ex toto obliquo, ut nec ego quidquam potuerim contrectare. Postea tandem particula in suprema se pube praebuit. Interim neque ex ipsa aegra, nec aliunde aliquid manifestabatur, quo in definienda graviditate, aliisve in rebus scitum clarius fuisset.

Quumque tantus erat ventris tumor et onus, ut ascitem potius, quam graviditatem simularet, atque etiam suspicio damni in viis urinariis premeret, primo fistulam ex gummi elastico immisi. Prorumpit ingens vis rubrae calidissimaeque urinae, observata prudenter substrictione, et confricando ventrem, ne nimis cito fieret evacuatio. Duodecim prope libras pendebat humor, juxta, quod studio non abstraximus.

Aegra, ut ajebat, subito se quasi renatam sensit. Nunc tentata iterum vagina, pleraque, ut ante, offendi. Praeter congruum victum, et sexta omni hora ad quatuor circa uncias injectum clysma, mollientia fomenta applicata abdomini et locis sunt. Haec ad seram vesperam contigere. Sequebatur tranquilla nox, et reficiens ultra sex horas somnus.

Illucente die aegra propemodo sine febre; sed non commota ex clystere alvus, nec missa urina est. In pelvi eadem ferme atque heri, imminuto paulisper ardore et siccitate. Rursus ad octo libras urinae detraximus, neque ultra, quam sponte ac facillime fluxit. Jam vero nec levissimus super vesicam, et ventrem sine dolore fieri affrictus. Continuatur prioribus reme-

diis, et ad initium octava quaque hora, posthac omni decima depletur vesica, interjecto aliquando clysmate. Tertio die orificium uteri probe adfuit, regresso viscere in loca, et debitam altitudinem. Universim, cunctis rebus naturalis nunc modus erat, praeterquam quod aegra nondum faceret urinam. Quatuordecim post dies etiam hoc valuit. Tum ultra elevatis natibus, ex lubitu, vel super dorsum vel ex latere eam cubare jussimus, donec aliqua impeditio in urina esset, vel quidpiam ex utero cum metu. Ac quoniam graviditas porro extenderetur ad menses, aegraque etiam expeteret ipsa, e nosocomio demissa est. Haud quidem urgente partu revertebatur; attamen domi illam justo tempore peperisse, comperti sumus.

In duabus aliis exemplis eadem fere observatio erat. Educta scilicet urina, clysmatum et fomentorum usu, item tracto mediocriter sanguine, uterus paullatim et suapte natura rediit.

Nonnisi in hac mox narrata affectione detegere licuit, quo vergeret orificium. In reliquis post multas passiones, nec prius, quam emissa urina, descendebat. Sed in explorando etiam non cum pertinacia intendimus, ut parceretur aegrae, neque sine necessitate irritaretur malum.

Quaenam caeterum *Inversionis*, species: orificio in anticum, retro, vel alterutrum ad latus verso, frequentissima, et a principiis fortasse, quae possit contingere, unica sit; item, quate-

nus reclinatus uterus eam simul habeat figuram, ut in noviore etiam graviditate illius os fundo haud recta adversum sit; hoc scilicet ignoramus, quum insolens sit morbus, imo licet praesens forte, persaepe tamen ne in cognitionem veniat.

Absit vero in his indignationibus quorundam obstetricantûm praecox et tumultuaria agitatio, qui rarissime, ne unquam, tractato morbo violentas in loco patrationes excogitarunt. Donec enim interceptis pariter, quaeque intercipiunt, membris competens nullum atque verum levamen aliunde accesserit; nec tentata repositio manu, neque uteri ipsa punctura et emissio amnios ad salutem ducet. Siquidem enim morbus capax medelae est, eam certe, quantum ad me venit, ab secessu urinae et alvi, tum a reliqua mulcente cura oportet exspectare, priusquam conari cum periculo ac pertundere uterum liceat. Extremum facinus hoc alioqui parum ad sospitationem refert. Neque tamen renuo, ubi praeceps occasio et rerum trepidatio est, vix ullum auxilium cum securitate nec commendari in antecessum neque rejici posse.

De uteri *subversione* ego saltem inter tam multa partuum millia, et in urbe hominibus refertissima, nec unquam vidi nec audivi quidpiam. Quare verisimile mihi est, malum nonnisi a violenta et praepostera tractatione prodire, praesertim in sellis obstetriciis, et ab intempesta et rustica extractione secundarum.

Haud magis unquam velut reclusas secundas in sacco novi. Id autem calleo, vaginam ali-

quando mox post foeturam laxam valde, dilatatam et sequacem esse, ex quo uterus citra modum super pubem remanet. Juvenes obstetricii medici et annosi quoque, dum in re nova manum insinuant, protrusa sursum vagina, morari eam in utero credunt, cujus elatum et a partu varie mutatum os perplexe aliquando pro uteri ipsius aliena strictura putant.

Saepe etiam de accretis placentis mentionem faciunt scriptores, cujus rei unicum mihi atque ob aliam raritatem diligentius memorandum specimen est. Placenta nempe, ab utero solvi impatiens, singulariter etiam in soliditate constitit. Historia talis est. Uxor tribuni militum aestate anni 1805 foetum sanum sine multo labore enitebatur. Quinta a partu hora, quia post varios dolores nondum prodierant secundae, obstetrix me arcessitum misit. Sanguinis nec intra partum, nec post, quidquam stillabat. Interea uterus propemodo contractus, ac nisi appropinquante partus nisu velut, seu spasmo verius, cum omni ventre, mollis et indolens erat. Os uteri laxum et ampliatum, utque a partu decet, salubris etiam vagina est. Caeterum, quia nihil in cura et consuetudine praecipitabat, vulgare modo enema et potionem cum opio ordinavi; addita monitione, ut, sin elapsis aliquot horis placenta nihil excidat, ve quovis alio discrimine, protinus revocarent me.

Vesperi ad nonam, sexdecim prope a partu horis, rursum quaesitus fui. Qui ante pariendi nisum simulabat, nunc verus et assiduus do-

lor est; tumente ventre et ostio uteri, quam mane, magis coarctato. Sanguinis nec etiamnum gutta. Aegram interea bis defectam ac penitus infirmatam nunc febris tenuit. Moverunt haec ad placentam. Verum in omni ambitu nulla avelli idonea plaga; tam tenax et radicata illius undique erat adhaesio, ut coactus ad id, binis eam digitis ex medio dilacerarem. Obstupui, quum districta, et obtusis velut acuminibus obsita compages in digitos pungeret, ita, ut sub opera alias parum laboriosa, obstetrici, flexis genubus ad latus ministrae, in aurem dicerem: nae! velut inter acus manum sentio. Post, quum placentam vix non omnem extractam manu et visendo disquirerem, millena parvula, pyramidis formae, triangularia spicula, quae prius infixa utero erant, venere in conspectum, compluribus aliis sine dubio intus reliquis. Visu et tactu constitit, ossea illa natura esse. Sed nunc etiamnum parcus sanguinis fluxus; tum parcissima et suspecta lochia, quin porro ab aliena materia quidquam secederet.

Reliquam matronae curam ordinarius medicus gessit; quare primis modo diebus invisebam, quos inter nihil majoris notae accidit. Attamen versus octavum diem ob commissum, ut dicebant, in victu errorem, aegra febre acriter correpta, decimo et sexto moritur.

Ne placentae uterique primaria vitiositas illa, sola, vel cum aliis passionibus, causa mortis fuerit, corpore haud inciso, difficile est finitu. Poenitet etiam, quas ab ordinario spectatas,

mihi tradi petii, a famulitio dejectas secundas fuisse. Namque indurata calcareo hinc inde concremento placenta rarissime obvenit; at similem descriptae nunquam videram. Caeterum sana, primipara, juvenis et formosissima foemina erat.

Memorabile summopere in dextra tuba graviditatis nuper exemplum vidimus, qua foetus in octavum usque mensem vivus et ad naturam increverat. Infeliciter gestans viventium trium et formosarum prolium mater, postquam praeter topicam alienitatem naturali, eaque aliquando diutina sanitate uteretur, aetatis trigesimo secundo anno et monstrosae gestationis octavo occidit.

Annis octo ante obitum suum, tunc mensibus octonis circiter graviditatis suae alias prospere actis, doloribus partus prensabatur, cum dilatatione oris uteri ac defluxu copiae seri, ut obstetrix cuncta ad exsolutionem partus appararet. Sed frustra; quia primus pariendi nisus hic in speciem desiit enteritidis, congrua medicina curatae. Matrona alioqui tali utens fortuna, ut ne consilium sibi neque commoditatis quidquam deesset, plures denuo menses admodum valescens egit. Tum novae molestiae inruunt, verum partum fore, maximopere simulantes. Hac vice egomet praesto eram; ac profecto, nisi, quae ante contigere, pernovissem, perque ampliatum os uteri, ad circumferentiam trium pollicum, tumorem quidem, sed nihil infantis in loco invenissem, foetum brevi

exclusum iri, itidem expectassem. Alter isthic pariendi nisus apertus, significatissimusque a natura, moderatius cessit, posteaquam aliquot dies fluxus ad similitudinem lochiorum manaverat. Nunc tandem foetum citra omnem dubitationem sub pariete ventris contrectaveram. Ab illo tempore foemina juxta portentum loci et intercurrentes aliquando modicas indignationes propemodum valuit; imo usque menstruum ipsi ex ordine cessit. Caeterum sollicita mater, bona conjux, inque curandis negotiis domi solers perinde, ac foris in corona amicorum gratissima fuit.

Matronam his dotibus singularique formositate conspicuam pauxillum vanitudinis muliebris decoravit potius. Foetum sibi intus esse, hoc ultra ne somniabat; propterea de illo perpetuum cum ipsa silentium; neque tumens venter molestiae magis ipsi, quam taedio fuerat.

Haud prius ferme, quam anno ante obitum suum in dextro inguine ulcus oriebatur, quod adscitus chirurgus vulgo pro suppurata glandula curabat; sed plaga claudi impatiens vario tempore manavit. Abhinc aegra passim vexari doloribus ventris, et aegrotari cum febricula. Ita misellam longum post tempus revidebam. Exstillatu ab ulcere venter quidquam diminutus mox increscere, mox iterum considebat. De foetu recte digitis nunc discernere singulas costas poteram. Idque apertum erat, fistulam ulceris, quam specillum nonnisi subtilissimum sesqui pollicem intrabat, cum gravidita-

tis tumore communionem habere, quodque defluat, speciem esse amnios veri. Demum exstillans materia mutari ex colore, contrahere foedorem, simul etiam tumor subsidere et indurari coepit. Tum febris continens aegram semper cubare cogit; unde delapsa in typhum fluxa alvo periit.

Dissecto cadavere octomestris partus in dextra, cum peritonaeo proximaque cellulosa penitus coalita, tuba Fallopii comparuit. Subtus ad imminutum citra naturam aliquanto uterum ovarium in similitudinem tenuis fabae contractum et accretum erat. Foetus cum capite suo ad dextrum declinabat, caro illiusque et adeps in substantiam cinereo colore et assimilem submolli caseo abiverat, quae acidum potius, quam putridum et alcali olebat. Neque minus tamen simulacro praesertim ad clunes et femina naturalis forma remansit. Illius ossicula et reliquum praeparatum asservantur in schola technica.

Jam alibi in praecedentibus de oedemate palpebrarum in neonatis sermonem feci. Malum istud, quibusdam infantibus connatum, frequentius nuncque, quam olim, privatis quoque domubus, in orphanotrophiis perpetua endemia est, ibidem, quam alias, multo malignior. Quondam, in Viennensi infantum hospitio munera gerens medendi, perniciem hanc satis aspexi. Longe, et ad tempora praesertim, quum pauci geniti a malo manerent illibati, paucissimique, antequam morirentur, potuerint sa-

nari, ab extraneis quoque medicis et chirurgis, tum ab aliis commiserantibus laudata varia, omnisque exhauriebatur medicina. Verumtamen in aedibus expositorum, uti sunt nimirum, successus ex cura quacunque frustra opperimur, quia ob perpetuam pestilentiam ibi, et inquilina scelera, prius, quam in tractatione quidquam ex usu pateat, plerosque infantes sine dubio marasmus conficit.

Nec quispiam, cui similiter, ac mihi, talia in Europa, atque vulgatissima quidem fama infamiaque hospitia intus perspectissima fuere, loqui me sine sermonis temperantia arguet.

Cunctae profecto, quotquot sunt, infantum publicae domus, qua nunc laborant, institutione, cumque ingenti, quam exigunt, impensa sumtuum, ad statutos fines, si cuipiam saltem asservare proles propositum sit, longius convenire nequeunt. Hinc nostra praecipue aetas vehementer implorat, ut pauperes et naturales proles, earumque genitrices, vel in propriam sortem omittamus (accedente modica sustentatione) vel aliam eamque diversam omnino, ac nunc in aedibus illis obtinet, et potest, diligentiam et mansuetudinem procuremus. Inter mille in Sinensium terra rejectos in plateas genitos, nequaquam numerosa adeo et horribilis et certa strages est, quam inter mille sanissimos et pulcerrimos pullos hominum, quos in Europa tradere in *unam domum aliquam* causa sospitandi consueverunt.

Causa sospitandi? Jupiter maximus! Vix

elapso uno anno, ne post mensem, post hebdomadam, imo dies, sine pavore quaeres, quotnam supersint? Laudabilis utique, et optima Fundatorum, in erigendis aedibus istis, intentio fuerit, curaque et voluntas; verum quod utilissimum erat olim, nunc executione rerum et consequentia in humani generis dedecus et perniciem perverterunt.

Faxint Superi, ut ex adulta progenie in miserabilium tot natorum tuitionem aliqua ad ultimum exaudiatur magnanima vox. Seculi genius quandoquidem valentes maxime humanas primitias evolvi, legibus continere nequit; num ideo evenire germina ad formam hominis et comparere in terrarum hoc disco debent, ut in vanum magis breviusque, nec in sublimiorem finem adfuerint, quam vermes et insecta? Attamen ad misere genitos contra vim et injurias conservandos publica eminent hospitia? Heus! nisi ipsissima haec hospitia hiantes amplum voragines essent; nisi, quas arceant, noxas potius arcesserent. Quodsi enim hoc fortasse praesidii habent, ut rarius recta in innocentes fiat insultus, id propterea modo est, quod illorum interpositione et Sospita idem facinus altera tertiave manu patretur cum securitate magis. Ita crimina fiunt sine remorsu, sine defensione et vindicta; dumque animus aliquando admonet, horror ex auctoritate publica, tum excusatione scelestae consuetudinis, protinus consopitur. Juxta rei infamiam perit omnis muliebris verecundia et maternus amor, ut ni-

hil, ne simplicissimus, animanti etiam sacer, sensus maneat. Quae semel enim puerpera proli suae tam leviter se substraxisse experta est, raro posthac bona mater ex matrimonio erit.

Aphthae malignae, cum lethali marasmo et diarrhoea susceptorum vix, ante sanissimorum infantum, item memoratus jam alibi palpebrarum tumor, quo nullus quidem infans moritur, nec obcoecari tempus habet, aedium illarum inquilini et haereditarii morbi sunt. Neque imo adultis semper immunitas est. Quot naturales matres, domum integro visu ingressae, post aliquot hebdomadas, aspectu pro vita perdito, ablegatae sunt ad commiserationes? Putatisne, ita fore unquam, ut miserrima quaelibet et nato proprio et aliis ex sinu suo continuo tabidis et moribundis prolibus, quidquod abrepto sibi immani ferocitate suo infante, adjectis binis alienis sine horrore et vehementia mammas praebeat? Putatisne imprudentia illa, qua ex hospitiis expositorum modo in privatas domos conduci nutrices statuunt, a delecta tali foemina ex seminario morborum infantiae omnium non eadem sugenti vitia, maligna praesertim ulcera oris, cum illisque fomitem afferri omnis mali alius, quo plures plerumque appositi sibi infantes jam pridem contabuere? Qua vesana perversitate num non virus, certos usque custoditum inter limites, sensim ita in familias diffusum, necessario in publicam endemiam vertetur? Attamen perfacile esset, ejusmodi

instituta sine tantis adversitatibus, tamque frequenti genitorum morte, ac minuto etiam, quanto usque steterant, ad tertiam ferme partem impendio, aptius condere et competentius administrare. Sed frustra sermo est; finiamus igitur cum miserorum oculis.

Atque similis, cujus mentio facta est, oculorum tumor, etiam in nosocomiis puerperarum, sed benignior tamen et rarius occurrit. Curatissima quamvis inquisitione, summoque praeservationis studio detegere incitantes causas non potui.

Est equidem, ut stimuli fomes, haud semper suspectus, quandoque in pelvi suscipiatur; neque tamen haec noxae communis est origo: evidenter vagas tenet periodos; quandoque per menses vix observatur, post moderamine tametsi immutato ad aliquas septimanas redit frequentior. Favent tamen generando inprimis vitio humida tempestas et frigus.

Tum infantum custodes et oculariorum plebs diem insectantur. Quod ignoscendum est illis, horum prodit inscitiam. In privatorum aedibus afflictio potissimum natos laedit, a quorum facie fracti etiam radii solis summa cura avertuntur. Deinceps offensa non in oculo, visus ipso organo, sed in cutanea dumtaxat palpebra et in glandulis residet. Nonnisi, ubi tumor diu perstat, et sinistra medicatio additur, acris secretio ipsum bulbum rodit.

Postremo alioqui scitur, in natorum praesertim uspiam congestu, oportere, ut omnis procura-

tio simplex sit, et opportuna, et quam maxime tractabilis, si, quae jubentur, etiam velimus fieri. Haec quippe experientia, tum notio inprimis, laudatissima alias *ophtalmica* nihil profuisse, demum cedere compulerunt, ut tumenti palpebrae linteolum modo aliquod, pura pluviatili aut fontis aqua madidum, et moderate expressum applicari curarem. Id omni nycthemero triginta vicibus et ultra repetitur, ne parvum, duos circiter longum pollices, et minus aliquanto latum linteum ex siccitate adhaereat. Hinc tria, pluraque ejusmodi subtilia strata parentur, ut mutari singulum, probe lavari et resiccari possit, antequam in novos trahatur usus. Si haud nimium aestus est, hora omni sexta vel octava renovasse cum aqua sufficit. Verum, quae oculos obsidet, materiam ne scrupulose exprimas; neque partem ruditer abstergito, aut perfricato. Praeter continuatos fotus nullo alio remedio, nequidem longius electricitate opus erat. Mater, omnisque serva agere curam hanc, et ex facili sanare morbum potis est, quem hac unica sub tractatione insontem, secus ubique calamitosum videbis; ut parentes, post facta longae curationis multa dispendia, non tam vereantur, ne moriatur infans, quam ut coecus non moriatur, pertimescant.

Praeterea nihil hoc biennio memorabile in schola contigit. Universim, instituta diligentius rerum et actorum omnium collatione evidenter elucet, artificiales partus et nonnulla consue-

tissi-

tissima artis pericula successu annorum continuo minus frequentia, cunctaque fieri simpliciora: quoniam majestatem naturae, quaeque Universo insunt, divinas vires sanctius revereri, morbosque et passiones quam ad factitiam imaginem, intueri magis ex se ipsis, et aestimare adversus auxilia ab effectubus tempus docuit. Subnectere quidem his Libris binos *de Morbis chronicis muliebrium* intentum erat; sed ob dubia, et indigesta quaedam, et non satis probata etiamnum, moderatius in perpetuum oppressi. Nec tamen aliquid absolvisse me etiam in his scriptis omni ex numero glorior, ut potius procul abesse a perfectione intime sentiam. Mihi scilicet in quacunque re unica conspicari puram veritatem, fatum nunquam indulsit.

Qua deprecatione modicum quidem, at mortalibus tamen fortassis non inutile opus claudo, et aeterno Numini, quod in eo elaborando vitae otium, et ad superandas naturales et insidiosas difficultates, vires et animi constantiam sit largitum, piissime gratias habeo atque ago.

FINIS.

Ex officina Haeredum de Ghelen.

Errata.

Impost. imprim. *lege* inposterum etc. Unq. inq. *l.* unguen etc. *Pag.* 44. *L.* 22. mirandi *l.* rimandi. *P.* 51. explic. *P.* 144. *L.* 14. *l.* prima. *P.* 194. *L.* 3 pulvil. *l.* floccosque; *item* 207. et 208. *P.* 285. *L.* pr. *l.* phlogosi. *P.* 322. ult. *L.* consolatia *l.* solatia. *P.* 432. *L.* 14 *l.* utraque clune. Quaedam alia ignoscet et emendabit B. L.